
http://books.google.com/books?id=6C5YAAAAYAAJ OCR
Pematum J. Stigelii 1566-68
http://de.wikipedia.org/wiki/Johannes_Stigel

Conferantur de Jn-
getmen de Pehoan
de Baillet Tome IV.
part: III. pag: 287.




SAGEL.

POEMATVM IOANNIS STIGELII LIBER I. CONTINENS SYLVAS.

IENÆ

Excudebat Donatus Ritzenhayn, & I[illegible]

Cum Gratia & Priuilegio ad Sexennium.

Princeton University Library

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC D. D. IOANni Friderico II. Duci Saxoniæ, Landgrauio Thuringiæ, & Marchioni Miſniæ &c. ſuo Domino clementiſſimo.



Illuſtriſſime & generoſiſſime Princeps D. Clementiſſime. In hac effœta mundi ſenecta, & fluctibus imperiorum fatalibus, nullum pr[illegible]m proponi poteſt pys mentibus, ampliſſima & dulciſſima promiſſione filij Dei, qui affirmat ſe nobiſcum manſurum eſſe vſq; ad finem mundi. Etſi enim terribilis eſt ſeries & quaſi tela calamitatum publicarum & priuatarum, quæ opprimere [illegible]pe videntur, fluctuantem animum aut certè afflicto exitium minari: vt verbi cauſſa: Furor Diaboli immenſus graſſantis in imbecilles homines, idolomania et homicidijs, cuius habet adminiſtrum

2948 .882 v.1 Goett. 341771

nistrum Antichristum Romanum, horum vero potentes huius mundi, qui excœcati errorum nebulis, veram de Deo doctrinam extinguere, et pios Doctores Ecclesiæ Dei, vi è medio tollere conantur: Huc accedit malicia hominum amplectentium errores et indulgentium cœcis cupiditatibus & furori Diaboli, & imbecillitas immensa generis humani, quæ destituta præsidio Dei & castorum angelorum, facilè in errores & tragicas calamitates ruit. Taceo bellorum sæ-
uit[illegible]nem disciplinæ veteris, contemptum virtutum, amorem & quasi desiderium scelerum omnium, & tandem calamitatum, quibus cum conflictamur, magnitudinem, multitudinem, moram, quæ si non euertere, frangere certè adflictam mentem poterant. [illegible]men ex his fluctibus tentationum quibus agitatur vita nostra, atq; ex profundo Pelago calamitatum, eluctatur pia mens recordatione promissionum diuinarum, & ardenti inuocatione, quæ duo

Summa

ſumma ſunt & præcipua præſidia in hac vita humana. Ita autem inquit filius Dei Iohan.14. Dabo vobis Paracletum, vt maneat vobiſcum in æternum. Et ibidem: Non relinquam vos orphanos, ſed veniam ad vos. Et Eſa. 46. ſcriptum eſt, Portamini in aluo mea, geſtamini in brachijs meis, vsq; ad ſenectutem ego ipſe & vsq; ad Canos, ego vos portabo: ego feci, & ego feram, ego portabo & ſaluabo. Quorum verborum, ſicut aliarum ſimilium promiſſionum ſacræ ſcripturæ, tanta eſt a[illegible]litudo [illegible]ti-litas, quanta nullius mens concipere cogitando, nullius lingua dicendo enunciare poteſt. Adeſt enim filius Dei Eccleſiæ ſuæ, tanq; gubernator tenens clauum nauigij, in hoc ſalo mundano: qui nos auulſos à Deo lapſu primorum parentum, alligat ad caput, id eſt, conciliat patri æterno ſua interceſſione, morte et reſurrectione, effuſo S.S. qui in credentibus accendit nouos motus ſpirituales congruentes legi Dei, gubernat & de-

patrem, piæ, felicis et laudatæ memoriæ, nemo est qui ignoret, nemoq; est tam auersus à vero, nemo tam mente & oculis captus, qui negare id velit. Etenim in summo principe summoq; loco nato, non tantum inerat virtutis studium præcipuum, & iusticiæ amor insignis, coniunctus cum animi fortitudine Heroica, et rectè factorum constantia admirabili, id quod hostes etiam de ipso vno ore prædicare soliti sunt: Verum etiam pietatis doctrinam à primis incunabulis tanto studio perceperat, quæq; in augusto pectore radices egerat, vt dubites, maior ne in ipso fuerit doctrinæ cœlestis cognitio, vel in subeundis periculis & perferendis calamitatibus propter agnitam veritatem constantia? Sed hæc ætas, sicut est vitijs oppressa, ita tantum decus summi Principis non intellexit, de quo posteritas, si qua futura est, iudicabit rectius. Ille autem, in hac imbecillitate humana, si qua boni principis expeteretur imago atq; pictura,

ctura, Exemplum poterat Principis esse Boni.

Verum hanc paternæ laudis possessionem, sicut ad T. Cels. est deriuata, ita cum laude eandem quoq; retines. Non tantum enim patrijs vestigijs insistit T. Cel. amore studioq; pietatis & virtutum omnium: Verum etiam præcipua cura in id incumbit, vt studia scientiæ in T. C. ditione floreant, quæ vna cura quantum laudis afferat, quantumq; accessum & quasi cumulum domesticis virtutibus addat, omnes intelligunt, atq; subditi T. C. grata voce celebrant. Superat autem laudis splendorem, vtilitas immensa & manifesta, quæ ex instauratione & conseruatione scholarum, tanq; ex quodam sacro augustoq; fonte promanat. Sicut enim viua scaturigo non tantum vicina loca, aspergine irrorat & fœcundo proluit humore, verum etiam diffusa longè latèq; blando reptat murmure ad vsum hominum & culturæ agrestis: Ita scholæ fontes

sunt pietatis & virtutis, vnde seminaria profluunt Ecclesiæ Dei & politicæ gubernationis in toto orbe terrarum. Idcirco Musarum et Charitum coniunxit templa vetustas, vt ostenderet, in scholis percipi semina pietatis & virtutis, quod in Astreæ quoq; figmento hominibus cogitandum proponitur, Idq; si intelligerent plerique Cyclopes, rectius de bonis studijs eorumq; doctoribus, quam hodie fit, iudicarent. In scholis enim non in castris, nec in aulis, nec in commercijs hominum astutorum, discitur pietas & virtus. Sea de his aliâs. Redeo ad Tuæ C. verè Heroicum animum, qui nullis sumptibus pepercit, quin doctissimos quosq; viros in Ienensem Academiam vocaret, eosq; munificè aleret, qui publicè Pietatis studia & bonarum artium profiterentur. Inter quos si non præcipuum, certè non infimum locum tenuit, præstantissimus & celeberrimus huius ætatis Poëta, Ioannes Stigelius, piæ memoriæ cuius tanta fuit in fundendo

optimo

optimo carmine felicitas, quantam nemo dicendo assequi potest, quæq; magis admirationem quàm imitationem toleret. Etenim si quis vel rerum bonitatem quam complectuntur eius versus, vel Oeconomiam partium aptè dispositarum, vel Elocutionem mirificè splendidam et natiuis cum verborum tum sententiarum figuris illustrem, cogitet: fateri idem cogitur, nullum huius ætatis similem Poëtam extitisse: quòd in pleriq; studio esset acquisitum atq; labore quod in ipso Stigelio erat natiuum, neq; ita tamen studium exprimeret naturam, vt cum ipso aliqua ratione alij Poëtæ conferri aut comparari possint. Nihil detraho summis Poëtis Eobano, Sabino, Mycillo, Lotichio & alijs: quin ipsi sine inuidia adhuc viui, vni Stigelio palmam concesserunt, quam merito quoq; & suo optimo iure obtinet. Neq; tantum omnes huius ætatis Poëtas, quod nulla affectione nec propensione animi propter affinitatem, dico, facilè superauit:

Verum

Verum etiam antiquiſſimis & præcipuis Vatibus conferendus erat, ſi non pleriſq; verſuum genere, certè rerum bonitate omnibus ſuperior, id quod optimus de optimis ſtudijs cenſor, Philippus Melanth. p.m. & publicis ſcriptis & voce crebra ſæpiſſimè conteſtatus eſt, nec moror aliorum quorundam peruerſa iudicia, quorum ſtupiditatem & in iudicando de rebus ignotis temeritatem, ne quidem Mercurius ipſe cum Muſis ſanauerit. Cum vero Stigelius ingenij ſui monumenta eius modi reliquerit, quæ admirationem merentur, & quæ profutura ſunt Eccleſiæ Dei & ſcholis: omnes certè quibus grata ſunt Stigelij ſcripta gratitudinem debent T.C. quæ tantum ingenium munificis ſumptibus aluit ad publicum vſum, vnde etiam ſplendor nominis Tuæ Celſ. ad omnem poſteritatem non eſt intermoriturus. Cui accedit celebratio carminis Stigeliani, quo non minus quàm proprijs virtutib. T. C. victura eſt, atq; ad poſteritatem graſſabitur.

Cum

Cum autem hoc tempore de mandato T. C. collecta Stigelij Poëmata, diuulgaturus essem, volui primum eorundem librum quasi primitias, T. C. offerre tuæq; Cel. nomini inscribere, cum vt liber ille, qui sacra continet, optimum inueniret Patronum: tum vt T. C. meam quoq; in hac re operam studiumq; grato animo probarem, atq; etiam vt T. C. recordatione summi Poëtæ, benignè complecteretur relictos ipsius orphanos, quos dura excipit fortuna, quiq; T. C. benignitatem opemq; implorant. Oro autem Deum [illegible] patrẽ D. N. I. C. vt in his imperiorum ruinis et inclinatione rerum omnium, conseruet inter nos lucem Euangelij sui, et pios cœtus benignè tueatur, T. etiam C. regat S. S. suo vt omnes actiones cedant, ad nominis sui gloriam, Ecclesiæ et Reip. vtilitatẽ, Tuæq; C. diuturnam vitam concedat. Datæ Vinariæ in die Egidij, Anno Sal. 1566.

T. C.

Humiliter addict.

Iobus Fincelius D.

PAVLI CHERLERI EL-
STERBVRGENSIS E-
pigramma, ſcriptum in ſacra Poemata IOANNIS STIGELII.

Accipe STIGELII Lector pia candide vatis
Carmina, Fincelio quæ modò dante legis.
RES & VERBA vide: res largo in carmine mà-
Continet: & rebus dat ſua verba ſuis, (gnas
Vix poſuit verſum multis in millibus vnum,
Qui te non aliquid forte docere queat.
Hoc igitur lege Lector opus: ſic ipſe videbis;
STIGELIVM fructu non pereunte legi.


IN POEMATA CLARIS-
SIMI VIRI IOHANNIS
STIGELII, POETARVM Principis Epigramma.

Aſpice Stigelij diuina poëmata vatis,
Quisquis es Aonij pars ſtudioſa chori.
Quæſitum toties opus, & tam ſæpè petitum,
Quodq; erat in votis nocte diéq; tuis.

Accipe:

Accipe: Fincelius Medicinæ Doctor Iobus
Dum dedit hoc doctis non sine laude typis:
Nec te pœniteat paruos expendere sumptus,
Exiguo magnas ære parabis opes.
Nam non hic lusus, neq; res tractantur inanes,
Aut quæ lectori forte nocere queant,
Addita sed grauibus verborum pondera rebus,
Doctrinamq; aliquam syllaba quæq; tenet,
Nil est hic mentem quod non delectet honestam,
Nil hic quod studijs vtile non sit habes,
Singula plena Dei sunt carmina, singula multum
Doctrinæ & veræ relligionis habent.
Proponuntq; simul præcepta salubria vitæ,
Ac magnas mira res breuitate doce[illegible]
Ergo Stigelij diuina poëmata vatis
Perlege, qui studio nobiliore vacas.
Fincelioq; pio, tibi qui dedit ista legenda,
Pro tali grates sedulitate refer.

Bartholomæus Hubenerus.



ILLVSTRISS: PRINCIPVM, AC DOMINORVM D. AVGVSTI ELECTORIS. D. Io. Gulielmi. D. Io. Friderici. II.

F. F. F. F. F.

D. CHRISTIANO. D. FRIDERICO GVLIELMO. D. Iohanni. D. Io. Casimiro. D. Io. Ernesto. Ductibus Saxoniæ. Lantgraviis Turingiæ, Et Marchionibus Misniæ.



ADAMVS SIBERVS.

A Patre Principium Musis, Patris omnia plena
Munere carminibus: qui, quæ sunt, condidit Autor
Cuncta bona, illa movetq́, Auctor, servatq́, fovetq́:
Illum per cœlestum animæ, sine corpore vitæ,
Assiduo resonant cantu templa aurea cœli:
Harmonia, & rythmo quorum vis tota coharet:
Illum per querulæ concentibus æra mulcent,

Ore ſonos facili dulces edunt{q}3 volucres:
Illius eſt homines donum inter ritè canendi
Virtutes{q}3, viros{q}3, & vita munia honeſtæ:
Ille regit vates: illi, qui carmina condunt,
Sunt curæ, ſanctis{q}3 ardorem mentibus addens,
Diuinum argutis modulis inſpirat amorem.
Hos inter, poſtè nihilo tria ſecula Mundo
Extuſi, primus palmas cum voce tetendit
ENOSV Sæclo: qua vota ſolebat anus{q}3,
Et genitor gemitu, lachrymis{q}3 ciere profuſis,
Incluſa verbis: numero quæ ſe ipſa ligabant,
Non apto quamuis, numero tamen: omnis ab illo,
Vt ſcatit Oceani ex aluo vis tota liquorum,
[illegible]rba fluit: quem deinde ſecutus ENO-
Corpore qui tempe viuo cœleſtia adiuit, (CHVS,
Æthera complendum cecinit clamoribus, omnes
Et fore ſiſtantur diuino iudice ſontes:
Vt dent conuicti pœnas, quæcunq{q}3 patrarunt
Fas contra, quæ flamma vorax ſub nocte profunda.
Infectum vicijs et iam purgauerat orbem
Diluuies: cum, cui datus eſt in nubibus Arquus
Multicolor, ſignum pacti inuiolabile, in ædes
Iapheten inclusit ſacras & carmine Semi:
Riſori triſtes indixit & omina diras. (dos.
Thariaden votis ſine Matre, & Patre Sacer-
Ac Rex proſequitur: dubio ſine plurima turba
Cui ſucceſſerunt: excepto viſcere matris:

Ridentis

Ridentis genitor, qui nato fausta precatur:
Hic vt & ipse suis: quos fama obscura recondit,
Vsq; ad legiferi radiata Epinicia vatis:
Tempore quo Pharo Erythraeo submersus in alto
At verò Isacidis, instar cùm induruit humor (est
Marmoris hinc, atq; hinc, latè est via secta p vn-
Amramida exẽplo putealia carmina fudas
Husai impatiens nec non patientia Hiobi
Expressa: inde vxor Lapidothi, Helcanius Hãna
Digna lini cedro docuerunt posse puellas
Pangere. Cùm tandem Iessides extulit ora,
Non aliter quàm, qui mundi stellamis ocellus,
Lucifer, astrorum fulgit pulcherrimus ignis.
Ille Dei laudes & cum ruit Oceano Nox,
Et veniente die cecinit, horisq; diurnis
Carminibus ditauit & omnia secula prorum;
Illius è scriptis vatum, ceu fonte perenni,
Ora rigantur aquis, numeris arcana locuti
Qui Solymis tandem cùm se diffundere in oras
Egressum saltus Libani, & Iordania tesqua,
Et Graius cepit paulatim, & regna Latina
Condẽdi versus studium: Cui Thracius Orpheus,
Natus & Amphion non est: quis nescit Home-
Vicinosq; illi? ferit aethera fama Poëta. (rum,
Quem Musæ Andæis enutriuere sub antris.
Quin nostri quoq; sunt modulati carmina agresti
Germani calamo, fuderunt carmina Bardi:

Tamq; obtusi animi nec gens vsquã vlla repta est,
Incomptos quae non versus tornarit. At hostis
Vt Genius nequam diuini Numinis, ortum
Quae cœlo ducunt fœde corrumpere gandet (atra
Cuncta: etiam in studium hoc labis spurcã intulit
Illuuiem. Quae vis, numeris, agit incita mentes
Ætherea vt cogant atq; apte, atq; ordine voces:
Vaniloquũ ad Phœbã attribuit: laudare parẽtem
Quarum erat aternum rerum, celebrare coactae
Sunt regem Musae, Stygijs qui praesidet vmbris,
Nomine sub diuum, qui nulli: aut, qui nebulones
Extiterant, hominum: comedones, Pondera terrae,
Lenones, Naccae, Struma infestiq; latrones.
Quid loquar immũdosq; sues, caprosq; petulcos,
He[illegible]niaci qui verpi sacra, Dionis
Praelia, Nyctilei furiosaq; cornua, laudis
Eximiae duxere sibi. sordesq;, lutumq;
Scribere: nec raro bene de communibus, acri
Promeritos rebus, lingua perfundere aceto?
Prouolui in cœno, rerum cui summa potestas,
Sic, vulsit indignè cœlestia munera Musas (cupus,
Dæmonis vtq; inter p CHRISTVM opa omnia
Hoc quoq; discrecit: veluti per inane volantes
Quisquilias, glumasq; leues, ludibria ventis
Impia in aeternam perierunt dedita noctem
Carmina. Prima dedit, qua laudẽ virginis vna
Occupat, & matris, cantus supera alta tenenti,

Syderea

PRAEFATIO.

Sydereo clemens quod ſe aſpexiſſet Olympo:
Inſequitur ſummi genitor, non vlla tulerunt
Secula cui ſimilem, vatis: ſua funera Cygnus
Ipſe canit Solymus, finem, requiemq́; laborum.
Ex illo numeris cœpere includier ortus
Verbo, de nihilo, cœli, terraq́; creante
Patris, qui ſolus mundi genitalis origo eſt:
Auctis diuino eſt deſcriptus numine verſus
Ceſpite, cœleſtis compactus imaginis inſtar,
Qui fuit è rubro: diri ſerpentis & aſtus,
Et facies ſcelerum: Exactus felicibus aruis
Et generis noſtri, miſera cum coniuge, Princeps:
Diluuij pœna, leges, & iura ſacrorum:
Ac tandē humanis quæ ſit fiducia rebus:
Rex quòd Homo ſine Patre, Deus ſine [illegible] per-
Bis genitus noſtris ſucceſſet ſedibus hoſpes. (ennis
Cantica quid referam, laudes, hymnosq́; ſonoros,
Quos pariter Gray, pariter cecinere Latini?
Vana ſuperſtitio donec caput extulit Orco,
Et regnum inuadens CHRISTI turpiſſima rerū
Barbaries, artes, vatum & præclara reperta
Obtriuit, Phariſq́; inuoluit cuncta tenebris.
Has Euangelij poſtquam lux clara coruſcis
Diſcuſſit radijs, ſeclo hoc qua reddita Mundo:
E cœnoq́; emerſerunt caliginis atræ
Præſtantum ingenijs Artes, linguæq́; virorum:
Sacra etiam poſt liminio rediere Camœnæ,

Italia quâ tellus, quâ tellus Gallica latè
Porrigitur, toto diuisa Britannia orbe:
Et quæ non vllis (licet inuidia audiat) illo
Tempore præclaris, quas spectat Parrhasis vrsa,
Gentibus ingenijs bellax Germania cedit.
Maximus hic primus fuit HESSI in carmine CHRISTVS,
Nobilis, explosoq; Bacchi, Veneriq; furore:
Deinde MICYLLEtio: post, tertia palma,
STIGELI:
Et quorum laus magna viget: nam gloria nostri
Brettiades fecit Phœnix exercita curis
Longè alijs, noctesq; simul vigilando, diesq;
Corda gerebat: vt huic studio se dedere totum
Non [redacted]get. Vita nondum trieteridas octo,
Patria Gotha cui, vates geminauerat, illi
Cum Parca iniecere manum. Ergo fata Stigeli
Sic te, quàm ruga turparent ante, tulere:
Colligeresq; tuos viuus, monumenta, libellos,
Digna immortali ævo, in apertumq; ipse referres?
Fert fama, Hippolytum Paphiæ ira, & fraude
Distractum esse feris turbatis, mille locisq; (nouer-
Hic, illic, corpus lacerum iacuisse per agros: (ca
Haud modò ad absimilem tecum actum est docte
Offensa Idalia: cuius tibi carmine numẽ (Stigeli
Religio celebrare fuit, fraudesq;, doloq;.
Et data sunt sanè in vulgus non panca, legũtur

Quæ

Quę passim: tanti sed quæ non digna Poëtæ
Ingenio, & fama: quæq; ipse sua esse negaret:
Degeneres fœtus, velut Ionis armiger, altro
Proturbaret & ex nido: (mi ignoscite per quos
Sunt manca, & confusa opera illius edita) an om-
Et pituitã, & muccos, sputa, & cætera nobis (nemo
Doctorum chartis placet ilicmisse?) quod Hagnoni
Accidit, atq; Melanthio quod; stulta propinat
Sedulitas quos ridendos lectoribus. Ergo
Quod vatis tanti diuulsaq;, dissq; sipata
Carmina conspicerem: sane indolui: ossaq; & artus
Collegi, & medicis sanaui vulnera succis:
Digessiq; locis sordentia puluere membra
Quæq; suis. Licet autem appareat multa cruenta
Corpore in egregio: post nos Epidaurius olim
Fors tamen existens aliquis curabit & illas.

Hunc alijs qualis videatur cunq; laborem
Confecro Saxoniæ vobis, noua lumina, gentis:
Et quem nomen aui referentem Danica mater
AVGVSTO creat: & vobis præclara propago
FRATRVM: quorum alter fortuna vrgetur
Alter virtute, & præstantibus inclutis armis, (ini-
(Sic placitũ superis) cœlestia templa subiuit (qua:

Vester erat: clarę docuitq; Stigelius vrbe
Leucoreæ, et qua Sala fluit: Pronosq; Patresq;
Et cecinit vestros: quare sub numine ad oras

PRAEFATIO.

Iam superas rediens lateat, ceu Virbius alter,
Saxonico, inuidiam contra, dentesq́; Theonis.
KL. AVG. M. D. LXXVII.

DOCTORVM
IN IO. STIGELIVM
Elogia.

H. EOBANVS HESSVS
Stigelio.

SIC tibi Pieridum comes indeuicte Stigeli,
Talis perpetuo tempore vena fluat:
Sic non sint faciles, vt sunt, in carmina, Musæ,
Sic tibi larga sitim Phocidos vnda leuet:
Vt tu nostra probas, vt nos miraris, & Hessum
Esse aliquid, quamuis sit nihil ipse, putas.
Solus enim gelidam venienti Chalcida nuper,
Porrigis exhibita carmina blanda manu.
Solus & exulibus, vt sunt hoc tempore, Musis
Visus es, officio quo potes esse, pius.
Primitijs applaudo tuis, gratæq́; Camœnæ,
Quæ tibi venturo tempore qualis erit?
Quæ cum iam multos æquet, superetq́; Poëtas,
Quid faciet, si te longa senecta manet?
Vere tuo tali qui flores indole, quantos
Autumno fructus aduenjente dabis?

Sed

Sed tamen hæc aliàs: nunc ſcribere plura volenti
Hinc alio verſam traxit Apollo manum.

PHIL. MELANCHTHON.

DEo gratias ago, quòd Germania dedit egregios Poetas aliquot: quos & erudita antiquitas probaſſet: Eobanum, Sabinum, Stigelium, Micyllum, G. Fabricium, A. S. & alios. Horum ſcripta inter vetera Poëmata legere iuniores etiam vtile eſt: vt conſiderent exempla, quæ oſtendunt, quomodo veri Dei laudes in Eccleſia celebrare poſſint. Ad comites Lippienſes. 1559.

IVL. CAESAR SCALIGER.

MElanchthonis veſtigia ſequuti ſunt non ignobili ingenio Germani aliquot (inter quos) Stigelius. Poëtices lib. 6.

DE CARMINIBVS IO. STIgelij, Ioach. Camerarius.

PErge bonis auibus, fauſto omine perge Stigeli.
Quà tibi Muſarum ſemita monſtrat, iter:
Ardua

Ardua Pimplei vt superes fastigia montis,
Puraq́; Pegaseo pocula fonte bibas:
Vrq́; ornes Heliconiadum tua tempora sertis,
Fert Dea candidula quae tibi prima manu:
Doctrina Hessiaca fama, ingenioq́; secundus,
Vel nobis Hessus qui magis alter eris.
Quid, quod ad vnigenae vertit praeconia Nati,
Pandit & in veri Pieris ora Dei?
Multo animo, & celebris praeclara laude Poëta,
Conatu semper vince priora nouo.
Aut tua fama etiam scandet Iouis, aut ego fallor,
Sydereo positum longius axe thronum:
Sed nec ego fallor: teq́; immortale Stigeli
Nomen, & aeterna gloria laude manet.

M. D. XLIIII.

GEORG. FABRICIVS CHEMN.

CLara tulit vates multos Germania, partum
Ingento quibus est de locuplete decus:
Gloria Stigelij sed tantum praeterit omnes,
Ante leues ibat quantum Atalanta procos.

IDEM IN SVO FAVSTO.

Stigelium

PRAEFATIO.

STigelius noſtro concedens tempore nullis
Phœbeo plenum numine pectus habet.

IO. BOCERVS.

VBere Stigelius perfuſus flumine, vatum
Quod rigat, & gnatis vnida corda mouet:
Diues abundanti manantia carmina vena,
Et pleno ſacras gurgite fundit opes.
Illius in tereti ſuccedit copia verſu,
Riuus vt exundans ſemper euntis aquæ:
Et grauis in numeris vates, verbiſq; ſonorum,
Omnia miranda dexteritate canit:
Res & praueſas haud verba moleſta ſequuntur,
Nec torquet numeros anxius ille ſuos:
Nec ſtrepitus tumidos, nec inanis pondera vocis,
Carminis & vacuos non amat ille ſonos.

EPITHALAMIO SCHOSSERIANO.

CHR. SCHELLENBERGIus Annæbergenſis.

STigelio merito ſic Gotha ſuperbit, vt olim
Mantua Virgilio nobilitata ſuo.

IDEM

PRAEFATIO.

IDEM.

O Quid Stigelio nobilius modo
Aut Titan oriens aspicit, aut cadens?
Quem Phœbea fatetur
Regem progenies suum.
Hic prisca ingenio tempora provocat:
Nil cedens hodie vatibus optimis:
Hunc vel Mantua nobis,
Vel Sulmo invideat virum.

EPITHALAMIO FIN. CELIANO.

IN IO. STIGELII TVMVLVM.

GEORG. FABRICIVS.

O Scula qui fixit CHRISTO, Venerandaq; vatum
Transtulit in Latios qui monumenta sos
Ardua quiq; preces toties ad sidera misit, (nos
In dextram quoties sumserat arma suam:
Fastorum expleto numeroq;, dieq; suorum,
Ienensi tumulum condidit vrbe tenet:
Cum Paulo ille labatur, cumq; [illegible]
In Christi [illegible] tempora [illegible]

PSALMVS PRIMVS DAVIDIS.

Beatus vir qui non ambulauit in consilio impiorum.

ARGVMENTVM PSALMI I.

COmplectitur summam omnium Psalmorum, videlicet propositam esse aeternam salutem Deum verè, hoc est, in filio suo, agnoscentibus & celebrantibus, exitium verò destinatum esse à Deo auersis & impijs. Canonicè subiectum omnium Psalmorum est filius Dei, Iesus Christus, finis est doctrina de iustificatione.

BEatus ille qui procul congressibus
Remotus est ab impijs,
Et Semitam perosus euagantium
Gradu stat imperterrito.
Deumq́ deridentium procacibus
Non assidet subsellijs.
Sed mente pura verumq́ timet Deum
Eiusq́ verbo obtemperat,
Qui nocte, qui die studet potissimum
Deo probari maximo.

Hic est vt arbor ad fluentem riuulum
Quam diligens seuit manus,
Quæ publicum fructus in vsum diuites
Suo ministrat tempore.
Non huic nocet vel Auster imbre sordidus
Vel vis sonantis Africi.
Ramis gerit comas semper virentibus
Lætis decora fructibus.
Non impium sectatur hæc felicitas
Qui nescit aut negat Deum.
Sed sicut vno Apeliotes impetu
Glumas inanes disijcit:
Sic obstinatos ventilat Deus impios
Inutilesq́ proijcit.
Iccirco iustam cum feret sententiam
Verbi potestas vindicis,
Nil impijs erit relictum ponderis
Errata quo tegant sua:
Sed exules ab omnibus pijs procul
Pœnas dabunt infamiæ.
Curæ Deo nam sunt viæ credentium,
Negotijs in omnibus.
At impiorum fallit irritus labor
In omnibus negotijs.

PSALMVS II.

Quare fremuerunt Gentes &c.

Vati-

VAticinium de venturo Messia. Insignis collatio imperiorum mundi, & regni Christi. Doctrina de agnoscendo Christo.

Quæ tamen effrenes cepit dementia gentes,
Quæ populos tanto causa furore mouet?
Quæ noua clamosum rapit indignatio vulgus,
Ardua cur fremitus tantus in astra furit?
Vndiq; conueniunt terraq; mariq; potentes,
Consilijsq; nouis cepta nephanda parant.
Sæua rebellantes coëunt in fœdera reges,
Vt summi impediant iussa verenda Dei.
Impia crudeles meditantur bella tyranni,
E medio vt tollant corda professa Deum.
Nec furor hic tantum reges inuasit, & illos,
Qui populos certa sub ditione tenent.
Qui præsunt templis, mystarum & nomina iactant,
Oppugnant ipsum turba maligna Deum.
Illi omnes ima delere à stirpe laborant,
Qui tradunt vera cœlica verba fide.
Quin etiam clamant rumpamus fœdus eorum,
Qui patimur tanta non patienda mora?
Quid dubitamus adhuc nostras opponere vires,
Atq; intentatum vi prohibere iugum?
Sed Deus è cœlis conatus ridet eorum,
Signaq; vindictæ dat manifesta suæ.
Ille suo pœnas iratus tempore sumens,
Consilia effectus non habitura premet.

Nam quamuis oculis quaſi conniuentibus illos
Nequitiam ad tempus continuare ſinit:
Supplicium certam tamen exigit vltor ad horam
Impietas illum fallere nulla poteſt.
Hei grauis, atq; ipſa, reis eſt digniſſima morte,
Aduerſus iuſtum bella mouere Deum.
Non armis diuina poteſt ſapientia vinci,
Omnia quæ nutu fecit, & eſſe vetat.
Ecce Deus regem ſtatuit ſupra alma Sionis,
Et ſupra Solymæ templa beata plagæ.
Ille Dei toto pandens oracula mundo,
Talia miranda nuncia voce feret.
Rex ego perpetuum deſcendens numen ab illo,
Qui ſine principio eſt, qui ſine fine Deus.
Profero decretum ſancti cœleſte parentis,
Hæc, patris ex ipſo eſt, vox mea miſſa ſinu.
Filius es, dixit, mihi tu dilectus & vnus,
Ipſe hodie dicar te genuiſſe pater.
Tunc vbi te ſæua reuocatum à morte videbo,
Inuictum regni ſceptra tenere mei.
Exige iure tuo, dabimus quodcunq; rogabis,
Nil poterit pietas noſtra negare tibi.
Hæredes dabimus largo tibi munere gentes,
Sub ditione tua veſper & Ortus erunt.
Nec tamen obſtabunt tibi ſæui impune Tyranni,
Hos premet imperij ferrea virga tui.

Hos

Hos ita compeſces figulus ceu percitus ira
Diſijcit irata concaua vaſa manu.
Talia gauiſo memorabit nuncia mundo,
Æterni veniens filius ille Dei.
Ille intercedens veteris pro crimine culpæ,
Aſpera cum ſæua prælia morte geret.
Tum victor domito referens ex hoſte triumphum
Et rex, & Dominus totius orbis erit.
Nec tantum populos Ieſſæo ſemine natos,
Imperio adiunget ſubdita membra ſuo.
Verum etiam gentes, quæ tantum Idola ſecutæ
Noticiam veri non habuere Dei.
Quem ſi qui renuent dominantem agnoſcere regem,
Hei qua ſupplicium conditione dabunt.
Tam facile hos poterit diſperdere funditus hoſtes,
Quam facile oppreſſos ferrea virga premit.
Quam facile abſcedens in plurima fruſta fatiſcit,
Cum quatitur figuli fictilis olla manu.
Ergo omnes populi venientem agnoſcite Chriſtum,
Atq; ipſi læta fronte parate viam.
Sed vos præcipuè reges, qui ſceptra tenetis,
Quos populi certa ſub ditione timent,
Tractata animi quibus eſt cuſtodia verbi,
Prælucere alijs quos pietate decet.
Diſcite iuſticiam moniti, & nõ temnere Chriſtum,
Vnica qui veſtræ cauſa ſalutis erit.

Discite non falsò Domino seruire timore,
Corrigat errores improba vita suos.
Huic humiles hilari simul exultate tremore,
Nec docili carêat prouida vita metu.
Excipite vnanimes cupidis amplexibus illum,
Illi per medias oscula ferte vias.
Qui genus humanum fraterno amplexus amore,
Dedita pro vestra victima morte cadet.
Quod monet ille loquens fraterno in corde fauore,
Accipiat grato vestra timore fides.
Quamq; ægris vltrò doctrinam mentibus adfert,
Hanc pietas regnis omnibus ante ferat.
Oscula ferte illi, dociles parete volenti,
Imperium tanti discite ferre Ducis.
Ne quando iustam vindex accensus in iram
Obruat armata crimina vestra manu.
Nam subitò iustum capit illius ira furorem,
Tempore quæ longo visa sepulta fuit.
Nec tamen is positæ placatur odoribus aræ,
Victima non iram Numinis vlla leuat.
Efficite vt sancti clarescat gloria verbi,
Gratior est summo functio nulla Deo.
Non amat externo delubra sonantia cultu,
Non amat impositò munera thure Deus.
Officia ex animo, fidoq; oblata timore
Respicit, & quorum est vnica causa fides.

Aure

Aurea marmoreis educere templa colossis,
Ponere miranda signa peracta manu,
Pontificum ingentes alere, & producere Pompas,
Res ea sinceræ nil pietatis habet.
Vestrum est per populos diuinũ extendere verbum,
Per quod saluificum pectora robur habent.
Qui tali officio Domino placuisse laborant,
In cœlo precium pro pietate ferunt.
At qui ceu longo deuicti corda veterno,
Respectum officij non habuere sui,
Obruet hos Dominus, nil quidquam talc timentes,
In media vt pœnas impietate luant.
O felix quicunq; Deo confidit, & illum
Per vitæ sequitur munia cuncta Ducem.
Insidijs Satanæ sæuisq; resiste Tyrannis
Fidaq; militiæ membra tuêre tuæ.
Vt minus à diris agitata Ecclesia monstris
Hæreat amplexu fida ministra tuo.
Et tibi quæ debet tranquillior oscula iungat
Et celebret laudes hic & vbiq; tuas.
Quod si nostra lues meruit cur sæuius hostes
In nos sanguineo prælia marte gerant,
Te tamen amplexu vindex ne subtrahe nostro
Nec nobis miseris oscula sancta nega.
Da vires animis, da nescia pectora frangi,
Vt possim in medijs hostibus esse tuus.

Non illæ horrendæ ſentit certamina mortis
Cui licet amplexu claudere fata tuo.
O mihi contingat ſupremæ tempore vitæ
Vltima in aſpectu fata ſubire tuo.
Quidquid erit tandem, mea ſpes eſt vnica Chriſtus
Hunc viuo, huic moriar, cætera curo nihil.

OSCVLAMINI FILIVM.

Locus ex ſecundo Pſalmo, carmine tractatus.

DVm vacat, et feſtæ celebrantur tempora lucis
Quâ Deus adſumpto corpore natus homo eſt,
Dumq; alius forſan lætis terit otia ludis
Et fallit leuibus tempora feſta iocis.
Ipſe rudi excipiam venientem carmine Chriſtum
Carmine non digno carmine digna canam.
Huc ades illuſtri Princeps ſate gente Georgi
Qui nomen merita pro pietate geris,
Te peragam cœptum velut inſpiciente laborem,
Quidquid id eſt debet nominis eſſe tui.
Inclyta cum caneret venturi oracula Chriſti
A patre qui ſanctum ducit Ieſſe genus.
Iam tum degenerum præcordia frigida Regum
Atq; fidem vero vix habitura Deo. *Iam*

Iam tum mente videns extremi tempora mundi
Innumerabilibus plena futura malis.
Aurea contactus cœlesti pectora flamma
Fecit ad argutam talia verba chelyn.
Ah sapite & tandem moniti resipiscite reges
Quos aliqua populi sub ditione timent.
Suscipite vnanimi cœlestem fœdere natum
Illius & sanctis oscula ferte genis.
Oscula ferte illi, tantumq; agnoscite regem
Illi ferte pio gaudia mixta metu.
Quam benè te prodis psaltes sanctissime, cum sic
Ad verum inuitas pectora nostra Deum.
Tu quibus officijs, tu quo excipiendus honore
Sit Deus, & quanto dignus amore, doces.
Talis Iessæum decuit resonantia plectrum,
Quid poterat tanto suauius ore cani?
In vitam æterna qui nos à morte recepit
Tali, non alio carmine dignus erat.
Quidquid in immenso pretiosum aut nobile mundo
Naturæ dici conditione potest,
Vilius est, vllo quam quod compenset honore
Munera, quæ populis præstitit ille suis.
Humani generis cum fundamenta locaret
Iamq; duos vnum iusserat esse Deus.
Indidit illorum cœlestem in pectora lucem
Noticiæ infundens semina certa suæ

Et vitæ præcepta dedit, veræq; salutis
Seruata iussit lege tenere viam.
Illi autem illustri præsentem mente videbant
Atq; animo ardebant non dubitante Deum.
Omnia præstabat nondum vitiata voluntas,
Quæ norant ipsi posse placere Deo,
Indoluit meritis damnatus Apostata pœnis
Nunc quoq; sæua pijs qui mouet arma, Satan.
Vtq; simul mendax, homicidaq; crimine gaudet
Insidijs miseris qualibet arte struit.
Ille voluntatem delusò in pectore fregit
Grata creatori quæ fuit ante Deo.
Tum primum humanæ propria inclinatio mentis
Deficit, heu summo facta inimica Deo.
Heu quantum toti nocuit tunc vnica mundo
Insidijs Satanæ fœmina facta nocens.
Iamq; odijs mutatur amor, iam mentis hebescit
Ante nitens acies, fit metus ante fides.
Friuola diuina pugnat cum lege voluntas
Et dubitat verum, qui iuuet, esse Deum.
Ante oculos meliora vident, peiora sequuntur,
Et duce mortifero fit ratione nephas.
Ergo Deus iustam vindex accensus in iram
Abdicat æternæ mortis vtrumq; reum.
Continuò ærumnæ miseros, duriq; labores
Excipiunt, vitæ duraq; fata premunt.

Seruitur

Cernitur ante oculos æternæ mortis imago,
Et ſpes amiſſa fracta ſalute iacet.
Nec minus effectum, quæ creſcite dixerat illis,
Magna creatoris lingua potentis habet.
Iam genus humanum creſcentem impleuerat orbem
Et fœcunda domus ſeminis omnis erat.
Auxerat & quantum populorũ acceſsio mundum
Nequiciæ tantum creuerat omne genus.
At tantam patrio turbam miſeratus amore
In veniam differt fata ſeuera Deus.
Promiſsiq; leuat nati pietate dolores,
Et iubet infracta vincere damna fide.
Iude diu præbens miſeræ ſolatia culpæ
Seruata á patribus ſpesq; fidesq; fuit.
Donec vt á pœnis damnatum liberet orbem
Filius æthcrea venit ab arce Deus.
Qui dum morte ſtudet lapſam reparare ſalutem
Heu quas ærumnas, vulnera quanta tulit?
Corporis humani mortales induit artus
Ex homine, & patrio numine natus homo.
À culpa vacuus, vitioq; alienus ab omni
Supplicio immerito crimina noſtra luit.
Vtq; ſacras veterum ritu mactandus ad aras
Sanguinea patiens concidit agnus humo:
Omnia ſic tolerans blaſphemæ opprobria gentis
Mortem ipſam doctus vincere morte fuit.

Vim

Vim Satanæ eripuit, necquicquam dira frementi
Ne posset solita fraude nocere pijs.
In genus humanum veterem renouauit amorem
Conditor affectus quo fuit ante Deus.
Imperiumq; suum toto instaurauit in orbe,
Luceat vt veri rursus imago Dei.
Abstulit à nobis æternæ funera mortis,
Perpetuæ vitæ gaudia vera dedit.
Hei miser ornari quicunq; hæc munera verbis
Posse satis digna pro grauitate putat.
Siue illi puero facundæ nuncia linguæ
Os vigilans dulci melle replerit apis,
Siue propinantes illi sua flumina Musæ
Obtulerint prompta pocula plena manu.
Hei nihil hic Rhetor, nihil hic nisi fabula Musæ
Hic omnis Clariæ copia fuget aquæ.
Vt celebrare omnes tantum debemus amorem
Sic efferre satis nulla loquela potest.
At talis tantusq; Deus, qui talia gessit
Qui sine principio est, qui sine fine Deus.
Non cupit externo ductos splendore triumphos
Nec curat memori fixa trophæa solo.
Non amat imbutas extis fumantibus aras
Quæq; sonent calidis thura cremanda focis,
Edita magnificis non vult spectacula ludis
Muneraq; antiquæ qualia gentis erant.

Oscula

Oscula si dederis huic talia qualia debes
Hæc ita victori gratia sola placet.
Et cessamus adhuc plenis stillantia labris
Porrigere, & tanto basia ferre Deo?
Cur non excipimus totis amplexibus illum
Pro meritis qui tam mitia dona petit?
Heu pudeat toties blanda nos voce vocatos
Qui properent celeres non habuisse pedes.
Verum hic non opus est pedibus vestigia quæri,
Nobiscum est præsens hic & vbiq; Deus.
Non opus externo officio, nec talia debent
Oscula præberi, qualia fingit homo.
Ah non sunt cupidæ natus dat qualia matri,
Aut fratri iungit qualia blanda soror.
Nec tantum à castis debent procedere labris
Sed puri potius pectoris esse decet.
Nam quicunq; suæ deplorans pondera culpæ
Certus ab hoc vno vindice poscit opem.
Ardentisq; fide Christo constanter adhæret
Illius & toto pectore iussa facit.
Is sua victori fert oscula qualia poscit,
Is iungit placido pectora chara Deo.
Hei mihi quam pauci præbent sic oscula Christo,
Præberi vt vera relligione decet.
Cur minor immenso pars Christum agnoscit in orbe
Maior & est veri nescia turba Dei?

Cur

Cur nos ſanguinei rabies premit impia Turcæ
Viuere qui Chriſtum neſcit, & eſſe Deum.
Ille animum infandum ſtygia caligine merſus
Impia blaſphemo milite bella mouet.
Funera funeribus cumulare, & fundere campis
Sanguineos fluctus inſtar euntis aquæ.
Supplicijs ciues, vrbes excindere flammis,
Omniaq; impoſito tollere iura metu.
Et vim matronis, & ſtuprum inferre puellis,
Et turpi obſcœnas cæde lauare manus.
Captorum ſobolem mactare ante ora parentum
Excruciare illos nec iugulare tamen.
Cumq; pijs, Chriſti diuinum extinguere nomen
Is fidei tantum vindicis eſſe putat.
Neſcius heu quantam cœli ſibi concitet iram,
Quem lædit tantum non videt eſſe Deum.
Qui nato meus es, meus es tu filius inquit,
Nil tibi larga manus noſtra negare poteſt.
Omnia ſubijciam vaſtum tibi regna per orbem,
Hæres & dominus totius orbis eris.
Sternit vt alliſis figulus vas fictile teſtis
Per medias ſpargens fruſta minuta vias.
Sic tua diſijciet, ſic conteret ira Tyrannos
Qui renuent ſceptri iura verenda tui.
Sæuiat ergo ferox, & fulmina ſpiret & ignes
Nouerit haud aliquem Turca tenere modum.

At tem-

At tempus veniet cum quæ nunc verberat orbem
Fracta etiam hæc turpi virga iacebit humo.
Tempus erit nostrum quod luctu in gaudia vertet,
Cum meritas pœnas bellua victa dabit.
Cum Deus hoc isto contundet robore cornu,
Vt figulus forti terrea vasa manu.
Stagnantes Scythico squalebunt sanguine riui,
Diripient auidi barbara membra canes.
Funeribus Geticis Eurus fumabit & Auster,
Et verum vt metuat discet vterq; Deum
Ad propiora vocat, cur impius Antichristus
Inuito peragit sacra nephanda Deo.
Qui sibi dum claues cœlestis vindicat aulæ
Adsectatq; ipso non minor esse Deo.
Nomnat in speciem Christum, quem verius odit,
Cui dominaturus si licuisset, erat.
Hac specie sedem certa sibi legit in aree
Vt fictæ luxum relligionis alat.
Hic potitur regno, totumq; inquirit in orbem,
Vt miseri populi corpus & ossa voret.
Promulgat leges quas scit ratione probari,
Et ritus quales mobile vulgus amat.
Interea sancto sacra negligit oscula Christo
Nec curat summi verba seuera Dei.
Taliaq; vt certis irrideat oscula signis
Exigit in turpes oscula fœda pedes.
At quantum sequitur monstrum execrabile vulgus
Hoc duce quod præceps in sua fata ruit.

Libera degeneris quod captans otia vitæ
Luxuriam falsa sub pietate colit
Abbates, Monachi, Missæ, Canonesq; professi
Nomina sunt ipso pene stupenda sono.
Qui Canones simulant & asoti cætera viuunt
Quos penes est vno phasq; nephasq; loco.
Seria qui iungis tractare negotia Christi
Et ficta in miseris ludere rebus ope.
Et ridere Deum, iactant sapere esse, sacramq;
Historiam tantum ficta parerga putant.
Ergo Dei immemores securi in tempora viuunt,
Et populi plena viscera fauce vorant.
Nec satis ingluuie peccatur, sponte sequentes
In genus omne illos fœda libido rapit.
Omnia quis memoret manifesti crimina luxus,
Auribus est etiam certus habendus honor.
His aliquis sancti memoraucrit oscula Christi
Protinus in risum turba maligna fluent.
Comprobet his aliquis cœlestis munera vitæ
Iustificaq; pijs dona paranda fide.
Protinus exclamant, subitum rapiatur ad ignem
Hæresis, ad nostram non facit ista scholam.
Arma mouete Duces (namq; his quoq; figere leges
Officij sancti pro ratione solent.)
Tollite susceptis odiosa catharmata bellis
Poscit vt hoc noster sicquoq; vester honor.

Quin

Quin illata volant iustis incendia flammis,
Debuit hic vindex quælibet esse manus.
Talibus atq; alijs reges hortantur ad iram,
Vt sua non iusto sanguine tela lauent.
Exulat interea, qui conspicit omnia Christus
Et miser & spretus cogitur ista pati.
Heu scelus immensum cum tot delubra per orbem
Ardua magnificus ducat ad astra labor,
Vix Christo exiguum nō magna Ecclesia templum
Exhibet, vnanimes audiat vnde preces.
Nec tamen illa potest communi pace potiri,
Sed premitur varijs hic & vbiq; malis
At dabit his etiam, qui conspicit omnia, finem,
Nec sibi fidentes deseret ille pios.
Et sua defendet fortissimus oscula Christus,
Et tandem meritis præmia iusta dabit.
Quod facit, eludat diuini oracula verbi
Bestia, & arbitrio torqueat illa suo.
Rideat vsq; Deum, paruo post tempore flebit,
Iam veniet tacito pœna propinqua pede.
In cineres vertat Christi mandata professos,
At sceleris pœnas hæc quoq; victa dabit.
Tempus erit, quando stagnantes missa per ignes
Impia sulphureis imbuet ora vadis.
Excipiens illam scelerum fraudisq; magister
Hæc quidquam immani rugiat ore Draco.

At populi qui sunt Christi mandata secuti,
Quorum ille excipiens oscula vera probat,
Perpetuò iuncti saluanti fœdere Christo
Æternæ hæredes posteritatis erunt.
Felices animi, veram quicunq; salutem
Vnius in meritis constituêre Dei.
Non illos populi fasces, non munera Regum
Magnarumue fames copia fregit opum.
Non illis oculos falso splendore replcuit
Censeri magnum quidquid in orbe solet.
Ardua quin recto petierunt sydera cursu
Lucis vbi vsuram non pereuntis habent.
Atq; vtinam pridem pietas antiqua maneret,
Quæ colуit vera simplicitate Deum.
Vna superstitio nec inanes fingeret vsus,
Nec premeret cultus impia Roma pios.
Aut homines certè geniti quem simus ad vsum
Vellet in officio quisq; videre suo.
Authorem neget ille Deum, quicunq; negarit
Nos natos veri cultibus esse Dei.
Namq; rudes primum mortales rara colebant
Arua, cohors matris crimine facta nocens
Post vbi senserunt, se semina ducere cœlo
Atq; aliquem mundum qui regat esse Deum,
Tunc primum amplexi iuncti consortia cœtus,
Tegmina vicinis composuêre casis.

Vtq;

Vtq; alios alij, de relligione docerent
Continguas Pietas iussit habere domos.
Hac vrbes structæ, hac lectus ratione Senatus
Iuraq; tranquillæ condita pacis opus.
Conditor hinc legum qui præsit pluribus vnus
A summo Princeps ordine nomen habet.
Huic data maiestas, qua vulgus mobile cogat
Seruiat vt vera relligione Deo.
Eloquar, an sileam? quotus est hoc tempore Prin-
Qui videat partis munus id esse suæ. (ceps
Quam numerus breuis est hac tempestate potentum,
Ad nos qui dicant pertinet istud opus.
Dum sua committunt ignauis munia fucis,
Aurum qui ficta relligione colunt.
Ipsi aut egregios studijs venantur honores,
Mollibus aut curis tempus inane terunt.
Aut noua funestis quærunt incendia bellis,
Mollia cur vitæ fata Lycaon habes?
Interea verâ qui relligione tuentur
Dogmata diuino quæ probat ore Deus.
Omnibus inuidiæ telis, odijsq; minisq;
Expositi semper quod vereantur habent.
Impia degeneres coëunt in fœdera reges
A Duce qui Christo nomen habere volunt.
E medio tollunt pia dogmata, falsa reponunt,
Quos ita cœcutos dira Tyrannis agit.

Sed mouet & reprobos verbis adfatur amicis,
Inq́ viam errantes Psaltria Musa vocat.
Discite Iustitiam moniti, qui regna tenetis
Et quibus est populi tradita certa salus.
Ferte Redemptori cum plausibus oscula Christo,
Excipite æterni iussa verenda Dei.
Non opere externo, vero præstate timore
Debita saluifico munera quisq́ Deo.
Suscipite vnanimes sancti mysteria verbi,
Discite non dubia mente timere Deum.
Illius in media vos ne impietate prehendens
Iusta repentinis obruat ira malis.
Vt summum est igitur, veros defendere cultus
Functio quo non est gratior vlla Deo:
Virtutem propriam sic Principis esse decebat
Noticiam in populis amplificare Dei.
Inde etiam Diui, cœliq́ vocantur alumni
Sincera cultus vt pietatis alant.
Huc oculos referant, animisq́ hæc verba prehen-
Qui populos iusta sub ditione tenent. (dant
Ducat in exemplũ patre natus ab Achate princeps
Qui tenuit Solymæ regia sceptra domus.
Iustitia nulli, nulli pietate secundus
Ille Deo adseruit quod decet esse decus.
Muta subornatis Idola remouit ab aris
Atq́ vni docuit corda fouenda Deo.

Defen-

Defendens q̃ pios inuicto pectore cultus
Inclyta pro populi bella salute tulit.
Reppulit Assyrium minitantem extrema Tyran-
Sæua Philistææ contudit arma manus. (num,
Nec piguit vera pro religione tuenda
Assiduis precibus sollicitare Deum.
Vel tum cum legeret, quas chartas miserat hostis
Orauit lachrymis qualibus ante Deum,
Summe Deus, gentis pater Israëlis, & author
Alta potens cœli qui super astra sedes.
Tu Deus es solus, totus quem contremit orbis,
Q̃ tua pendent omnia regna manu.
Huc age flecte meis faciles sermonibus aures,
Huc oculos facili dirige fronte tuos.
Dum tibi blasphemæ memorans opprobria linguæ
Scripta mihi rabido nuper ab hoste queror.
Qui iacit in cœlum fœdæ conuitia linguæ,
Et verum impuro conspuit ore Deum.
Namq̃ ait, ô vanam cur fallit opinio mentem
Nunc tibi, quæ curæ se putat esse Deo.
Nonne vides nostro vastatas milite terras
Victa per Assyrias plurima regna manus.
An ne putas solum nostri te fulmina mortis
Effugere, & vires posse caucre meas?
Ast vbi Rex Emathes, vbi Rex est Arphatis, omnes
Imperio pœnas nonne dedere meo?

Eoi fateor fecerunt talia reges,
Gentilesq; neci Marte dedere manus.
Ausi etiam flammis exurere templa Deorum,
In cineres versos igne abolere Deos.
Nam neq; Dij fuerant, sed erant idola, manuq;
Vel muto ex ligno vel fabricata topho.
At nunc magne Deus, Deus inuictissime noster,
Extra quem nullum nouimus esse Deum.
Tu pater infesto nos eripe Victor ab hoste,
Quid lacerat populos impius ille tuos?
Omnia quod solus facias, quodq; omnia possis,
Fac Deus in terris omnia regna sciant.
Talibus oranti, summo victoria cœlo,
Protinus à dextro numine missa venit.
Cæsa cruentatis sternuntur corpora campis,
Vna dies tutas conterit hostis opes.
Ipse fugam capiens diras dum stratus ad aras
Vota facit, sobolis cæsus ab ense cadit.
Ad Deus Achalidæ felicia tempora vitæ
Prorogat, & multo seruat honore senem.
Talis & Assaides Ammonide pressus ab hoste,
Ex hoc qui poterat ferre, petebat opem.
Hortatusq; suos, hymnos per castra canentes,
Credidit in solo spem superesse Deo.
At Deus insidias ipsos conuertit in hostes,
Mutua conserta qui cecidêre manu.

Talis

Talis Ioſias, quem fata inimica tulerunt,
Helchiades querulo quem gemit ore ſacer.
Hos alios q́ pari populum pietate regentes
Diuina iuuit pro pietate Deus.
At qui veſano diuerſum errore vagantes
Reſpectum veri non habuêre Dei.
Turpiter in media ſimul impietate prehenſi
Vindice ſupplicium ſæpè dedêre Deo.
Cum Pharao inſtructis gentem Iſraëlitida turmis
Per medias vrgens inſequeretur aquas,
Æquora diuinæ diſiecit ſpiritus iræ
Area per medias ſæua patebat aquas.
Parte ab vtraq́ alti ſtabant ceu mœnia fluctus
Quos ita miranda fixerat arte Deus.
Gens dilecta Deo nudas tranſibat arenas,
Fugit & hoſtiles per vada tuta manus.
At ſimul & vires & cœci pectoris iram
Dum putat in medijs pondus habere vadis,
In medijs perijt Pharao temerarius vndis
Ante homines pariter turpis, & ante Deum.
Quid quod Amorrhæos, quando Deus vltor in ho-
Deijceret larga ſaxea tela manu, (ſtes
Attonito ſtabant & Sol & Luna rubore
Horrida ſpectantes vindicis arma Dei.
Vt Deus eſt, Deus ille vnus, rerum q́ creator
Contemptum neſcit ſic quo q́ ferre ſui.

Ieſsidæ toties meditatus funera Saulus
Supplicium proprio perditus enſe dedit.
Ioras aſsiduis cruciatibus ilia preſſus
Cum putri vitæ ventre reliquit onus.
Matris Athaliades temerè præcepta ſecutus
Succeſſore ſuo cæſus ab hoſte fuit.
Sachariam vatem lapidari iuſsit Ioas
A famulis cæſus occidit ille ſuis.
Omen in exemplo eſt, quid prodeſt plura referre?
Plurima nunc ratio temporis huius habet.
Sed quo præcipitem pleno rapit alueus amne
Vix tenet elapſam per mare Muſa ratem.
Docte laboranti princeps ſuccurre Georgi
Quod cœpti melius te duce, carmen eat.
Non ego, quod decuit, meditatus talia ſcribo,
Res eſt ingenio ditior illa meo.
Verum animi prima ſicut tulit impetus aura
Oſcula diſparibus clauſimus iſta modis.
Non animi iuuenilis opus ſanctiſsima Chriſti
Oſcula pro meritis ſcribere poſſe ſatis.
Optime tu Princeps cœpto ſuccurre labori
Materia ingenio conuenit iſta tuo.
Tu potes, & rerum longo prudentior vſu
Dignior & tituli præſul honore tui.
Eſt tibi ſitq; precor, quod ad omnia maxima natum
Dixeris, ingenium non ratione minor.

Est tibi facundæ verè Attica gratia linguæ,
Verba velut dulces fundis ab ore fauos.
Inde ſacræ verum ſcripturæ intelligis vſum,
Adſeris & populo dogmata vera tuo.
Vtq; bonus Paſtor, pecus omne à peſte tuetur
Morbida ne totum ſauciet agna gregem:
Sic vigilas arcesq; tuis contagia templis
Quæq; nocent animis ſæua Venena caues.
O dignum pridem, quo præſule Mœnus & Albis
Aſſerat inuicta dogmata vera fide.
Et niſi fatorum ſeries hæc tempora fallit,
Si verè Vranie ſydera certa notat,
Tempus erit quando votis electus, habebis
Magnifici præſul maius honoris onus.
Non tamen vt fulua redimitus tempora vitta
In media faſtu plebe ſuperbus eas,
Dij tales animos, dij talem auertite peſtem,
Non cadit in tantum vis vitioſa decus.
Sed magis vt populos vera pietate gubernes
Non ſceptro tantum ſed pietate potens,
O lux hæc patriæ felici prodeat ortu
Aurea quæ ſecum lecta referre velit.
Interea miti præbebimus oſcula Chriſto,
Quem precor vt placida nos tueatur ope.
Chriſte ſalus mundi, placidæ da tempora pacis,
Pro nobis ſolus tu pia bella geris.

PSALMVS VI.

Domine ne in furore tuo &c.



Mnipotens & viue Deus, iustissime vindex,
Qui titulum summi principis vnus habes,
Ne repetas iustas hoc fœdo à pectore pœnas,
Dum tua legitimas concipit ira faces.
Concitat ardentem tibi cum mea noxa dolorem,
Ne mihi sit mortis causa fuisse reum.
Sed tibi quod magis est proprium, miserere dolenti
Dum mea derecta crimina mente fleo.
Nam iaceo & grauiter vitioso langueo morbo,
Natura est quæ me non sinit esse bonum.
Hoc queror, hoc doleo, fœcundoq; ingemo luctu
Quodq; aliter nequeam, lugeo, posse velim.
Tu medicas mihi tende manus mea vulnera sana,
Vulnera letali noxia peste mihi.
Ecce velut Boreas graciles conquassat aristas,
Sic mea continuus concutit ossa dolor.
Corporis & pariter laceri sum pectoris æger,
Atq; animæ languet vis mihi tota meæ.
Quo tamen vsq; Deus squalorem hunc cernere &
Mentis ad auxilium lentior esse potes? (ægræ

Ecquod

Ecquod erit tempus mihi quo ſolatia rurſus
Adferat à vultu gratia miſſa tuo?
Redde Deus faciem, placidoq́ reuertere vultu,
Qui nunc à vitijs ſubtrahis ora meis.
Sum licet indignus, dignum tua gratia reddat,
Pelle potens animæ funera ſæua meæ.
Cum tua ſit lapſis miſereri propria virtus
Hac etiam ſaluum me precor eſſe velis.
Nam tibi ſi patrio niſi tu cui ignoſcis amore
Nemo receptus erit: nemo receptus erit.
Omnes horribili ſontes horrore peribunt,
Tu niſi gratuita quemq́ leuabis ope.
Perdere poſſe tuum eſt, nec me meruiſſe negabo
Sed tibi ſeruatus pars quoq́ laudis ero.
Tu mihi miratus inter celebrabere gentes,
Et tua perpetua nomina laude canam.
Nam dum luc̃ta grauem curis premit anxia men-
Auxilij poſsit quis meminiſſe tui. (tem
An cui culpa viam ſtygias deſcribit ad vndas
Fortiter vt debet te celebrare poteſt?
Heu quantum gemitus fudi, quantumq́ doloris
Exhauſi faciem ſqualidus ante tuam?
Nunc quoq́, ſi fletu mea tolli crimina poſſent,
Nulla queat lachrymis hora vacare meis.
Flenda tamen fleui, facies mihi ſqualida donec
Et lachrymis ſtantes obriguere genæ.

Tu flendi vis esse modum, finemq; doloris,
Et tibi vita dolens, non lachrymosa placet.
Vtq; tua sontis dolor in bonitate quiescat,
Spemq; fide capiat non dubitante, cupis.
Iam fugite & rapido submota recedite cursu
Omnia mortiferis monstra stipata malis.
Semina quæ vitijs seritis segetemq; malorum,
Spargitis, & promptas ad scelus omne faces.
Cede Draco proprio per te damnate furore,
Cede procul telo mors iugulata tuo.
Cede lues morbi sanies cede effera cordi,
Non ego vos metuo, vindice viuo Deo.
Tu mihi plena fide toto mens ardua cœlo
Ingrediens veniam dante capesse Deo.
Ille dat & misso diuinæ germine mentis
Omnibus ægrotis pharmaca grata dabit.
Fide Deo tantum, si quid nescire putatur
Fidentem nescit deseruisse Deus.
Ille mihi renouans vires & robora firmans
Propitia gemitus percipit aure meos.
Ille meas audire preces properauit, & à me
Vulneris opprobrium sustulit omne mei.
Dum loquor, ecce mihi monstra insidiata feruntur
Cum turpi in celerem versa pudore fugam.
Vtq; Notus rabido perrumpit nubila cursu
Atq; ala propere non reuolante fugit:

Sic

Sic dare terga meos ex tempore turpiter hostes
Gaudeo, & muicto pono trophæa Deo.
Hæc tibi summe Deus per te seruatus opima
Peccati nuper munera reddo Deus.
Cor sua facta dolens, doctam tibi credere mentem,
Cumq; fide memores ad tua dona preces.

PSALMVS XXIII.

Deus est Pastor meus.

PRædicat suauissima pictura pastoris & ouiculæ mox etiam apparatus regij conuiuij, tum spiritualia, tum corporalia beneficia Dei omnemq; prouidentiæ diuinæ bonitatem & munificentiam erga eos, qui verbo diuino renati atq; illustrati, Deum verè timent & celebrant.

IT Deus est pastor meus, & me ducit euntem,
Eius & ad nutum pabula sector ouis.
Hoc præsente mihi contagia nulla nocebunt,
Nil mihi præsidij, copia nulla deest.
Namq; vagam reuocans in pascua pinguia misit,
Et læto irrigui gramine pascit agri.
Fontis & illimes ad aquas deduxit amæni,
Vnde aura optati grata vigoris abit.
Hic mihi languentes instaurat suauiter artus,
Hic animæ recreat viscera tota meæ.

Ille

Ille mihi custos, recto me tramite ducit,
Iusticiæ tutum, qua via monstrat, iter.
Nomen ei iustus, causa mihi nominis vltrò,
Iusticiæ donat robur & arma suæ.
Hinc etiam mortis si cæca in valle vagabor,
Militiæ metuam nulla pericla meæ.
Tu quoniam mecum Deus es, tu pastor euntem
Et tegis, & tutò tramite ducis ouem.
Vera mihi præbent dulci solatia fructu,
Virga tua, & baculus muneris arma tui.
Virga tua & baculus, verbi diuina potestas,
Ferrea quod subito corda tremore quatit.
Hæc ego dum lætor, te sic curante parata est
Ante oculos splendens regia mensa meos.
Scilicet vt videant, intabescantq; videndo,
Qui mihi perniciem nocte dieq; parant.
Tu mea Balsamea perfundis tempora Nardo,
Vnde abit in totum cor mihi suauis odor.
Addo quod & latices mihi te miscente salubres,
Mensura est calicis, plena fluensq; mei.
Ergo ego dum carpam concessæ pabula vitæ,
Donec in hac mundi fece superstes ero.
Me tua contiguo præcedet gratia passu,
Me tua non renuet cura paterna sequi.
Sic habitabo tui felix sacraria templi,
Perpetuoq; domus me teget vmbra tuæ.

Discite

Discite mortales, summum Decus esse, bonumq;
Vnius in templo posse manere DEI.

PSALMVS XXIIII.

Domini est terra &c.

VAticinium de glorificatione, regno, & potentia Christi, de colligenda Ecclesia, & de Vocatione gentium.



Vem penes est rerum dominandi summa potestas,
Cui par nemo vllis viribus esse potest.
Illius & cœlum est, & terra, & quicquid in illis
Naturæ toto claudit in orbe sinus,
Bruta, feræ, volucres, & qui præstantior illis
Conditus, & proprio crimine lapsus homo est.
Omnia diuino nam condidit ordine & author
Omnia diuina pro bonitate fouet.
Altaq́ fundatas struxit super æquora terras,
Grandeq́ suppositio gurgite fulcit opus.
Quem tamen ille suam recipit dominator in aulam
Imperij membrum quem cupit esse sui?
Viuere quem sanctæ dignatur in arce Sionis,
Et regni proceres inter habere locum?
Cui puræ cum corde manus, cum mente voluntas
Integra, quod possit lædere, nescit opus.

Cui

Cui non vana leuem corrupit opinio mentem,
Cui procul est omni lingua aliena dolo.
Hic decus accipiet tanti & commercia regni,
Imperijq; huius clarus alumnus erit,
Semper & à Domino veram saluante salutem
Et veras animi diues habebit opes.
Hæc est progenies, hoc nobile germen eorum,
Quos iuuat ex ipso quærere corde Deum
Quos exempla trahunt Iacobææ prœuia gentis,
Vt cupiant docili mente placere Deo,
Et sitiunt culpam vitæ emendare prioris,
Et bona sincero pectore vera sequi.
Qui regitis populos, rerumq; tenetis habenas,
Floretis celebris quotquot in orbe Duces,
Pandite quisq; fores, portasq; recludite mundi,
Cedite, per medias strata parate vias.
Inclytus vt meritò rex ingrediatur honore,
Cui soli est omnis semper habendus honor.
Iste quis ò rex est, cui gloria competit vni?
Cui soli ante alios omnis habendus honor?
Ille est omnipotens, ille vnicus arbiter æui,
Quo nihil hæc rerum machina maius habet.
Pandite quisq; fores, portasq; recludite mundi,
Cedite, per medias strata parate vias.
Inclytus vt meritò rex ingrediatur honore,
Cui soli est omnis semper habendus honor.

Ille

Ille quis ô rex est, cui gloria competit vni?
Cui soli ante alios omnis habendus honor?
Ille est, imperij cui robore, viribus, armis,
Nec populosa fouet terra, nec astra parem.
Ille est, qui solus bellare, & vincere nouit,
Cuius ad incessum terra polusq́ tremunt.
Qui domita retulit victa de sorte triumphum
Quem penes est viris vita beata bonis.
Hic rex, hic dominus, cui gloria competit vni,
Cui soli & omnis semper habendus honor.

PSALMVS XXXII.

Beati quorum remissa sunt &c.

Delices animos, totoq́ ex esse beatos,
Est quibus admissi gratia facta mali.

Tecta quibus patrio delet peccata fauore,
Impitat iratus nec malefacta Deus.
Atq́ adeo ex animo qui vitæ errata dolentes
Accipiunt nullo corda quieta dolo.
Nanq́ ego dum taceo non ausus cuncta fateri
Crimina, quæ culpæ causa fuere meæ?
Duriter affecti dum lugeo more Leonis
Dum querulis longis noctibus æquo dies.

Omne mihi veluti vacuatum ſanguine corpus
Debile vix ipſis oſſibus hæſit opus.
Dumq́ tua videor dextra, ceu mole grauari,
O Deus, & pœnam nocte die q́ tremo,
Omnis ab hoc abijt natiuus corpore ſuccus,
Hauſtus vt æſtiui deficit humor agri.
Ergo tibi mœrens mea crimina cognita feci,
Pectore nec texi diſſimulante ſcelus.
Quin mea, dicebam, Domino delicta fatebor,
Ante Deum & quicquid me facit eſſe reum.
Nec mora, facta meæ condonans impia culpæ
Supplicij impendens omne remittit onus.
En omnis veniam cauſſa te poſcet eadem
Mens etiam certa iuſtificata fide.
Et nunc præcipuè cum vulnera ſentiet ægro
Pectore, tunc veniæ dextra parata tua eſt.
Viuimus & pariter ſequimur veſtigia mortis,
Hac vna miſeri conditione ſumus.
Mente reluctantes ſed quod non cedimus hoſti
Hoc minimè eſt noſtri ponderis, omne tuum eſt.
Sicut equus graditur planis animoſus in arduis,
Et tamen offenſa ſæpè reſultat humo:
Sic ſedet hic aliquo ſubmiſſior impetus ictu,
Quo tibi coniungit pectora noſtra fides.
Tu tamen exaudis memori te mente vocantes,
Et gaudes dubiæ præſtò venire rati.

Vtq́

Vtq; leui quoties currus præteruolat axe,
Iuncta viæ messis deijcit icta caput.
Sic, quoties aliquo titubant pia pectora lapsu,
Adflatu surgunt ædificata tuo.
Atq; emersa malis, vires & robora sumunt,
Vt pia, ceu poscis, se tibi vita probet.
Et licet infesto pius vndiq; & vndiq; ponto
Nauiget, & tumidas fluctuet inter aquas,
Non tamen hunc audent vicini accedere fluctus,
E medio tandem turbine tutus abit.
Tum quoq;, iactarer cum sæuis vndiq; ventis,
Venisti misero portus & aura mihi.
Hoc memini, hoc grata nunquam non mente recor-
Tu mihi præsidium es, tu mihi dulce decus. (dor
Nunc quoq; digneris præsens seruare vocantem,
Vt tua seruatus nomina laude feram.
Dum loquor, ecce mihi cupidas immissa per aures
Reddidit è cœlo talia verba sonus:
Ergo quiesce animo, nec te mora parua fatiget,
Quam petis adflictis affero rebus opem.
Ipse tibi doctæ formabo mentis acumen,
Vt teneas verbi dogmata vera mei.
Et doceas seros eadem syncera nepotes,
Nominis & viuas lætus amore mei.
Teq; meo ducens oculo, tibi præuius ibo;
Omne pius facies me duce tutus iter

Nulla tibi aduerſis oberit fortuna periclis,
Fortior innumeris hoſtibus vnus eris.
Immemores animi, qui ſic vt bruta feruntur,
Reſpectum propriæ nec rationis habent.
Ponite deſidiam, nec inertes æmula mulos
Veſtra nec indomitos vita imitetur equos.
Quos ita delectat iuſſa ſine lege vagari
Hi rigida aſſiduo facta dolore ferant.
Hos opus eſt preſſos mordacibus vrere frenis,
Vt videant proprium ſe meruiſſe malum.
Multa quidē tolerat, quem lubricus abſtulit error,
Sed culpæ veniam, qui reſipiſcit, habet.
Qui vitia agnoſcit, dolet, & diſcedit ab illis,
Et veniam à ſolo ſperat opemq; Deo.
Ille coronatus diuini fronde fauoris
Se placidum verè norit habere Deum.
Plaudite lætitia, pleno gaudete triumpho,
Acceptos Domino quos facit eſſe fides.
Cedite qui falſa trahitis pietate dolorem,
Non recipit fuco pectora tincta Deus.
In ſolo lætare Deo, qnicunq; ſalutem
Pectore nil tacitæ fraudis habente petis.

FRAGMENTVM
Pſalmi XXXIIII.

GRata



Rata Deo memori dicam præconia versu.
Donec in hoc aliquis corpore sensus erit.

Semper ab ore meo laus illius ampla sonabit,
Dum potero linguæ plectra mouere meæ.
Seu tua me dubijs doceat confidere rebus
Peruigil in mores cura paterna meos.
Seu mihi de pleno reddas solatia fonte
Victor vt incedam per mala cuncta Deus.
Quidquid ero, quidquid mihi vitæ obuenerit vsu,
Te celebrante tibi carmine gratus ero.
Certè anima hæc pridem sua gaudia prædicat in te,
Numinis & tollit se bonitate tui.
Exemplum vt capiant humiles & mentibus ægri,
Quos sua delicti pondere culpa premit.
Et mecum assuescant diuinum inquirere fontem,
Plena Deo miseris prouenit vnde salus.
O quoscunq; iuuat coetus pars parua vocari,
Qui verè æternum nouit amatq; Deum:
Hinc agite, & mecum Dominum celebrate potentem,
Illius efferri nomen ad astra decet.

PSALMVS XXXIIII.

DVm sua continui deuoluent tempora motus,
Dum peragent certas noxq; diesq; vices,

Namq; in laude tua mihi cor animusq; quieſcit,
Et veniunt animæ gaudia plena meæ.
Audiat hoc ſi quis fortuna preſſus acerba
Sollicita certam mente requirit opem.
Audiat, & poſito capiat noua gaudia luctu,
Et ſciat adflictis pendeat vnde ſalus.
Quiſq; Deo mecum plaudens Encomia dicat,
Arduaq; illius nomen ad aſtra ferat.
O ſocij vnà omnes merito hunc celebremus honore,
Huic ſonet vnanimi concio grata choro.
Cur ita? conſului Dominum, cum triſtia ferrem,
Et reſponſa mihi ſponte benigna dedit.
Auxilium à Domino precibus votisq; petiui,
Auxilium precibus protinus ille dedit.
Ille ferè extinctum me conſeruauit ab omni
Sæua, vrgente, graui, fraude, dolore, metu.
O quicunq; oculis ceu rerum obiecta videntes
Ad Dominum toto corde videre volunt,
Non hos aut facie triſtari, aut pectore labi,
Aut vltrà finem ferre dolenda, ſinit.
Inuocat è mædijs Dominum quicunq; periclis,
Ponit & in ſolo ſpemq; fidemq; Deo.
Non fortuna potens graſſantibus vlla procellis,
Non huic Impietas viſq; doloſa nocet.

Sed

Sed Deus hunc placida dignabitur aure vocantem,
Et tutum faciet tristibus esse malis.
Siue diuturnos tolerans in corpore morbos
Pressa fatiganti membra dolore trahit:
Siue animi sentit, quo non est sæuius, vlcus,
Et stimulans alto pectore vulnus habet.

FRAGMENTVM
Psalmi XLV.



Irginea sanctum celebrans cum coniuge sponsum
Inclyte, te læto carmine, Christe, canam.
Carmina grata Deo, dulci spirantia versu,
Iampridem ex imo cor mihi fonte sonat.
Quidquid in hoc radius diuinæ pectore lucis,
Efficit, id viuo seruiat omne Deo.
Vt uolat ingenio scriptoris penna ualentis,
Dum rapitur celeri litera ducta manu:
Sic mihi sensa meæ Christum celebrantia mentis
Funde mihi prompto lingua diserta sono.
Inclyte Messia, nostræ promisse saluti,
Quàm pulchrè ingrediens sponse decore uenis.
Nemo tibi est forma similis, pulcherrime princeps,
Quàm latè hic hominum cœtus in orbe sonat.

Ex oculis tibi lucet amor, frontemq; serenat
Gratia, in incessu est gloria vera tuo.
Quacunq; ingrederis miti clementia vultu
Propicium miseris te docet esse Ducem.
Ad latus incedit bonitas de numine cuius
Hoc voluit sapiens nomen habere Pater.
Mitis erga omnes, qui te non sponte repellunt,
Largus erga omnes qui tua dona petunt.
Tunc quoq; cum mœsto luctantur pectora planctu
Ante Deum culpæ consci a facta suæ.
Cum malè se expediens, Naturæ lucta repugnat
Iusticiæ, & temerè commouet arma, tuæ.
Tu veluti gladio pugnantem accinctus in hostem
Diminuis verbo saxea corda tuo.
Cedentemq; malis, venia dignaris, & vltrò
Susceptum dextræ protegis ense tuæ.
Ergò age victor ades, gladiumq; accinge micantem,
Est gladius verbi vis animosa tui.
Hoc vbi corda ferit, penetrans victricibus armis
Subiugat imperio corda superba tuo.

PSALMVS XLVI.

Deus nostrum refugium.

AGit gratias pro defensione Ecclesiæ & conseruatione doctrinæ de filio Dei.

PEr



Er varios casus, per tot discrimina vitæ
Auxilium à solo nouimus esse DEO:

Pendet ab hoc uno nostræ fiducia mentis,
Omnia qui certo numine clausa fouet.
Hoc est, cur dubiam fati aspernantia sortem
Non aliquo rigeant pectora nostra metu.
Omnia vt extremam trahat eluxata ruinam
Machina quæ vasti sustinet orbis opus:
Sæuiat insano commotus turbine pontus,
Et scopulos tumidi sorbeat vnda freti:
Sancta Dei æternum tamen vrbs immota manebit,
Stabit & ad fontes semper amœna suos:
Proferet & dulci frondentes germine plantas,
Et fructus lolio non vitiante dabit.
Illic fixa tenet sancti tentoria regni,
Qui summi titulum principis vnus habet
Illic omnipotens sanctas quas condidit arces
Ipse colit populi duxq; paterq; sui.
Suetus & optatam præsens adferre salutem
Ipse tegit forti mœnia sancta manu.
Eius vbi intonuit celeres vox missa per aures,
Omnia continuo mota stupore tremunt.
Attonito trepidant peruersæ pectore gentes,
Exitiumq; animo deficiente trahunt.

Terra quoq́, & terris latè dominantia regna,
Quamlibet humano robore fulta ruunt.
Et nobis aliquod ſubeat præcordia frigus?
Qui nos tam ualidum ſcimus habere DEVM.
Dexter adeſt nobis ſumptis pulcherrimus armis,
Dux bonus & miles, Victor ubiq́ Deus.
Quem genus Iſiadæ fuit immortale profeſſum
Semper erit nobis portus & aura DEVS.
Huc agite arrectæ lumen conuertite mentis?
Propitio curæ quos iuuat eſſe Deo.
Grandia facta Dei memores ſpectate tonantis,
Qui fatuo tantas ſpargit in orbe uices.
Quem penes eſt unum ſæuos compeſcere motus,
Et populis pacem reddere quando libet.
Ille poteſt ualidis effringere uiribus haſtas,
Telaq́ ceu plumas comminuiſſe leues.
Ille Gygantheas doctus contundere ires,
Arma tenet forti Geryonea manu:
Ignotos etiam currus, flammasq́ volantes
Illius exigua diſſipat ira mora.
Ferte ferenda pij, iuſtos tolerate labores,
Ne doleat paruæ tempus abire moræ.
Ne trepidate metu, nec vos malus auferat error,
Ipſe ego vobiſcum ſum ſine fine DEVS.
Iam mea quin etiam per iniquas gloria gentes
Fulgebit tituli grandis honore ſui:

Et de me faciet verus præconia rumor,
Quam latè aërio terra ſub axe iacet.
Dexter adeſt nobis ſumptis pulcherrimus armis
Dux bonus, & miles, victor vbiq; DEVS.
Quem genus Iſacidæ fuit immortale profeſſum
Semper erit nobis portus & aura DEVS.
Huc agite arrectæ lumen conuertite mentis,
Propitio curæ quos iuuat eſſe Deo.

PSALMVS LI.

Argumentum Pſalmi.

ANte Deum fædo Ieſsides crimine lapſus (cces.
Has lachrymis madido fudit ab ore pre
Conſcia mens culpę cum triſtē ſentiet iram,
Et fugient iuſtum territa corda Deum,
Non fruſtra gemitus inter, lachrymasq; fluentes
Hæc dicet ſummo carmina grata Deo.

Mitis vt es miſeris preſsis vt ſponte benignus,
Vt tua perpetuum gratia nomen habet,
Sic lapſo ſuccurre Deus, miſerere precātis
Dum iaceo vultum ſordidus ante tuum.
Vt tua propitio clementia plena fauore eſt,
Vt tibi multiplici cor bonitate graue eſt:
Sic extingue meæ delicta audacia vitæ,
Mitis & omne meum criminis aufer onus.
Ablue peruerſo fædas à pectore ſordes,
Et mundum à vitijs me tibi redde meis.

Nunq

Namq; meæ agnoscens horresco crimina vitæ,
Pœnitet & tota mente fuisse malum.
Ante meos oculos culpæ mihi pendet imago,
Et mecum vitium pugnat vbiq; meum.
Ah tibi peccaui, coram te talia feci,
Quæ faciunt trepido me tibi corde reum.
Ante tuum sistit me propria culpa tribunal,
Ipse mei [illegible]uius crimine causa fui.
Sic tamen hoc cecidit, sic me meus abstulit error,
De venia cogar ne dubitare tua.
Sed verum vt maneat, semper mortalia labi
Corda, vel illa tibi quæ renouata placent,
Vt verum obtineas qui criminis arguis omnes,
Eq; tuo solo pectore mittis opem.
Vt vincas de te linguas absurda loquentes,
Cum lapsis veniam te dare velle negant.
Ecce meas traxi vitiosa ab origine sordes,
Cum noua adhuc grauidæ massa parentis eram.
Et morbosa trahens longæ contagia culpæ,
Tabifico accepit me mea ventre parens.
Ecce eteni m gaudes verum sermone loquentis,
Nec tibi picta vllo verba colore placent.
Non placet externo probitas tibi splendida cultu
Pectoris at gemitus interioris amas.
Et tua quæ fatuo non est sapientia mundo
Cognita, te solo cognita dante mihi est.

Vt

Vt diuina tui norim mysteria verbi,
Promissoq; fides stet mea firma tuo.
O Deus Hyssopi foliis absterge iacentem,
Et propere ex illo tempore purus ero.
Vt mala Mosaicæ quondam contagia gentis
Illa potens iussu sustulit herba tuo.
Excipit à tanta miserum tua gratia culpa,
Quæ miserè lapsos sola leuare potest.
Ablue tu morbos animi, tu pectoris aufer
Sentinam, ac vitij tolle venena mei.
Tunc ego qui mersus fœdis in sordibus hæsi,
Corda geram molli candidiora niue,
Tunc iucunda tui seruato gratia verbi
Reddita, dulce meis auribus omen erit.
Ipsa mea exilient & plausibus ossa sonabunt,
Conquassata graui qui iacuere metu.
O auerte meo læsos à crimine vultus,
Elue delicti pondera magna mei.
Cor mundum, cor labe carens, cor criminis expers
In me iudicio gigne recente Deus.
Intima diuino renouà mea pectora motu,
Qui mea perpetua viscera lege regat.
Ne procul à vultu, miserum me explode paterno,
Ceu dignum æterna morte perire reum.
Nec cœleste sinas à me discedere numen,
Quod facit arbitrio pectora sancta tuo.

Redde

Redde tuæ lapſo ſolitia certa ſalutis,
Vt capiam auxilio gaudia vera tuo.
Vimq́ mihi mentis, quæ labi neſciat, adde,
Quæ te non dubio ſemper amore colat.
Sic tua degeneres paſſim mandata docebo,
Vt cupiant nota tutius ire via.
Protinus ex animo reprobi ſua facta dolebunt,
Omnis & immunes criminis eſſe volent.
Agnoſcent animis ex te pendere ſalutem,
Turba graui culpa quodlibet auſa ſcelus.
Supplicè te veniam rogitabunt pectore ſontes,
Atq́ tuum grato nomen in ore ferent.
Mi Deus horrendæ pœnis me ſubtrahe mortis,
Perpetua ô animi ſpesq́, ſalusq́, mei.
Vt mea doctiloquo formans præconia motu,
Iuſticiam celebret lingua ſonora tuam.
Tu dignare ſinus labiorum aperire meorum,
Vt referam laudes ore ſonante tuas.
Da mihi vim vocis, dá doctæ flumina linguæ,
Vt tua perpetua nomina laude canam.
Nam ſacra ſi fuſo fumantia ſanguine malles,
Præſtiterim templis forſan & iſta tuis.
Sed te nec tepido taurorum imbutà cruore
Ara, nec impoſita ſtrata bidente iuuat.
Anxia mens propter culpam, mœrorq́, pudorq́
Grata ſalutifero ſunt holocauſta Deo.

Cor

Cor lachrymans intus, culpæq́ dolore gemiſcens
Ad te aditum recto tramite ſemper habet.
Hoc nunquam abijcies, nunquam aſpernabere, ſir-
Si tamen adiungat vota, precesq́ fide. (ma
Hoc etiam toto ſupplex te pectore poſco,
Sancta Deus regni membra tuere tui.
Sit tibi curæ altæ rupes veneranda Sionis,
Perpetuus verbi eſt exitus vnde tui.
Cœpta fac eductas attollant mœnia pinnas,
Grande quibus Solymæ cingitur vrbis opus.
Fac firmata pio felix Eccleſia cœtu
Creſcat, & auxilio ſit ſtabilita tuo.
Voxq́ ſalutiferi latè ſonet inclyta verbi,
Et pia cœleſtis corda lucretur amor.
Tunc tibi iuſticiæ perſoluent munera gentes,
Et veras fructus ex pietate ferent.
Hæc tua grata Deus præſens holocauſta probabis,
Hi vituli grati muneris inſtar erunt.

INITIVM PSALmi LVII. Cum fugeret à facie Sauliſ in ſpeluncam.

Miſerere mei Deus.



Ic agitata timens vrgentes cerua Molestos
Effugium nemorum per loca densa petit.
Iactor & exagitor, dum me premit impius hostis
In vitam iaciens ignea tale meam.
Quis locus oppresso, quæ suscipit vmbra cadentem,
An mihi spes certa nulla paratur ope.
Sæpè fugax ales, dum vis properantior vrget,
Excipitur manibus caste colone tuis,
Nulla mihi ex hominum spes est capienda fauore,
Res est inuidiæ plena nocentis homo.
Tu miserere mei, miserere dolentis & ægri,
Hoc cuius proprium est munus opusq; Deus.

PSALMVS DAVIDIS LXV. Te decet Hymnus.

Argumentum.

AGens Deo gratias, prædicat & celebrat diuina beneficia, in Ecclesia, in politia, & in Oeconomia. I. Celebrat Deum, quod donato verbo colligat Ecclesiam, & conseruet verum cultum, in vera agnitione & fide. Deinde autem describit iustificationem ex fide, tum negat humanis viribus vllum mortalium conciliari Deo, sed docet à Deo recipi, & assumi peccatorem gratuita misericordia. Hanc vocat admirandam iusticiam, quæ imputatur agenti pœnitentiam & credenti

credenti in Christum. II. Celebrat politiæ constitutionem, ac docet Imperiorum & Magistratuum gubernationem regi diuinitus, agitq; gratias pro conseruatione pacis, & profligatione bellorum. III. Amplificat beneficia, quæ ad Oeconomiam, & sustentationem vitæ ciuilis pertinent, & laudat prouidentiam DEI, quod mitissime prospiciat generi humano, de omnibus, quæ ad victum & vsum vitæ necessaria sunt, eaq; cumulatè ac miraculosè omni tempore suppeditet. Hæc pars Psalmi ita tractatur figurata oratione, vt allegoria recte ad conseruationem Ecclesiæ accommodari possit: Nec enim dubium est Metaphoricè dici, fonticulum Dei semper abundare aquis, & vestigia Dei stillare pinguedinem, quod de Ecclesiæ conseruatione & propagatione Doctrinæ recte intelligitur.

TE memorans dulces semper meditabitur Hymnos
Mens mea lætificâ pace quietâ, Deus.

Qui pater æternæ dominaris in arce Sionis,
Et seruas regno corda renata tuo.
Vota tibi reddam gratam testantia mentem,
Pectoris à vera vota profecta fide.

Tu quia supplicibus facilis, quia semper apertâ
Excipiens humiles colligis aure preces.
Non aliquem excludens audis mitissimus omnes,
Omne hominum saluum tu cupis esse genus.

Me miſerum quanta vitiorum mole grauamur,
Menſuram ſuperant crimina noſtra ſuam.
At tu propicius pater es mortalibus ægris,
Dum miſeris miti parcis amore Deus.
Hei malè ſeducti, falſi vertigine cultus,
Triſte diu vitæ traximus huius onus.
Impia dum noſtras blaſphemia deterit aures,
Quam nobis varij prævaluere doli?
Dum cupimus ſancti ſpecie ludente videri
Quam nos hac fatua turpiter arte damus?
Tu tamen huic noſtræ leuitati ignoſce, precamur,
Si qua mali noſtri eſt culpa, ſit error iners.
Hei non eſt hominis, per ſe ſperare ſalutem,
Non homini ex meritis vita beata venit.
Ille adeò demum ſolido eſt ex aſſe beatus,
Quem recipis verbi luce nouante, Deus.
Ille fide viuens, fœlix in agmine cætus,
Accedet regno pars generoſa tuo.
Et mecum æternum fœlicis habitabit in ævum,
Per templi ingrediens atria ſancta tui.
Sis facilis precibus miſerator maxime noſtris,
Miranda miſeris qui bonitate faues.
Hæc tua iuſticia eſt, ſuperans miracula mundi,
Tu reputas iuſtum, qui fuit ante reus.
Hac æterne Deus lætaris laude, cupiſq;
In Chriſto miſeris omnibus eſſe pater.

Non

Non alio gaudes, & delectaris honore,
Quàm tibi quem pacis Filius autor habet.
Filius emundans qui nos à sordibus ægros
Membra sui frater corporis esse sinit.
Luceat hæc sanctos iungens tua gloria cætus
Agnitio Christi, gloria vera tua est.
Quàm procul Oceano populosus cingitur orbis,
Te celebrent verbo corda renata tuo.
Conuensæ faciant de te præconia gentes,
Et vigeat vero nomen honore tuum.
Hoc, tibi quod proprium est, opus agnoscetur, inane
Omne quod à nostris viribus exit opus.
Transeat ad nostras pietas tibi grata nepotes.
Teq; piè pura posteritate colat.
Sis bonus, ô fœlixq; tuis, vultuq; benigno
Dedita militiæ respice membra tuæ.
Nec sine languescat viui fiducia verbi,
Aut fuco species lubrica corda trahat.
Sed tibi sincerus constanter adhæreat ardor,
Quem pacata tui gignit amore fides.
Te placeant nostri tibi fortunante labores,
Tu rege, quod facimus ductor & actor, opus.
Si qua manent etiam nostræ contagia culpæ,
Hæc veluti donans æra aliena, tege.
Qui tua dispersus profitetur dogmata cætus
Te loca seruatus tuta tegente colat.

Te metuant fontem, de quo ius manat & æquum,
Fas quibus est populis dicere iura suis.
Tu pacem & leges, artesq; tuere togatas,
Imperijs nutu tu rege frena tuo
Tu facito, vt felix vitæ labor omnis in vsu
Et solida gignat commoda nata fide.
Non nos noster agat per deuia lubricus error,
Nec coluber lapsos nos homicida trahat,
Tu motus animis, tu promptas suggere vires,
Vt studium laudi seruiat omne tuæ.
Sic meruit nostro dignatus sanguine nasci
Filius irato victima grata Deo.
Quam procul externum radijs sol temperat orbem
Summaq; longinqui separat ora maris.
Omnis & humanæ spes & fiducia gentis,
Iusticiæ posita est in bonitate tuæ.
Tu populis reges, seruas, & regibus vrbes
Præsidio florent regna beata tuo,
Fonte tuo manant sanctorum oracula legum,
Subdita quæ nexu corda fouente tenent.
Si qua salutaris iusto moderamine Princeps,
Iusticiæ & verbi regnat amore tui,
Ille tuum est munus Deus optime, pareat illi
Publicus exhibito semper honore fauor.
Tu populi fremitus compescis inane sonantis,
Vt fremit vndosi mobilis vnda maris,

Et bona ſublatis conſeruas publica bellis,
Ciuis vt optatæ tempora pacis agat
Vt timeant, qui bella parant, dum ſigna verentur,
Significas verum te quibus eſſe Deum.
Tu quia, non alius, doctrinæ lumina ſeruas,
Quæ pia perpetuo corda vigore fouet.
Tu quia, non alius, pacis felicia donas
Tempora, & explodis noxia bella procul
Tu quia, non alius, leges & iura tueris,
Vt foueant vitæ vincula firma, decus.
Siue diem radijs oriens illuminat Eos,
Siue alio veniens veſper ab axe redit.
Omnia vitalis quæ vis exuſcitat auræ,
Tu regis, & lætis viribus eſſe facis.
Tu dociles almo colluſtras numine terras,
Aruaq́ natiuo læta vigore facis.
Annuus vnde redit victus mortalibus ægris,
Vnde ſuos ſumptus prodiga vita facit.
Fœnore multiplici reſpondent arua colonis,
Tu quia rem tantam multiplicator agis.
Semina quod granum decies repetita refundit,
Languida dum Cœlo creſcit alente Ceres.
Arctior exaturat populoſa quod oppida campus,
Prouidus arcana tu ratione facis.
Semper habet bonitas tua quod mitiſſima ſpargat,
Fons tuus optatis ſemper abundat aquis.

Fons tuus est verè diuini gratia verbi,
Quo fruitur regno reddita turba tuo.
Hunc alis & seruas, simul ipso ex vbere terræ,
Huic vitæ facilis das alimenta Deus.
Inde suos priuata trahunt & publica neruos,
Humanumq́ fouent commoda sparsa genus.
Hunc etenim in finem placuit tibi condere terram,
Mirandum verbi cunctipotentis opus.
Imbribus humectas illam, ventisq́ resoluis,
Maturas nutu germina cuncta tuo.
Vnde sua longæ stillant pinguedine valles,
Lætaq́ in apricis collibus arua virent.
Culta soli reddunt opulentas æquora messes,
Densa nitet campo multicolore ceres.
Frugiferis addunt campis armenta decorem,
Balat ad innumeras & tener agnus oues.
Omnia lætari videas, & dulcibus Hymnis
Testari autoris munera larga Dei.
Huic igitur grato dicantur carmina plausu,
Solus enim est nobis vita salusq́ Deus.

IN PSALMVM.

Te decet Hymnus.

Laudibus linguæ tibi sempiternis
Personent omnes, Deus alme rerum

Condi-

Conditor, motu quoniam paterno
Omnia curas.
Principis verum sapientis implens
Munus, æternum sibi congruente,
Quidquid in rerum gremio creasti
Lege gubernas.
Erudis mentes hominum piorum
Fidus assertæ monitor salutis,
Quam tuus nobis proprio redemit
Sanguine natus.
Et pater lustrans hominum labores
Cuncta maturo cumulas fauore.
Qua tuus campos oculus serenat
Omnia florent.
His bonis ergo DEVS vt fruamur
Et fide pura tibi pareamus,
Tu moue nostras patrioq; nutu
Dirige mentes.

PSALMVS LXVIII.

Exurgat Deus.

CArmen triumphale Christi & Ecclesiæ, quo describitur resurrectio & ascensio Christi ad cœlos, donatio Spiritus sancti, patefactio & propagatio Euangelij, Regnum & sacerdotium Christi.



Vrge Deus, iuſtam quid adhuc es lentus ad iram,
Quid lædunt oculos impia facta tuos?
Huc ades, inq; fugam victor conuerte rebelles
Qui te non cupiunt eſſe, fuiſſe velint.
Vtq; leuis tenues vapor euaneſcit in auras,
Vt fluit in tepidis cæra ſoluta focis,
Diſijce, perde, fuga ſic agmina fœda malorum,
Vt nuſquam inueniant ſparſa ſalutis opem.
At vos, qui Dominum iuſta ratione timetis
Plaudite, cœleſti pectora chara Deo.
Plaudite ſaluifico genialia carmina CHRISTO,
Et reſonent ſocijs iubila veſtra choris.
Nam Deus vt vindex radicitus eruet illos,
Sic vos vnanimes hîc & vbiq; teget.
Iam mihi iam videor venientis cernere vultus,
O adſis populo ſæpe vocate tuo.
Ite, parate viam, venienti applaudite Chriſto,
Vndiq; lætitiæ ſint bona ſigna nouæ.
Sternite fronde vias, pictoſq; inferte tapetas,
Fragret odoratis terra rigata roſis.
Proſpera gauiſo prædicite nuncia mundo,
Et populis, venit hic, dicite, veſtra ſalus.
Fallor? an aërias per clara vehicula nubes
Ad nos è cœli labitur axe Deus?

Suauiter

Suauiter inuehitur veniens sanctissimus Heros,
Qui merito DOMIN I nobile nomen habet.
Qui pater afflictos humaniter aspicit orbos,
Arbiter & viduas vindice seruat ope.
Qui populos habitans inter sua verba professos
In se fisa pia corda tuetur ope
Qui malè fœcundis tribuit sua pignora nuptis,
Et genus è sterili semine grande facit.
Carcere detentos certis qui liberat horis,
Credentesq; sua fulcit, alitq; fide.
Quiq; rebellantes siccis immergit arenis,
Impiaq; in sterili corda relinquit humo.
Cum Deus inuisæ loca per sylvestria terræ
Dux ires populum præuius ante tuum,
Ima tuo horrescens tremuit sub pondere tellus,
Motus & ingenti murmure Sina fuit.
Insonuêre graui cœli conuexa fragore,
Decidit & largis plurimus imber aquis.
Huc ades ô iterum populo expectate vocanti,
Te veniente iterum quassa tremiscat humus,
Nos iterum arentes felicibus obrue nimbis,
Proq; tuo afflictos dexteritate iuua.
A te nam patrij speramus munera cœli,
Hæredes regni nos patiare tui.
Et tibi cum nostros adiunxeris ante parentes,
Nos etiam ex illa parte fer esse tuos.

Qua potes, afflictos releua pietate, precamur,
Da nobis verbi mitia dona tui.
Sed dabis, & totum implebis præconibus orbem,
Pectore quo deceat qui tua verba canunt.
Qui velut eductis ingens exercitus alis
Inuictum ponent per loca iussa pedem.
Vnanimes illic sancibunt fœdera Reges,
Regia sed partas diuidet vxor opes.
Illorumq; pio victrix Ecclesia ductu
Vastabit stygiæ regna profunda plagæ.
Innumerasq; animas auido ex Acheronte reducens
Et spolij, & tituli præmia iusta feret,
Vtq; micant aurum penna vibrante columbæ,
Cum vaga sub rutilo copia sole volant,
Sic procul illorum medijs tentoria campis
Fixa, relucentes lampadis instar erunt.
Omnia discussis redduntur clara tenebris,
Qua ponunt tanti fulgida castra duces.
Et quæcunq; Deo loca distribuente frequentant,
In media fulget nocte serena dies.
Sicut & veribus validus mons consitus aruis
Immotam ventis sustinet ictus humum:
Sic inicta ferens dulces Ecclesia fructus,
Hostiles surda negligit aure minas.
Illa Dei mons est, quem nulla excciderit ætas,
In quo perpetuo tempore vernat humus.

Turba

Turba quid hunc reliqui contemnitis inuida mon-
Hæc est magnanimi regia celsa Dei. tes?
Hanc Deus elegit, semper qui habitabit in illa,
Nec sedes placido gratior vlla Deo est.
Vestra quid irati sufflatis pectora reges?
Vestra quid inuidia saucia corda tument?
Quis furor est illi exitium struxisse monarchæ,
Numina qui nutu perdere vestra potest?
Dicite degeneres, genus Israëlis, Apellæ,
Gens dilecta olim, nunc inimica Deo.
Impia quid vestras seducit opinio mentes,
Credere quæ Christum vos vetat esse Deum?
Dum nisi Sinaicis vbi vos audiuit in oris
Æterni nusquam creditis esse Deum.
Non nouus hic Deus est, idem est, qui in vertice Sinæ
Diuina est vestris voce locutus auis.
Ille quod à vobis falsa pietate colatur,
Per quos est operum nube sepulta fides.
In se confisas voluit conuertere gentes,
Cumq; nouo populo non nouus esse Deus.
Qui nunc edomita ducens de morte triumphum,
Ingenti plausu victor ab hoste redit.
Et secum innumeros, insignia bellica, currus
Ducit, & armatæ millia multa manus.
Ascendensq; alti super ardua sydera cœli
Ereptos Stygio carcere ducit quos.

Iam

Iamq; triumphati post diruta tartara ditis
Ingreditur tituli celsus honore sui.
Pone sequi videas vinctas post terga Megæras
Et locus hic tota cum stygе quicquid habet,
Spirituumq; greges tam contra Heroa potentem
Se nihil hîc ausos voce gemente queri.
Captiuosq; inter victus regnator auerni
Dira fremens media ducitur ipse via.
Hîc auras questu complent vlulante Sathanes,
Dum sibi perpetuo vincla futura vident.
Illic Christiadum conscendunt iubila cœlum,
Quos sibi restituit vindice Christus ope.
Interea sedes Ditis trahit atra ruinam
Vastantur stygij regna superba Dei.
Non iam Tartareus poterit nocuisse Tyrannus
His, qui te vero pectore, Christe, colunt.
Iamq; repubescens rediuiui gratia mundi
Lætitiæ ostendit publica signa nouæ.
Cuncta triumphanti plaudunt elemẽta monarchæ,
Cuius ad incessum flectitur omne genu.
Blandius à summo delucent aëre Soles,
Mitior & solito temperat aura solum.
Testantur volucres blandis sua gaudia linguis
Harmonicis resonant terra polusq; modis.
At Deus omnipotens curru sublimis ab alto
Dispergit spolij munera sancta sui,

Munera ſaluifici cœleſtia ſemina verbi,
Per quæ mortales viuida turba ſumus.
Ille rebellantes etiam dominator in hoſtes
Victor & hinc meritæ præmia laudis habet.
Falleris, hunc ſi quis fatua de plebe malorum
Poſſe tua vinci peſtilitate putas.
Impius vt videat, contabeſcatq́ videndo,
Hoſtibus in medijs eſq́ manesq́ Deus.
Tollite laude Deum, ſcu luce Dieſpiter orbem,
Seu vaga nocturnis Cynthia luſtret equis.
Aſſidua qui nos oncrare ſalute videtur,
Dum fundit verbi prodiga dona ſui.
Felices, longeq́ ſuper ſua fata volantes,
Quos manet hoc Domini dulce grauantis onus,
Non nos hic operæ fallax fiducia noſtræ
Agnatos cœlo, quos volet, ille facit.
Hoc duce proterimus minitantem funera mortem,
Solus ab æterno liberat ille malo.
Ille inimicorum franget capita alta ſuorum,
Qui niſi flagitijs viuere turpe putant.
Impia ludæa delebit ſemina gentis,
Turpe quod à priſcis degenerarit auis
Exiget inuiſos terraq́ mariq́ Tyrannos
Regibus heu victis vulnera quanta dabit?
Solis ab occaſum mundum peragrabit ab ortu,
Corporibus cæſis tota tepebit humus.

Ibit

Ibit & immundis perstrata cadauera campis
Sanguinis intinget profluuioq; pedes.
Eius & hostili pascentes sanguine fauces
Fœdabunt tepido rostra cruore canes.
Iam qualis quantusq; trahas longæ agmina pompæ
O mihi non dubio corde recepte Deus.
Qualibus incedas ducibus rex magne videmus,
Imperium mundi qui sine fine tenes.
In primo resoni præcedunt agmina vates,
Qui docto reddunt gutture dulce melos.
Inde viri cytharis, & docti ludere nablis,
Dulcisonis resonant carmina blanda modis.
Candida quos circum comitantur turba puellæ
Quassantes tenera tympana blanda manu.
Quacunq; est sanctæ quædam communio plebis
Incidit in laudes mentio multa tuas.
Stirpe quod è magni ceu fontibus Israelis
Deriues regno subdita corda tuo.
Quid memorem Heroas tua martia signa ferentes,
Beniamin primas quos puer inter habet.
Aspice, vt hic primis pompæ sese arduus alis
Inferat, & reliquos fulgeat ante duces?
Paruulus hic olim, sed iam non paruulus, extra
Humanos sensus raptus in astra volat.
Cuius ab ingenuo nascentur sanguine reges,
Qui doceant verum turba professa Deum.

Augurer

Auguror, & video longæui cedite patres,
Nescio quid maius prisca Damascus alit.
Qui nunc Tarsiaco prodis de sanguine miles,
Saulus es, exiguo tempore Paulus eris.
Præuius in tenebris tu dux errantibus ibis,
Et facies miris multa stupenda modis.
Nascere sancte puer, magni tuba bellica Christi:
Assertor regni maximus huius eris.
Parte alia incedunt tanti pia membra triumphi
Edita de Iudæ semine turba Duces.
Quiq; Genezarethis nati stagnantis ad vndas,
Quos Zabulon, & quos Nephtalis ora tulit.
Prisca quibus patrius fecit Bethsaïda cunas,
Terraq; quam liquidis Iordanis ambit aquis.
Talibus, atq; alijs Ducibus tua signa secutis
Magne tui vires roboris adde Deus.
Te ducente tuos pius hic exercitus hostes
Conterat, imperij tu rege frena tui.
Fac nihil hic, nisi quod iubeat tua sancta voluntas,
Imposita sudans sub cruce miles agat.
Et quocunq; volens animis operabere nostris,
Fac tuus in nobis spiritus ista regat.
At diuina tui diuertens numina templi,
Confluet in Solymas plurima turba plagis.
Externiq; tibi portantes munera reges
Committent verbo jeq; suosq; tuo.

Perdo

Perde laborantis tacitas cacadæmonis artes,
Ille dolos nobis quos meditetur habet.
Bestia vt expectans taciti sub arundine lustri
Quos videt immiti deuorat ore greges,
Sic is sollicitis nos vndiq; passibus ambit
Quos videt incautos, in sua vincla rapit.
Vtq; sit vberior captæ victoria prædæ,
Heu multos socios in sua vota trahit.
Hi sunt quos auri stimulat vesana cupido
Et misere macerans ambitionis amor.
Pontifices, mystæ, sed quos memorare molestum est
Aurum qui ficta relligione colunt.
Atq; auidi vacuum ceu captant aëra cauri
Quos intus macerans vrit anhela fames.
Hi sua sic auidis arrodunt pectora curis
Immensas cumulet donec acceruus opes.
Inde fit, vt fulsis vitient tua dogmata falsis
Et lacerent veræ relligionis opus.
Quos Deus è medio digneris tollere victor
Floreat vt regni gloria vera tui.
Contere sanguinei silentia corda cruoris,
Qui temerè affectant flebile Martis opus.
Perde pijs cædem meditantes mentibus hostes,
Qui iactant rabidas in tua verba minas
Ad tua confugient peregrinæ numina gentes,
Vt dedant placidas sub tua iura manus.

Sueta

Sueta relinquentes ſeptemplicis oſtia Nili
Accurrent Pharij cum duce quiſq; ſuo.
Audiet extremi te decolor accola Gangis,
Porriget & faciles in tua iuſſa manus.
Ferte Deo grates totum vaga regna per orbem,
Et canite vnanimi carmina blanda ſono.
Qui rerum Dominus cœleſtes peruolat orbes,
Et ſolus vitam rebus ineſſe facit.
Ipſe dabit vires animis ſua dona profeſſis,
Ipſe dabit verbo pondera iuſta ſuo.
Ille ſui regni ſinite vt moderetur habenas,
Non malè quod cœpit prouehet autor opus.
Huic ferte acceptum, ſoli huic adſcribite, ſi quid
Proficitis veſtra turba beata fide.
Ille agit in vobis, agitante caleſcitis illo,
Hic vigor è cœlo non aliunde venit.
Vt pluit aereus tenues è nubibus imbres,
Sic pluit è vobis cœlica verba Deus.
Magna vrget præſtare ſuos miracula ſanctos
Quos ſanctæ exercet dura palæſtra crucis.
Quicunq; intrepido profitentur pectore Chriſtum
Iuſtaq; cum vitijs hoc duce bella gerunt,
His Deus inuictos animos, his neſcia frangi
Sufficit, & cœlo pectora digna frui.
Laus tibi magne Deus, tibi tellus plaudat & æ-
Te, quidquid toto ſpirat in orbe, canat. (ther,

Cuncta retrò ſublapſa prius ſine legibus ibunt,
Quàm ceſſet meriti gratia, lausq́ tui.

PSALMVS LXXXIIII.

Quam dilecta tabernacula &c.

DEſcriptio & Encomion Eccleſiæ Chriſti, in quâ verſari & DEVM rectè agnoſcere & celebrare ſummum bonum hominis eſſe oſtenditur.

PAcis & armorum DEVS arbiter, optime vindex,
Omnia perpetua qui ratione regis.
Quàm tua iucundis habitantur mœnia caſtris,
Quàm tua dulce pijs regia lumen habet.
Alta trahant altos ſuluo ſuffulta metallo
Tecta, ſuperbarum ſplendor inanis opum
Fortunæ ſit ſumma meæ, tua iuſſa colentem
Me quoq́ ſub tecto viuere poſſe tuo.
Geſtit & ægreſcit magno mihi pectus amore,
Ad ſacra dum templi pronus anhelo tui.
Quicquid in hoc ſpirat viuentis corpore flammæ,
Hoc capit in viuo gaudia plena DEO.
Sicut auis certam ſortitur in arbore ſedem,
Atq́ aliqua nidum ſub trabe paſſer habet,

Quaq́

Quáq́ suam sobolem venientem educat in annum,
Pendula congestam fingit hirundo domum:
Sic loca tuta tuam prius inuenit omnis ad aram,
Vt tegat auxilio seq́ suosq́ tuo.
Non illum auerso sors obruit aspera casu,
Et semper veris vis inimica bonis.
Vtq́ aliqua interdum sub tempestate laborat,
Sic tamen ex ipsa grandine victor abit.
Vt maris in medij famulantibus incubat vndis,
Regula pacati marmoris, Halcyone:
Sic seruata suos profert Ecclesia fœtus,
A rapido instantis turbine tuta mali.
Et quasi de curuo pendens tibicitie nidus
Fixa vacillanti pondus in orbe tenet.
Incubat huic summo veniens à numine flatus,
Et fouet amplexu pignora chara suo:
Progenerans q́ noua firmatas indole mentes,
Inchoat æternæ regna beata domus:
Felices quicunq́ tua versantur in aula,
Membra quibus gentis contigit esse tuæ,
Illi animos per te veris virtutibus aucti,
Ex meritis possunt te celebrare tuis.
Atq́ aliquis sancto firmatus pectora motu,
De te veridica talia laude sonat.
Vnus & is triplici simplex in numine numen
Tum sine principio est, tum sine fine Deus.

Qui propria uerbi patefactus uoce ſonantis
Se miſeris patria conſociauit ope:
Ille volens cœlo prolem dimiſit ab alto,
Humanæ elueret labis ut omne nefas.
Mente ſatam, verbo patefecit amica voluntas,
Cum verbum aſſumpſit debile carnis opus.
Salue dulce decus, fili omnipotentis, & unum
Pharmacon æternæ mortis, & antidoton,
Tu veniens maculas morboſo abſtergere mundo
Eluis humanum, victima pura, ſcelus.
Extinguenſq; tuo viroſam ſanguine mortem
Fundaſti vitæ, Regna beata, tuæ.
Quam nunc docta fides adiuta à nomine ſentit,
Præſtabit plenam ſed tua ſola ſalus:
Ergo DEVS, mi viue Deus, tua caſtra frequentem
Portio ſum domui non oneroſa tuæ.
Felices quicunq; tuis ſe viribus armant,
Seq; ſciunt dextræ robur habere tuæ.
Per tua non dubijs abeunt veſtigia plantis,
Atq; alios de te quæ didicere docent:
Denſa per & quamuis lachrymoſæ nubila vallis
Hint carpant alio, rurſus & inde viam:
Attamen inducunt te dulces auſpice fontes,
De quibus in multos vena ſalutis eat.
Quod monet officium, non tardo pectore præſtant,
Succeſſum ex ipſa fert pietate labor:

Ergo

Ergò reluctantes reprimunt feliciter hostes,
Atq; abeunt læto sæua per arma gradu.
Non illis scelerum inuentor Phlegethontius anguis,
Subdola non dubiæ sphyngis imago nocet.
Castus amor veri, secura viatica vitæ
Addit, & est omnis proxima caussa boni.
Mille doli explorant species, fraudisq; Magistrum
Magnanimo victrix sub pede turba premunt
Talibus ex alijs alias victoria palmas
Suggerit, & virtus fortia corda facit.
Hos propius spectans alta de rupe Sionis
Magnanimis præsens gaudet adesse Deus.
Pacis & armorum Deus arbiter, optime vindex,
Quem colit æternum gens Iacobæa DEVM.
Accipe quas ferimus, patrio gens dedita cœlo,
Ad tua coniunctas numina sancta preces.
Vindice quo salui tegimur, quocunq; mouemur,
Asserę militiæ membra probata tuæ.
Respice verbisoni communia viscera regni,
Perpetuum gnato quod cupis esse tuo.
Respice nos vindex, præsens quibus omnia cernis
In faciem Christi lumina flecte tui.
Suauior est multò tecum lux vna manenti,
Quàm reprobis alto sub duce mille dies.
Malo, vel extremas hærens adiectus ad oras,
Esse Deo propriæ pars quotacunq; domus.

Tecta frequẽtator quam ſplendidus alta potentum
Incolere, à quibus eſt vita beata procul.
Illic diuitias, illic venentur honores,
Viuere quos tumidos in leuitate iuuat.
Me iuuat oblatæ contentum munere ſortis,
Debita præſenti ſoluere vota DEO.
Me iuuet officij memorem præſtare, quod vni
Certa ſui gratum mens ſciat eſſe DEO.
Nam velut amplectens miti Sol omnia flamma
Arduus irriguo tacta calore fouet:
Sic DEVS acceptos nutrit, Sol aureus ille,
Pectora qui largè luce ſerena facit.
Ille pijs motus, & vires motibus addit,
Et veluti Clypeo pectora ſancta tegit.
Hoſtilesq; minas prohibens crudosq; furores,
Hinc odijs claudit, fraudibus inde viam.
Illius eſt munus virtus in viribus ardens,
Et venit à ſolo gloria vera DEO.
Quiſquis amans recti cœlo caput arduus infert,
Huic comes à latere eſt hîc & vbiq; DEVS.
Qui cauet à veræ deflectere tramite vitæ,
Non ſinit hunc vllus rebus egere DEVS.
Pacis & armorum DEVS arbiter, optime vindex,
Qui tibi confidit cuncta beatus habet.

PARA-

MI XC. QVI EST ORATIO MOSIS, uiri Dei, & continet doctrinam de pœnitentia, & remissione peccatorum in Christo.

ARGVMENTVM.



Vmma Psalmi, est concio Legis & Euangelij. Videlicet de pœnitentia & fide in Christū. Prior igitur pars docet agnitione Legis agnosci peccatum, & pœnam peccati esse iram Dei, et calamitates humanas, & mortem. Ideo exaggeratium magnitudinem iræ diuinæ, tum miseriā vitæ humanę. Hæc ab initio Psalmi tractantur vsq; ad locum, Docę nos numerum dierum nostrorum. Ab hoc loco altera pars Psalmi, habet deprecationem iræ & calamitatum & petit, vt harum caussis è verbo diuino cognitis, remedia ostendantur pijs, in doctrina Euangelij, de Messia promisso, atq; incarnando. Diserte enim hic vocat misericordiam gratuitam remissionem. Opus Dei appellat missionem Filij, & incarnationem. Gloriam Dei, nominat agnitionē Christi in Ecclesia.

Prop: licet re simus irę & mortis. tamē in Deo h bitamu

Postremo orat pro conseruatione Ecclesiæ, Reipublicæ, & Oeconomiæ.

ESto, licet miseri uitio culpaq; grauamur,
In miseros asper non potes esse Deus.
Degeneres quanquam nos impius abstulit er-
Vt tua supplicijs nos premat ira reos: (ror,

Tu tamen es noſtræ ſtatio tutiſſima vitæ,
Tu tamen es miſeris portus & aura, Deus.
Tu tamen è nobis, qui te fidenter adorant,
Non pateris merita morte perire Deus.
Quottidie iuſta licet in nos percitus ira
Quod reprimas pœna vindice ſemper habes,
Attamen in te ipſo nobis habitacula præbes,
Qui gerimus Verbo corda renata tuo.
In te confugium, portumq; ſalutis habemus,
Tu facis in te ipſo nos habitare Deus.
Ecce velut vermes per obliquum repimus orbem,
Et niſi peccati nil niſi maſſa ſumus.
Tu tamẽ hoc aperis, quo comprimis omnia, Numen,
Excipis & nati nos pietate tui.
Exceptosq; foues ſaluantis munere Verbi,
Quo viuente dolet mors quoq; iuſſa mori.
Nec tuus hic nouus eſt, quo nos complecteris ardor,
Nec finem pietas iſta parentis habet.
Vt Deus æterna viuens in lumine fulges,
Sic nos perpetua viuere luce cupis.
Namq; nec ad tempus nos tanto munere donas,
Nec ſinis hoc numeros non habuiſſe ſuos,
Ipſe pios ſeruas, & ab æuo ducis in æuum,
Iuſtificæ faciunt qui tibi vota fide.
Tempore ab hoc primi quo te agnouêre parentes,
Tempus ad omne hominem quo generabit homo.

Tu

Tu Deus es portus, cætusq; vagantis asylum,
Qui tua non falso pectore verba colit.
Ille licet paruo, dispersoq; agmine passim
Ingenti varijs erret in orbe locis:
Attamen est animis semper concordibus idem,
Consocians regno membra renata tuo.
Incipiensq; tuæ in terris primordia vitæ,
Erudit afflatu pectora docta tuo.
Donec & hæc rerum steterit Natura, manebit,
Militiæ insignis dexteritate suæ.
Et ventura tuam doctrinam in secula mittet,
Qua tua in hoc durum est gratia sparsa genus.
Et læto tandem digressus ad astra triumpho
Parta sibi Christo principe regna colet.
Hæc statio immota est in te fidentibus omni
Tempore, te solida qui didicere fide.
Nullus ad hanc audet stationem accedere Liuor,
Siue tuus Sathana, Mors atra siue tuus,
Hoc est, quod miseri casu lætamur in ipso,
Quo mortem meriti perdita turba sumus.
Vnde aliquis nuper tetræ formidine mortis
Territus, hæc æqua dicere mente potest:
Fraude nocens serpens, & mors æterna Tyrannis,
Nil mihi vobiscum est, Est mihi vita Deus.
Vita mihi Deus est, arx, murus, portus, asylum,
Hîc habito, hîc tutus tempora pacis ago.

Hæc ſua qui agnoſcunt vero delicta pauore,
Spemq; tuæ placido corde ſalutis alunt,
Plena fide læta, ceu iubila dicere poſſunt,
Tu quibus es ſolus vita ſalusq; Deus.
At quibus impietas peruerſo induruit vſu,
Vt nequeant vitij noſſe venena ſui,

Hic incipit legis conditio.

His tua maieſtas noctурnis plena tenebris
Viſa, metum, & pœnæ duriter auget onus.

Exaggerat autẽ maieſtatem diuinam, ut terreat conſcientias.

Namq; ſibi qui metuens neſcit ſperare ſalutem,
Huic verè es diræ mortis imago Deus.
Namq; quis iſtorum, qui te non noſſe laborant,
Ad numen trepido non pauet ore tuum?
Ante recens primã quàm mundi machina formam
Seminaq; è verbo duceret orta tuo,
Ante ſuo poſiti quam ſtarent pondere montes,
Aëris & tellus, grande ferentis onus,
Tu pater omnipotens æterno in Numine numen
Tu ſine principio es, tu ſine fine Deus.

Quæſit cauſſa mortis et ærumnarum, videlicet ira Dei & peccatum.

Hæc tua maieſtas miſeros formidine terret,
Qui te propitium non didicêre Deum.
Territa quo fugiet, quas mens petet ægra latebras,
Quam peragit mortis conſcia culpa ream?
Cum videt, & tantum te magna in imagine cernit,
Agnoſci hoc miſeris quantus in orbe potes.
Sic meritum eſt noſtrum, ſic nos tua conterit ira,
Crimina dum iuſto noſtra furore premis.

Tam

Tam tibi peccatum res est odiosa, nocentes
Iusta tua æternum cogat vt ira mori.
Tu facis inuiso miseros occumbere letho,
Hæc quia nos culpæ præmia ferre decet,
Ante tuos oculos, quoniam sordemus, & omni
Parte fluens turpi crimine massa sumus,
Æternam trepido quod corde paueſcere mortem
Cogimur, est iræ fulmen id omne tuæ.
Cum tua iusta odio peccati incanduit ira,
Humanum cuperes omne perire genus,
Et posses miserum momento euertere mundum,
Ni tuus iste hominum te superaret amor.
Sæpè moues fulmen, sed & hoc tamen ante coherces
Quàm trahat accensam fomite flamma facem.
Gratia Iustitiæ vrgenti sua iura resistit,
Qua tibi per te ipsum turba redempta sumus.
Ergò nisi instructi præsentis funera vitæ
Cæperimus vitæ spe superare nouæ,
Perpetuo æternæ mortis depascimur ictu,
Continuus sequitur quam sine fine dolor.
Interea, viuas quæ nescit carpere mentes,
Mors rapit arbitrio corpora strata tuo.
Tempus abit, fugiuntq; dies, velocior illis
Demetit humanum mors violenta genus.
Illa catenatas spargens in secula messes,
Ordinis atq; æui funera mixta facit.

Tristia

Triſte ſimul ſenium tollit, lætamq́ iuuentam,
Sorte pari functi fœmina virq́ cadunt.
Cum populo abſorbet reges, audacibus æquè
Ac timidis atras iniicit illa manus.
Omnes vna manet leti via, viuimus omnes,
Simus vt vrgenti præda parata neci.
Viuimus et morimur, vitam vt moriamur habemus,
Hac hominum regitur debile ſorte genus.
Namq́ iubes leto merſos emergere rurſus
Vt noua vitalis ſecula lucis agant.
Interit hæc hominum, deinde iſta renaſcitur ætas,
Dum reuocas Iuris fila priora tui.
Sed bene conſuluit noſtræ tua gratia culpæ,
Peccati ſuperans grande prementis onus.
Dum quaſi ſorte iubes homines meliore reuerti,
Te potius vitam mitis amare, doces.
Summa argumenti. Vox Ieſus. Namq́ tua hæc vox eſt, iratæ nuncia Legis,
Quæ veluti tonitru pectora tacta quatit.
Maſſa hominum, æterno pridem dignißima leto,
Te faciat merito propria culpa mori.
Subijciat morti ſe primus & vltimus ordo,
Poſteritas ſubeat poſteritatis onus.
Hæc vindicta meæ ſit formidabilis iræ,
Suſtinet humanum quam meruiſſe ſcelus.
Quis te tunc hominum vel totus ſuſtinet orbis,
Horrida cum tali fulmina voce iacis?

Et ta-

Et tamen emiſſi pateſactus lumine verbi,
Sic gaudes alio cognitus ore loqui.
Lege mea moriens mortale reuertere Semen,
Excipiat tempus ſæcla priora nouum.
Vincit amor pœnam, mortem metuiſtis, ab illa
Seruati, verbi viuite luce mei,
Corpore conſumat Ius irreuocabile mortis,
Excipiat mentes vitá beata pias.
Quas Lex iuſta reos damnat, miſeratio ſeruet,
Agnoſcat veniam, quam volo firma fides.
Hoc caput eſt, mortem mortalibus incutit ægris
Ira tua, & Legis vis onerоſa tuæ.
Morte ſed oppreſſis vitam tua gratia reddit,
Quam ſpargit verbi vox pateſacta tui.
Tu ſimul ad Stygios vitam demergere manes,
Et vitam in media reddere morte potes.
Ira tua occidit, ſeruat placata voluntas,
Quos iræ cauſam pœnitet eſſe tuæ.
Hoc eſt, quod merito miſeros demittere letho
Diceris; & nutu mox reuocare tuo.
Cur tamen heu breuis eſt, cur vitæ fluxilis ætas,
Quæ properè venti more volantis abit?
Dum bene vix vitæ certis abſoluimur horis,
Flebile ſub mortis cogimur ire iugum.
Illa ſequens etiam veſtigia noſtra Tyrannis,
Eſt proprior noſtræ, quam ſolet vmbra viæ,

Vox Euangelij.

Mortis ſicæ & uiuificatio.

Vrget concionem legis amplificatio ne calamitatum humanarū

Atq;

Atq; hodiè moritur, quem lux hesterna videbat
Sperantem vitæ stamina longa suæ.
Te quoniam coram sic anni mille recedunt,
Vt solet hesternæ lucis abire dies.
Vt nocturna breui custodia tempore transit,
Dum recipit vigilem de statione vigil.
Nam velut excubiæ certas mutantur in horas,
Tempora dum motu continuata fluunt,
Mutuaq; alternat communes tessera sortes,
Dum variant vigiles, hic abit, ille redit.
Sic alij intereunt, alij nascuntur, & omnes
Sors eadem simili conditione manet.
Hos Deus inuadis, subitus ceu littora fluctus,
Fluminis vt pessum more fluentis eant.
Præterit ut volucer non noto tempore somnus,
Vix bene quem vigilans commeminisse potest.
Sicut manè virens, & Sole cadente resectum
Expirat medio gramen, & aret agro:
Sic hominis quoq; vita fugit, sic omnia fluxa
Rebus in humanis mobilitate ruunt.
Omnis homo simulis languenti graminis herbæ,
Vna dies nasci quam videt, vna mori.
Quale sub aurora gramen, quod vespere languet,
Talis ab occiduis viribus omnis homo.
Hæc ita contingunt, quoniam nec sustinet iram
Nostra, nec auertit culpa nephanda tuam.

Non ita deficiunt reliquarum semina rerum,
Quæ subeunt certas nata, renata, vices,
Illis Naturæ metam circundedit ordo,
Nos iræ absorbet iusta rapina tuæ.
Expirat generosus equus, cum postulat ætas,
Arbitrio Domini concidit agna sui,
Mors ea finita est, vt habet cum tempore causſam,
Nostra, nisi occurras, funera fine carent.
Quottidiè hoc miseri vindictæ absumimur igne,
Dum graue peccati non relaxatur onus,
Et multis lachrymis vix hoc sentimus, ab illo
Qui vita est nobis, mors venit atra Deo,
Sic visum est tibi iuste Deus, turbare pauentes
Ad vitia, & sceleris crimina tetra sui,
Ne torpore graui gemitus oblita preces q́,
Excidat à venia spes q́ fides q́ tua.
Iccirco obseruas nostri delicta furoris,
Intuitu q́ notas crimina nostra tuo.
Quæ minimè possunt nobis delicta videri,
Tu velut in medio lumine nota tenes.
Hæc tecum est nobis voluendæ fabula vitæ,
Sic trahimus lusu tempora nostra tuo.
Qualia deciduos declinant lilia caules,
Cum nimis intenso languida Sole cadunt:
Optima quæ q́ dies sic nostri defluit æui,
Deficiens iræ scilicet igne tuæ.

Vita

Vita fuga eſt, abeuntq; dies, & carpitur ætas,
Vt temerè linguæ verba loquacis eunt.
Cumq; ſatur vitæ eſt, & aniles attigit annos,
Aut temere, aut aliud, aut nihil egit, homo.
Ecce omnis ſpacium miſeris mortalibus æui,
Vix bene bis ſeptem viuere luſtra dabat.
Quiq; diu vixit, bis forſitan octo peregit,
Optima pars æui plena doloris abit.
Atq; aliquis primo dum diſcit viuere ſenſu.
Auolat, & uitæ deſinit eſſe potens.
Hoc quoq; quod vitæ nobis prodeſſe putamus,
Quid niſi res miſera eſt, perpetuusq; labor.
Tam celer anguſti decurrit floſculus æui,
Et ſubit acta ſuam quælibet hora necem.
Viuitur in nugis, hominum pars maxima, neſcit
Quam vitæ hæc abeat portio parua ſuæ.
Interea obrepit non intellecta ſenectus,
Et celeri irrumpens mors inopina gradu.
Quis Deus hic tantum te tanto in numine numen,
Suſpicit & vera relligione timet?
Mente tuam vigili quis ſecum ponderat iram,
Quis timet imperij frena ſeuera tui?
Quin aliqui veluti ſociæ viuentibus vmbræ,
Viuere ſe tali vix ratione ſciunt,
Dum falſis vigilare bonis, dum fingere Cœlum
In terra, & mortem diſſimulare iuuat,

Clauſula huius loci de concione legis & pœnitentiæ.

Dum

Dum bona præsenti quæ dantur idonea vitæ,
Æternis præfert vana cupido bonis,
Nec quisquam agnoscit quanta vel mole laboret,
Vel veniæ quantam culpa requirat opem.
In vitiosa pigræ putrescunt otia mentes,
Vita negat verum luxuriosa Deum.
Hæc mundi est facies mortem ignorantis & iram,
Pressa quibus pœnam culpa nephanda luit.
At tu nostra salus, veræ fons vnice vitæ,
O hominum sapiens conditor, alme Deus,
In quo Iustitiæ fremitum Clementia vincit,
Et superat iustas gratia larga minas,
Respice nos humiles, animumq; ostende paternũ,
Teq; pium nobis esse memento Patrem,
Tu doceas nostri, dum filum ducimus æui,
In numero fluxos semper habere dies,
Sanctius ingressi sapienti vt corde feramur,
Qua ducit Verbi semita recta tui.
Da nostrum ex ipsa spectemus origine finem,
Simus & ad nutum turba parata tuum.
Da sensum vt mortis, da tantæ fulmen vt iræ,
Percipiant motu pectora nostra tuo.
Nec tamen exitium metuant, quia perdere nescis,
Quæ tibi seruari dedita corda volunt.
Sed gemitu agnoscant proprij contagia morbi,
Et caueant iram sponte ciere tuam.

a

Altera pars Psalmi docens remedia iræ mortis, colamitatũ, quæren da esse in Missa pro missio et incarnato, id est nim uocat opus Dei.

Semper & emendent vitæ delicta prioris,
Et cupiunt rectâ sanctius ire via,
Et duras vitæ ærumnas, mortemq́ minacem,
Auxilij superent speq́ fideq́ tui,
Quotidieq́ suæ meditentur funera vitæ,
Non optanda malis, non fugienda pijs.
Inq́ ipso statuant pacem, portumq́ salutis,
Per quem supplicibus te iuuat esse patrem.
Agnoscat veras humilis patientia causſas,
Cur premat humanum sors onerosa genus,
Innatiq́ dolens verê contagia morbi,
Conuerso medicam pectore quærat opem.
Tum syncera fides animos pacabit inertes,
Atq́ nouæ vitæ semina sancta dabit,
Sic tandem obliti sceleris vestigia nostri,
Viuendi felix ingrediemur iter.
Et legum & morum procedet sanctior ordo,
Congruat ad nutum vita probata tuum,
Grata tibi ducet dociles sapientia mentes,
Quæ renouat vigili corda subacta metu.
Hoc etenim solum sapere est, agnoscere sortem,
Atq́ humili verum corde timere Deum,
Ergo redi pater, & vultum conuerte benignum,
Quid terret populum mors truculenta tuum?
Dùm tibi sancita cupimus pietate renasci,
Anne aliquam pietas scit tua ferre moram?

Siccine

Siccine damnati ſeductos fraude Draconis,
Perpetuò mortis nos ſinis eſſe reos?
Quo tuus vſq; dolor tanta ſe proferet ira,
Blanda quid à famulis ſubtrahis ora tuis?
Dexter ades miſeris, precibusq; allabere noſtris;
Te precibus ſiquidem corda ſubacta vocant.
Mitis ades, vultu nec nos explode ſeuero;
Eueniat facies hoſtibus illa tuis.
Nos tua progenies, ſpem non deponimus vllam,
Conceptam noſtri quam tenuêre patres.
Nos numerare nouat tranſactæ tempora vitæ,
Nos cupimus recta ſanctius ire via;
Nos parere tibi, tibi nos ſeruire parati,
Mancipium cupimus quilibet eſſe tuum,
Eſſe tibi cupimus dociles, non eſſe dolemus;
Hæc cura obſequij digna fauore tuo eſt.
Reſpice nos primi vitiatos labe parentis,
Illius è vitio noxia maſſa ſumus:
Vtq; ſumus, ſic eſſe pudet, dolet eſſe maligni
Semper in hac miſera flebile carne malum.
Funde tuæ radios bonitatis, & adfluc nobis,
Plaſmatis allabens largus amore tui;
Auferat ille omnem cæcis ê mentibus vmbram,
Ad tua diuinæ quam bona lucis habet.
Namq; odiſſe nequis homines, quos ipſe creaſti,
Deſtructorq; operis non potes eſſe tui;

Plena tui & ſemper clementia larga fauoris,
Te doceat nobis qui iuuet eſſe Deum.
Conſule præſenti, vitamq; oſtende futuram,
Quæ fluit è veri fonte beata boni.
Da poſtquam meritam dociles agnouimus iram,
Fleuimus & noſtri damna pudenda mali:
Conuerſiq; piam pacata mente quietem,
Cæpimus in venia iam retinere tua:
Cum noſtros numerare dies, & pendere fata,
Cum tibi nouerimus ſoluere vota, Deus,
Tum vitæ æternæ certam ſperare ſalutem
Poſſimus, lucis conſcia corda tuæ.

Chriſtum incarnandus. *Da Deus æternæ domitorem agnoſcere mortis,*
Da fontem vitæ poſſe videre tuæ.
Non tantum ad vitæ communem animalibus vſum,
Condidit humanum vox tua larga genus,
Verum aliud regnum, atq; aliam hæc poſt funera
Ante tuũ inſtituit gratia plena thronum. (vitã,
Hanc dabis in ſolo veræ allatore ſalutis,
Qui Deus eſt ſumpto corpore factus homo.
Te Deus aſpiciens dilecti in imagine nati,
Nos etiam nati reſpice membra tui.
Deleat innatos nobis tua gratia morbos,
Impleat & veniæ nos bonitate tuæ.
Sic vacui noxa, ſic neſcia pectora mortis,
Munere ducemus gaudia vera tuo,

Gaudia

Gaudia non ipſo certum cum tempore finem,
Gaudia menſuram non habitura ſuam.
Vera etenim gaudent pacatæ gaudia mentes,
Quas tua lætantes gratia larga facit.
Ergo agè redde animum, certæ ſpem redde ſalutis,
Da miſeris fato proſperiore frui.
Longius adflictis durum cumulantia luctum,
Tempora ne cupias eſſe fuiſſe velis.
Iam ſatis adflictæ tulimus mala triſtia vitæ,
Artifices primi quæ peperêre mali.
Hei mala quot paſſi longos defleuimus annos,
Ex quo progeniem perdidit Eua parens?
Dum nos peccati torquet ſub lege Tyrannis,
Quam rapidas habuit mors truculenta manus?
Pande tuam nobis promiſſo è munere lucem,
Quæ renouet veniæ corda paranda tuæ.
Et pacem donans animis, accendat amorem,
Quæq; tibi acceptos nos facit eſſe, fidem.
Ecce ſonans de te vox commiſerante per orbem, Ps. 84. Angeliſ.
Auribus ô dulci Carmine grata venit.
Quod pater immenſo nati permotus amore,
Iungere adoptiuo nos tibi iure velis.
Illum etiam ſancto meditati carmine Vates,
Præſentem cupidis gentibus eſſe canunt.
Et præſens & promptus adeſt, tu mitte volentem,
Vt redimat populi pectora capta tui.

Nos patefactu tui fidentes gratia nati,
Liberet, hoc proprium est quod profiteris, opus,
Destruat ille dolos diri fraudemq; Draconis,
Ille fuit nostri causſa dolenda mali.
Et premat, & fauces mortis constringat auarę,
Ne freta vindicta sæuiat illa tua.
Ecce dolet squalens, tua quam profitemur, imago,
Quæ propria vitium sordida labe trahit,
Hanc renouet verbum patris omnipotentis imago,
Indice quo nomen tu patefactus habes,
Quod caro dignatum fieri, nos conuocat vltrò,
Colligit & regno membra sacrata tuo.
Hoc veniat præsens, hominemq; Deumq; fateri,
Gaudeat, humanum restituatq; genus,
Sed venit, & nobis pacatam nunciat iram,
Fidereq; in venia tristia corda iubet.
Agnosco te Christe Deus, te amplector adorans,
Vnica qui nostræ causſa salutis ades.
Illum agite vnanimi venientem agnoscite sensu,
Propitium cupitis qui retinere Deum.
Beneficia Christi. Ille suo nostras aboleuit sanguine pœnas,
Dum cadit irato victima grata Deo.
Reddidit & vitam preciosa morte redemptis,
Dum domitor mortis, lætus ad astra redit.
Illic nos etiam regnum in cœleste reducens,
Omnipotens eadem cum patre sceptra tenet.

Quin

Quin & crebra facit pro nobis vota ſacerdos,
Et noſtri placat nunc quoq; amore patrem.
Grata tibi meritas perſoluant pectora laudes,
Grata tibi res eſt pœnituiſſe Deus.
Qui dolet innati contagia ſordida morbi, Conuerſio.
Quem legi indocilem pœnitet eſſe tuæ,
Cum neq; terra illi monſtrat, neq; pharmaca cœlũ,
Cæca quibus mortis philtra cauere queat,
Excipis in Chriſto fidentem, intusq; renatum
Iuſtifica fidei luce nitere facis.
Me quoq; peruerſæ plorantem crimina vitæ,
In nato veniam lætor habere tuo.
Sentio & ardenti confiſus pectora plaudo,
Viuere me firma iam tibi Chriſte fide.
Ite procul tetri timido de corde dolores,
Me vetat exitium viua timere fides.
Collegit lachrymas, indefeſſosq; dolores,
Fidentemq; nequit deſeruiſſe Deus.
Chriſtus adeſt, nulla eſt quæ me violentia turbet,
Ille mihi vita eſt, ille beata Salus,
Ipſe retro fugiens viſo domitore recedis
Damnate, & propria perdite fraude Draco,
Languet ad excelſi victoris territa vultum,
Iam reprimens triſtes mors inimica minas.
Quàm noua depaſcens florentiq; aucta vigore,
In Chriſto abſorbet vita beata Deo.

Hac æterne Deus lætaris laude, cupiq;
In Christo miseris omnibus esse pater.
Non alio gaudes, & delectaris honore,
Quàm tibi quem pacis Filius autor habet.
Filius, emundans qui nos à sordibus ægros,
Membra sui frater corporis esse sinit.
Luceat hæc sanctos iungens tua gloria cætus,
Agnitio Christi, gloria vera tua est.
Quam procul Oceano populosus iungitur orbis,
Te celebrent verbo corda renata tuo.
Conuersæ faciant de te præconia gentes,
Et vigeat vero nomen honore tuum.
Hoc, tibi quod proprium est, opus agnoscatur, inane
Omne quod à nostris viribus exit opus.
Transeat ad nostros pietas tibi grata nepotes,
Teq; piè pura posteritate colat.
Sis bonus ô felixq; tuis, vultuq; benigno
Dedita militiæ respice membra tuæ.
Nec fine langueſcat viui fiducia verbi,
Aut fuco species lubrica corda trahat.
Sed tibi syncerus constanter adhæreat ardor,
Quem pacata tui gignit amore fides.
Te placeant nostri tibi fortunante labores,
Tu rege, quod facimus ductor & actor, opus.
Si quà manent etiam nostræ contagia culpæ,
Hæc veluti donans æra, aliena tege.

Qui

Qui tua dispersus profitetur dogmata, cœtus,
Te loca seruatus tuta tegente colat.
Te metuant fontem, de quo ius manat & æquum,
Fas quibus est populis dicere iura suis.
Tu pacem & leges, artesq; tuere togatas,
Imperij nutu tu rege frena tuo.
Tu facito, vt felix vitæ labor omnis in vsu
E solida gignat commoda nata fide,
Non nos noster agat per deuia lubricus error,
Nec coluber lapsos nos homicida trahat,
Tu motus animis, tu promptas suggere vires,
Vt studium laudi seruiat omne tuæ.

PSALMVS XCI.

Qui habitat in abdito altissimi.

PRædicat agnitionem Dei, veram inuocationem & fidem, et docet quæ commoda inde proficiscantur videlicet, tranquillitas conscientiæ protectio Dei in rebus secundis & aduersis, custodia angelorum, & conseruatio ad vitam æternam.

ARmamenta Dei qui fidit in abdita summi,
Omnia præstantis quem tegit vmbra Dei,
Sic ait ad Dominum, portus mihi solus, & arx es
Mi Deus, in cuius spes mea fixa sinu est.

A laqueo ſiquidem me venatoris hiantis
Eripis, à dira me quoq; peſte tegis.
Ille ſuis ſemper tutum te conteget alis,
Spes tua ſub pennis illius omnis erit.
Horrida non metues cæcæ præſtigia noctis,
Non metues medio ſpicula miſſa die.
Non metues noctis graſſantem tempore peſtem,
Non metues medio ſparſa venena die.
Vt tibi mille latus cingant diſcrimina mortis,
Vt cingant dextram millia multa tuam,
Contingent te nulla tamen, ſed fortiter ibis,
Liber ab infeſtis, hîc & vbiq; malis.
Ipſe tuis oculis coràm tua gaudia cernes,
Impius exitium teq; vidente dabit.
Nam tua ſpes Dominus, tua nam fiducia ſumma
Fixa Deo, ſpondet certa ſalutis opem.
Nulla tibi obuenient aduerſi incommoda fati,
Nulla tuam afficiet plaga ſiniſtra domum.
Spiritibus nam iuſſa ſuis dedit ipſe creator,
Vt pro te excubias ſoſpite ſemper agant.
Ne tuus in lapidem pes vnquam impingere poſſit,
In manibus ſemper te ferat illa cohors.
Fortia crudelis contundes corda Leonis,
Sub pede trita tuo membra Draconis erunt.
In me ſpem ſiquidem ponit, ſperàtq; ſalutem
Semper ab ærumnis me duce liber erit.

Ipſe

Ipſe tegam ſæuis defenſor ab hoſtibus illum,
Nominis agnouit nam decus omne mei.
A me poſcat opem, facilem me offendet, & illi
Rebus in aduerſis ſemper adeſſe volo.
Illum ipſe eripiam, & multo dignabor honore,
Et faciam vt videat ſecula longa ſenex.
Illi omnem, totamq́ meam monſtrabo ſalutem,
Omnia qui poſſit me ſciet eſſe Deum.

PSALMVS XCI.

Qui habitat in adiutorio altiſsimi Carmine redditus, à Ioanne Stigelio.

PRædicat agnitionem Dei, veram inuocationem & fidem, et docet quę commoda inde proficiſcantur, videlicet, trãquillitas conſcientię, protectio Dei in rebus ſecundis & aduerſis, cuſtodia angelorum, & conſeruatio ad vitam æternam.

QVius in inuicto ſola eſt fiducia Chriſto,
Cuius in æterno eſt abdita vita Deo.
Ille velut molli placidè defenſus in vmbra,
Præſenti viuet tutus vbiq́ Deo.
Ille Deo dicet, mihi tu ſpes robur & arma,
Tu Deus es vitæ portus & aura meæ.

Fide

Fide Deo tantum, non hic te deseret vnquam,
Omnibus ærumnis hoc duce liber eris.
Hic te de laqueo surreptum educet eorum,
Qui ponunt vitæ retia crebra tuæ.
Non species falsi, non subdola lingua malorum
Vlla tibi mœsti causa doloris erit.
Ille suis tutum præsens te conteget alis,
Vt tegit implumes sedula mater aues.
Ille tibi quicquid cœlesti voce recepit,
Hoc poteris clypei semper habere loco.
Hoc vbi cor fidum mentemq; armaueris altam,
Non vitæ metues vlla pericla tuæ,
Siue ea sub cæca velut incedentia nocte
Spectra, dolo & tacita fraude latenter eant.
Siue ea vi sæua & furijs grassentur apertis,
Vt volat in medio missa sagitta die.
Siue ea more auidæ passim grassantia pestis,
Aspera cum rigida morte venena trahant.
Dæmona non media metues in luce vagantem,
Atq; animos doctum fallere mille modis.
Ille animis nebulas offundit imagine veri,
Et specie fucum dissimulante nocet.
Induit externum simulatæ lucis amictum,
Intus habet præter fœda venena nihil.
Nec mora, nec requies illi, sed obambulat orbem,
Et capit astutis pectora læsa dolis.

Vt

Vt lupus innato ſolitus ſæuire furore,
Lædere cum neſcit viribus, arte nocet.
Sæpè canem ſimulans furtim veſtigia torquet,
Circuit & timidi vafer ouile gregis.
Tunc niſi balatu vigiles poſcente moloſſos
Auxilium innocuæ vociferentur oues,
Irruit in medium mactator, & omnia ſæuo
Dente rapit, fuſo terra cruore madet.
Sic quoq; vel media velut vmbra in luce vagatur,
Damnatus proprio ſpiritus iſte malo.
Paſſibus & furtim populos mendacibus ambit,
Quos iuuat à vero nomen habere DEO.
Opprimit incautos, prudentiſ us arte reſiſtit,
Securos facinus ſæuus in omne trahit.
Vtq; latet uiridi ſub gramine concolor Aſpis,
Clamq; uiatorem fauce tumente petit,
Ille parum primo contactus inhorruit ictu,
Tardius & ſparſum ſentit adeſſe malum:
Victa ueternoſa ſed uita grauedine tandem
Deficit, & fragili mole ſoluta fugit.
Sic quoq; Dæmony quibus huius uirus adhæſit,
Quod iacere occulta molliter arte ſolet:
Tempore decepti languent, ac tempore freti,
Sæpè etiam æterna morte perire ſolent.
Felix hoc potuit quicunq; agnoſcere monſtrum,
Eius & infracta tela cauere fide.

Hoc

Hoc mens ſola poteſt, tibi quæ fons viue ſalutis
In ſolo viuit dedita, Chriſte, Deo.
Fide Deo tantum non hic te deſeret vnquam,
O quantum eſt vni fidere poſſe DEO.
Hic & morte poteſt mulctare, & reddere vitam,
Hoc duce & in media viuere morte potes.
Vtq́ tuo videas ferro, nece, flumine, flamma,
A latere ad mortem millia multa rapi.
Scilicet à læua videas ad funera mille,
Moxq́ decem à dextra millia rapta trahi.
Non tamen ad te aliquod, quoniam ſcis fidere Chri-
Ex vlla poterit parte venire malum. (ſto,
Te ſpectante dabunt iuſtas turba impia pœnas,
Tu cernes oculis funera grata tuis.
Præmia peruerſis, qui commeruêre, videbis
Iuſticia culpæ conueniente dari.
Nam potes hoc læto depromere pectore verbum,
In te ſola ſita eſt ſpes mihi, viue Deus.
Alta tibi fixa eſt ſublimi regia muro,
Firmaq́ ſunt aulæ celſaq́ tecta tuæ.
Nulla poteſt ad te graſſari infeſta Tyrannis,
Tu Dominus vires ſpargis vbiq́ tuas.
Ad te confugiens iuſtis defenditur armis,
Membra domus præſens protegis ipſe tuæ.
Hæc quia te Domino confidere dicis, & illum
Auxilium affirmas & decus eſſe tuum.

Nulla

Nulla tibi aduerſæ fortunæ tela nocebunt,
Obſuerit duri vis tibi nulla mali.
Si qua etiam arcani pœnam trahit ordine fati,
A thalamis aberit publica plaga tuis.
Nam Deus ille tuus qui ſolus cuncta gubernat,
Quem tellus latè ſyderaq́ alta tremunt.
Ille tibi, quocunq́ viam ſub cardine carpas,
Ad latus angelicos iuſſit adeſſe choros.
Hîc tibi ſubijcient ne pes tibi ceſſitet vſquam,
Turba miniſtrantes officioſa manus.
Ipſe tuos figes ſæuam ſuper Aſpide greſſus,
Per medias poteris fortiter ire feras.
Calce tua cedet ſoboles protrita leonum,
Preſſa tuo retrahet ſub pede colla Draco.
Fide Deo tantum, non hic te deſeret vnquam,
Quem tibi ſic patrio pectore crede loqui.
Me quoniam toto ſitibundus pectore quærit,
Me quoq́ ab aduerſis vindice tutus erit.
Ipſe meo tectum ſeruabo numine præſens,
Nam iuuat hunc memorem numinis eſſe mei.
A me poſcit opem, mea numina clamat & orat:
Percipiam miti ſupplicis aure preces.
Cum gemit ærumnis caſuq́ oppreſſus iniquo,
Illius in medijs ſum comes ipſe malis.
Eripiam miſerum claroq́ in lumine ſiſtam,
Luceat vt tituli celſus honore mei.

Ornabi

Ornabo incolumem longæuæ munere uitæ,
Perpetuò auxilium ſentiet ille meum.

PSALMVS XCVIII.

Cantate Domino canticum nouum.

ADhortatio ad gratiarum actionem pro victoria Chriſti deſtruentis peccatum, mortem & Diabolum, & copulantis ſibi hoc beneficio humanam naturam, vt vna cum illo æterna beatitudine perfruatur.

HInc noua gauiſæ deducite carmina mentes,
Carmina uiuifico fundite grata Deo.
Namq́ nouum hoc ipſum eſt meritò & mirabile factum
Quod noſtro dignum tempore laude facit: (cui,
Autorem ſcelerum famula cum morte Draconem
Militia dextræ contudit ipſe ſuæ.
Quæris ubi, & quænam domini ſit dextra potentis,
Filius hoc meruit nomen habere Deus.
Hic patris eſt uirtus, patris omnipotentis imago,
Conſpirat nati cum pietate pater.
Nota ſuæ fecit monumenta arcana ſalutis,
Se miſeris patria dum patefecit ope,
Namq́ memor ueniæ, ueriq́ tenaciter ardens
Indoluit noſtrum commiſeratus onus.

Intuitusq́

Intuitusq; sui se totum in imagine gnati,
Tardius auxilium noluit esse suum.
Et tibi quod pepigit genus Israelis auitum,
Præstitit in misso vindice verus opem.
Ergò vbicunq; patent habitatæ climata terræ,
Ista Deo lucet missa fauente salus.
Quinetiam extremus qua gentes terminus ambit,
Noscere quæ uerum non didicêre Deum,
Nunc sonat, & veram doctrina professa salutem,
Instaurat regnum, maxime CHRISTE, tuum.
Grata Deo resonent plaudentis iubila terræ
Edere qua viuum vox valet vlla suum:
Carmine contendant, qui carmina pangere norunt,
Grata Deo iunctis vox sonet alta choris.
Dum resonent cytharæ cytharis respondeat hym-
Misceat harmonicũ Musica docta melos. (nus,
Iuncta tubæ segetes ductarum buccina vocum
Fundat, & adplausu corde sequente trahat.
Ecce etenim ingreditur magno rex celsus honore,
Qui miseris cœli regna beata parat.
Omnis in aspectum venientis confluat ordo,
Agnoscatq; suum pompa decora ducem.
Ante Ducem incedunt ducti longo agmine vates,
Et gestant tremulas igne micante faces.
Ad latus hæret amans præconum turba docentum,
Quos toto intrepidos iussit in orbe loqui.

Dehinc ingens numerus, delecti copia cœtus,
Membra Deo gratæ fortia militiæ.
Matres atq; viri, pueri, intactæq; puellæ
Spes eadem quibus est omnibus, vna salus.
Ipse tenens sceptrum vultu verboq; serenus,
Qua venit æternas spirat ab ore rosas,
Ore rosas loquitur, non quales educat hortus,
E patrio quales sed tulit ipse sinu,
Nolo mori quenquam, quantumuis fœdus & asper
Ignoret legis iussa verenda meæ.
Sed volo conuersus peccandi more relicto
Per mala, per mortem, me duce Victor eat.
Perstrepet & resonet tanti præconia regis,
Principium vitæ quicquid alentis habet.
Tu mare veliuolum, tu terræ frugifer hortus,
Tam bene promeritum tollite laude Deum,
Qua montes varijs, connexi vallibus hærent,
Quaq; abeunt nota flumina longa via,
Orbis amor redamet, mundi rude vulgus amantem,
Et celebret verum voce fideq; Deum.
Sic meruit, quoniam potuit mitescere iudex,
Et lenire ampla ius pietate suum.
Iamq; venit, verbiq; sui vestigia lustrans
Iusticiæ ingreditur nuncius ipse suæ.
Omnibus hanc offert, toto qui pectore culpam
Pacifica versi perdoluêre fide,

PSAL.

PSALMVS CIII.

Benedic anima mea.



Entis & linguæ vigor & facultas,
Quicquid est fibris animæ sonori,
Quicquid in toto superest sagacis
Corpore sensus.

Fer DEO laudes, benedic parenti
Omnium rerum, resona potentem,
Omnium dulci celebra bonorum
Carmine fontem.

Illius curam celebra paternam,
Illius gaude meminisse dona,
E sinu & dextra bona qui benigne
Omnia fundit.

Qui tuæ crimen tegit omne culpæ,
Et reum mortis recipit paterne,
Qui tuos morbos vitijq; labem
Sanat & aufert.

Qui tuam vitam redimens tuendo
Ad latus præsens tibi semper hæret,
Gratia qui te fouet, & beata
Pace coronat.

Qui tibi menses cumulat nitentes,
Largus & victum tribuit quotannis,

Os tuum replens, renouansq́ læto
Flore iuuentam.

Qui decus causæ malè iudicatæ
Asserit pressis sub acerbiore
Iudice, & sanctæ seriem tuetur
Iuris & æqui.

Hic DEVS sese patefecit olim
Et Duci Mosi & populo vaganti,
Cum suo agnouit Dominum fauentem
Principe vulgus.

Quantus est, magnus Deus absq́ fine,
Totus æternum bonus est, & esse
Gaudet, & lapsis miseretur vltrò
Tardus ad iram.

Non iuuat longum meminisse noxæ,
Non DEVM offensæ stimulant dolores,
Nec nimis gaudet, meritas nec ardet
Sumere pœnas.

Non vt insultus meruêre nostri,
Et mali dirus cumulus patrati,
Ius pari nobis voluit vicissim
Reddere lance.

Altius quantum tegit omne cœlum
Infimum terræ spacium iacentis,
Gratia tantum DEVS in timentes
Semper abundat.

Quàm

Quàm procul primo rediens ab ortu
Eos, à regno Zephyri remota est,
Tam procul nostræ DEVS omne culpæ
Pondus ademit.
Vt parens noxam sobolis dolendo
Ingemit, casum miserans acerbum,
Sic DEVS fidi recipit timentes
Patris amore.
Nos opus certè manuum suarum
Respicit, nostræ memor & ruinæ,
Sponte conseruat quod amicus autor
Perdere nescit.
Est homo fœno similis virenti,
Quod dies vnus macerat resectum,
Occidit florens, quasi flos in ipso
Deficit agro.
Namq; ab humano resolutus olim
Corpore, excedens vigor emigrabit
Et semel lethum comitata, nulli
Vita redibit.
Sed DEI immota est bonitas, nec vnquam
Orta, nec fixas habitura metas,
Et sui semper similis manebit
Nescia finis.
Ille ius summum venia paterna
Temperat, mitis, facilisq; cunctis

Christe qui tecum semel icta pacis
Fœdera seruat.

Efficit iustos minimè merentes,
Qui fide auditum tenuêre verbum,
Et pio fructus fidei probatos
Pectore præstant.

Filio regnum genitor potenti,
Et thronum in cœlis stabilem sacrauit,
Hic potens toti dominatus orbi
Sceptra tenebit.

Agnitum vero celebrate plausu
Spiritus casti, volucres ministri,
Qui data humanæ vigiles saluti
Castra tenetis.

Agnitum vero celebrate plausu
Dissiti longas homines per oras,
Quos vocans vltrò pariter volentes
Legit ab æuo.

Hunc DEVM vero celebrato plausu
Omnis & virtus, opus omne rerum,
Quam DEI latè dominata regnat
Summa potestas.

Hunc DEVM vero celebra timore
Mens mea, huic dulci numerosa cantu
Laudibus celsò meritis sonantes
Dicito grates.

PSAL.

PSALMVS CIIII.



Laude Deum celebra, mea mens, mea lingua, meum cor,
Quicquid & hoc hominis plasma vigoris habet.
Mi Deus, ô hominum rerumq; æterna creator,
Perpetua immensa fons bonitate fluens.
Magna tua est verè mundoq; potentia maior,
Cui verbum afflauit semina prima tuum.
Qua patet hoc cœli mundiq; illustre theatrum,
Aere quod clausum cingit & ambit humum.
Te velut indutum fulgente decoris amictu
Prædicat è factis gloria viua tuis.
Veste velut cinctus, proprio tu lumine clarus
Extendis cœli pendula texta tui.
Tu Deus ille opifex rerum, atq; immensa potestas,
Qui Domini nomen cuncta potentis habet,
Qui sua castra potens medijs continguat in vndis,
Continuas cœli qua vehit humor aquas.
Et per densa suos inducit nubila currus,
Quæ velut extenso pendula fune tenet.
Ventorumq; volans rapidas super ambulat alas,
Et digito seruat cuncta creata suo.
Qui tibi magnanima validam virtute creasti
Militiam, angelicos ignea castra choros.

Qui volucres animæ celeri velut igne volantes
Mandati expediunt iussa verenda tui.
Tu proprio stabilem fundasti pondere terram,
Vt stet in immota iussa manere loco.
Hanc etiam Oceani velut allabentis amictu
Velasti rapidis prouidus autor aquis.
Ecce sinus terris sublimior extat aquarum,
Mergitur assusis non tamen illa vadis.
Sed latices tacitè scatebris vrgentibus haurit,
Et variè acceptas fusa refundit aquas.
Inde abeunt viua puri scaturigine fontes,
Et fluuij, & longo stagna repleta.

Hunc Psalmum non fuisse absolutum
à Domino Stigelio P. M. memini,
Nam quodam vesperi ex tem-
pore effundebat hos versus.

PSALMVS CXXII.

Quis furor est cæco terris errore vagari,
Tristis homo & patrij non meminisse poli?
Dum tibi naturæ demerso in sordibus ægræ,
Quæritur è fluxis vita beata bonis?

Omnibus

Omnibus est numeris, omni ratione beatus,
Qui didicit pura mente timere Deum.
Ille Deum verum nouit, notumq; veretur,
Se qualem ex alto prodidit ipse throno.
Ficticijsq; procul gaudet seiungere diuis,
Impia quos proprio turba furore facit.
Dumq; implorat opem, nouit quæ meta petendi,
Quis patris excipiat candida vota fauor.
Nec dubitans trepidat, ceu cætera turba, Deorum
Innumerabilium quæ sibi fingit onus.
Non metus hunc vrgens, hominum non gratia fran
Nominis aut docto gloria picta dolo. (git,
Non auri sitiens, cruciati cordis hirudo,
Aut quidquid temerè corda ciere solet.
Sed delicta cauens, & culpam sponte nocendi,
Vni iuncta Deo facta probare studet.
Qualis vbi obseruat fidi mandata parentis
Conscius officij filius esse solet.
Non temerè offendit, sed si tamen incidit error,
Et dolet, & veniam fretus amore petit.
Interea vt rectè diuinum numen adoret,
Suscipere & verum discat vt ipse Deum,
Dilectam sobolem præceptis format amicis,
Inq; sua instaurat templa probata domo.
Sic gentem erudiens, pietatis præuius autor
Exemplo reliquum ducit eunte chorum.

Ergo bonis cumulans talem Deus auget & ornat,
Et celebrem multo largus honore facit.
Et genus illius longum producit in æuum,
Nominaq; æternum non abolenda fouet.
Res tanta est pietas, soboles longæua piorum
Numinis auxilio cuncta fouentis habet.
Progenies iusti felicia secula complet,
Impia nulla diu gens superesse potest.
Tota Deo inuisi perijt domus impia Saulis,
Iesigena salua posteritate domus.
Adfluit ampla Deum semper fortuna timenti,
Ille Deo plenas semper habebit opes.
Et quia iusticiæ vitam traducit amore,
Semper erit tituli celsus honore sui.

PSALMVS CXXVII.

NEcquidquam domus vlla fabricatur
Sumptu magnifico, & laborioso
Humanæ sapientiæ apparatu,
Ni præsens Deus Architectus, idem
Et curam gerat, & regat laborem.
Nequicquam vigiles tuentur vrbem,
Ni præsens Deus inter excubantes
Nutu mœnia protegat sereno.
Res est irrita, res malè lucrosa,
Somnum rumpere manè blandientem,

Nondum

Nondum ſole ſuam ſpargente lucem,
Somnum reprimere, & male obſequentem
In noctem vigili domare cura,
Vt quæſtum cumulent crebri labores,
Cui vult ille Deus, vel ocioſo
In ſomnis etiam adpluit benignè
Vitæ diuitias beatioris.
Ille eſt prouidus, omnia adminiſtrat,
Et largus dona cuncta dat petenti,
Sic donum eſt etiam Dei violentis
Pignus coniugij, pudica proles.
Vt promptæ in manibus viri ſagittæ
Robuſti, & iaculum vibrare docti,
Sic & maſcula patriam iuuentus
Ornat præſidio, & pio labore,
Dum virtus viget, & Deo probatur.

Felicem ante alios, Deoq; charum,
Cui tales pharetram replent ſagittæ.
Nil quidquam metuet, nec erubeſcet,
Quando hoſtes patriam prement, & ipſis
In portis etiam minas ciebunt.

PSALMVS CXXVIII.

Beatus qui timet Dominum.

Beatus



Eatus ille qui Deum negocijs
In omnibus vero colit timore.
Et eius in vestigijs
Immotus immoratur.
Labore lætus obsequentis dexteræ,
Partis honestè commodis frueris,
Bonisq; cunctis adfluens,
Benè ac beatè viues.
Vt ampla vitis vuulis lætentibus
Illustribusq; splendicans corymbis,
Plenum leporis vineæ
Addit decus virenti.
Sic pulchra, sic fœcunda, sic amabilis
Coniunx amabili beata prole,
Omnem cohonestans domum
Decus tibi parabit.
Sicut tenellas latè in orbem plantulas
Virentis explicat parens oliuæ,
Qualis iugis in arduis
Nabathæa fert Idume.
Tecum tui assidentes liberi
Pulchrè integri, pulchrèq; germinantes.
Mensam tuam pulcerrima
Circundabunt corona.
Sic à Deo beatus omnis adfluit
Vero Deum qui diligit timore,

Eumq́ rectè in filio
Agnoscit, & veretur.
Bonis Deus te prospe|*rabit omnibus*
Salutis arce la|*rus ex Sione,*
Florentis vt Sólymæ decus
Lætus videre possis.
Nunquam carens egebis vllius boni
Quod ad salutem pertinet volentis,
Tuamq́ progeniem Senex
Cum gaudio videbis.

PSALMVS CXXVIII.



Vi timet, & castè numen cœleste ve-
retur;
Et iussum rectè tramite carpit
iter.
Ille potest fama dici constante beatus,
Ille animi floret, corporis ille bonis.
Non illi deerunt communis commoda vitæ,
Et mens recta suæ certa salutis erit.
Quisquis es, è proprio quærentem alimenta labore,
Te præsens inopem non sinet esse Deus.
Prole sua felix, lætæq́ simillima viti
Splendor erit domui nupta pudica tuæ.
Obsita vernabit natis tibi Mensa tenellis,
Vt teneris floret mitis oliua comis.

Ecce

Ecce Deus tanta cinctum bonitate coronat,
Qui sequitur rectam, quam probat, ille viam.
Gratia de templo sanctæ patefacta Sionis,
Te patrio saluum semper amore teget.
Vt videas vero florentem dogmate cœtum,
Participem cœli quem cupit esse Deus.
Vt videas natosq́ tuos, scriemq́ nepotum:
Felicemq́ pia posteritate domum.

PSALMVS CXXXI.



Hoc tibi viue Deus possum adfirmare scienti,
Te coram elato non ego corde fui.
Sum nihil, hoc memini, nota est mihi semper oberan-
Ante oculos massæ tristis imago meæ. (tis
Non tumidum sapiens, proprijs nec viribus audax,
Stultitiæ ingredior cæcus amore meæ,
Magna nec adfectans violentis somnio curis,
A quibus hoc distat futile plasma procul:
Agnouisse tui gaudens solatia verbi,
In nutu posui spemq́ fidemq́ tuo.
Quando anima hæc altum sapiet, nec se ipsa coher-
Præsenti perget iussa silere Deo: (cens
Tunc puero similis materni lactis egenti,
Qui sit ab irata matre repulsus, erit:

Nam

Nam veluti macie depastus deficit infans,
Cum negat impatiens ubera nota parens,
Deficiens animæ, sic vis extinguitur omnis,
Quàm pateris verbi lacte carere tui.
Nulla salus homini, nisi quam largissima præstat
Æterni miseris vox patefacta Dei.
In solo confide Deo, quicunq; salutem
Expetis, hic prompta semper abundat ope.

LOCI EX PSALMIS.

Ex Psalmo 3.

Ego cubo & dormio, & euigilo, quoniam Dominus sustentat me.

Vatus homo, & vilis vitioso in tempore truncus,
More feræ stratus nocte silente cubo.
Et quasi degustans Letheæ pocula mortis,
Membra vaporifluo victa sopore premor.
Sed rursum euigilans ad vitæ munia surgo.
Et vitam stabili luce superstes ago.
Me quoniam patrio tegit & conseruat amore,
Omnia qui seruat viuus vbiq; DEVS.

Ex Psal-

EX PSALMO XI.

IN Domino confido DEO, cede impie liuor,
Cur animæ dicas lingua proterua meæ?
Exul abi ignotos nemorum pede transfuga montes,
Pulsus vt à noto tegmine passer abit.

PROPEMTICVM EX psalmo XXIII.

IPse Deus pastor meus est, me ducit euntem
Nil mihi præsidij, copia nulla deest.
Gramine me læto propè fontem pascit amœnum,
Hinc animæ recreat viscera tota meæ.
Iustitiæ seruante suæ me tramite ducit,
Inde viæ metuo nulla pericla meæ.

EX PSALMO XXV.

IVstitiæ rectiq; decus, mea cura, meum cor,
Vindice pugnanti sint mihi tela Deo,
His ego semper crò fuso sine sanguine victor,
Ossor vt inuidiâ viscera rumpat iners.
Nam quia diuini Cynosura altissima verbi
Me regit, hoc metuam nulla pericla Duce.

EX PSALMO EODEM.

QVam

Quam mihi iustitiæ monstrat, quam regulá recti,
Hac me perpetua fac Deus ire viá.

Ex eodem Psalmo.

Integritas & iustitia custodiant me &c.

Quid mens ægra iaces? animiq; fixa
Cœlestes trahis impotenter alas?
Cur habes malè, cur laboriosè?
Sic nos hæc terit & fatigat ætas,
Vt sint plurima perferenda multis,
Qui culpa vacui ferunt nocentum
Pœnas immerito, dolentq; culpæ
Externæ graue, plumbeumq; pondus:
Ergo sit cynosura, & vna semper
Nostræ regula nauigationis,
Verum nosse Deum, & piè vereri,
Mandatæq; lucem professionis
Syncero officij timere cultu:
Tum præsens tibi quicquid hora sortis
Aspergat sine stomacho libenter
Amplecti, & furiosa probra vulgi
Motis tradere distrahenda ventis

Ex Psalmo 34.

Grata Deo memori dicam præconia versu,
Donec in hoc aliquis corpore sensus erit.
Semper ab ore meo laus illius ampla sonabit,
Dum potero linguæ plectra mouere meæ.
Seu tua me dubijs doceat confidere rebus
Pernigil in mores cura paterna meos.
Seu mihi de pleno reddas solatia fonte,
Victor vt incedam per mala cuncta Deus.
Quidquid ero, quidquid mihi vitæ obuenerit vsu
Te celebrante tibi carmine gratus ero.
Certè anima hæc pridem sua gaudia prædicat in te,
Numinis & tollit se bonitate tui.
Exemplum vt capiant humiles & mentibus ægri,
Quos sua delicti pondere culpa premit.
Et mecum assuescant diuinum inquirere fontem,
Plena Deo miseris prouenit vnde salus,
O quoscunq; iuuat cœtus pars parua vocari,
Qui nunc æternum nouit amatq; Deum.
Huic agite & mecum dominum celebrate potentem,
Illius efferri nomen astra decet. (tem,

Ex eodem,

Castrametatur angelus Domini &c.

Fisa Deo positis circundat pectora castris
Angelus æterni missus ab arce Dei.

Eripit

Eripit ille pios præsenti à clade malorum,
Seruatosq; omni fortis ab hoste tegit.
Sic quoq; grassanti frater vexatus ab Esau,
Angelica cernit castra locata manu.
Tutus ab Angelicis vates Saphateius armis
Euasit tumidi tela cruenta Syri.
Nosse Deum, & pura patefactum mente vereri,
Omnibus exposita est anchora tuta malis.

Ex eodem.

Diuites eguerunt &c.

OMnis eget diues, medijsq; in fontibus aret,
Cõmoda nec vitæ, quæ probat vsus, habet.
At quicunq; Deum non ficto pectore quærit,
Huic deerit placiti grãtia nulla boni.

Ex eodem Psalmo.

Iuxtà est Dominus his, qui tribulato &c.

ET Deus à latere est præsens, & proximus illis,
Vulnera qui cordis iusta dolentis habent:
Quiq; petunt humiles animo fidente salutem,
In medijs patrio seruat amore malis.

Ex Psalmo 36.

O quicunq; doles iniustæ opprobria linguæ
Spargere quæ temerè turba maligna solet,
Qui gemis insidias, artesq; oppressus eorum,
Qui nisi quod noceant nil ratione gerunt,
Æmula turbati ne corripe spicula cordis,
Ne simul noceas impietate caue.
Ne tibi turba nocens moueant sub pectore bilem,
Qui sola insignes impietate tument:
Floreat ad tempus qui plus valet arte nocendi,
Impietas stabilis non erit vlla diu.
Disce dolos omnes & vim superadde ferendo,
Hæc est propitio grata palæstra Deo.

Ex eodem,

HOc tamen ex imis cordis penetralibus ausim
Dicere, & inuidia non prohibente loqui:
Te penes est vitæ fons, & scaturigo salutis,
Aq; tuo verè lumine lumen abit.

Ex Psalmo 37.

EXiguam tolerare moram, Dominumq; vereri
Perge, graui læsus quisquis ab hoste doles,
Te Deus extollet, multoq; augebit honore,
Te spectante dolens impius exulerit.
Impia conantem vidi florere ferocem,
Vt viret in verno florida laurus agro,

Dum

Dum redeo Dominumq; loci ſortemq; requiro,
Nullus erat faſtu qui modo magnus erat.
Cui pie as curæ eſt, Deus hunc tegit, adiuuat, ornat,
A tergo pœnas impius omnis habet.

Aliter.

IPſe virum iniuſtum vidi florere nocentem,
Vt viret in pingui florida laurus agro.
Vix benè tranſieram, cum funditus ille periret,
Nullus erat ſubitò, qui modo magnus erat.

Ex Pſalmo 39.

HEu quàm vanus abit vitæ velut vmbra per ho
QVàm temerè curis ſollicitatur homo? (ras
Colligit ac neſcit cuius lucretur in vſum,
Aut quis ſit partas certè habiturus opes.
At quid ego expectẽ, quid te Deus optime poſcam,
In te perpetua eſt ſpes mihi fida fide.
Hæ mihi diuitiæ ſunt, hæc mihi regna triumpho
Dum vitam in Chriſto diuite dies ago.

Ex Pſalmo 45.

VIrginea ſanctum celebrans cum coniuge ſponſum,
Inclyte te læto carmine Chriſte canam.

Carmina grata Deo dulci ſpirantia verſu,
Iam pridem ex imo cor mihi fonte ſonat.
Quicquid in hoc radius diuinæ pectore lucis
Efficit, id viuo ſeruiat omne Deo.
Vt volat ingenio ſcriptoris penna volentis
Dum rapitur celeri littera ducta manu:
Sic mihi ſenſa meæ Chriſtum celebrantia mentis
Funde mihi prompto lingua diſerta ſono.
Inclyte Meſſia noſtræ promiſſe ſaluti
Quam pulchrè ingrediens ſponſe decore venis?
Nemo tibi eſt forma ſimilis, pulcherrime Princeps,
Quam latè hic hominum cœtus in orbe ſonat.
Ex oculis tibi lucet amor, frontemq; ſerenat
Gratia, in inceſſu eſt gloria vera tuo.
Quocunq; ingrederis, miti clementia vultu
Propitium miſeris te docet eſſe ducem.
Ad latus incedit bonitas te numine viuis
Hoc voluit ſapiens nomen habere pater.
Mitis es erga omnes, qui te non ſponte repellunt,
Largus es erga omnes, qui tua dona petunt.
Tunc quoq; cum mœſto luctantur pectora planctu,
Ante Deum culpæ conſcia facta ſuæ.
Cum malè ſe expediens naturæ lucta repugnat,
Iuſtitiæ & temerè commouet arma tuæ,
Tu veluti gladio pugnantem accinctus in hoſtem
Diminuis verbo ſaxea corda tuo.

Cedeu-

Cedentemq́ malis venia dignaris, & vltrò
Suſceptum dextræ protegis enſe tuæ.
Ergo age victor ades gladiumq́ accinge minãtem,
Eſt gladius verbi vis animoſa tui.
Hoc tibi corda ferit penetrans victricibus armis,
Subiugat imperio corda ſuperba tuo.

Ex eodem.

Omnis gloria filiæ regis ab intus &c.

GLoria qua tanti celebratur filia Regis,
Non foris adparet, ſed decus intus habet.

Ex Pſalmo 46.

QVem colit unanimi ſupplex eccleſia voto,
Noſtra Deus ſpes eſt vnica, noſtra ſalus.
Perſtat in hoc vno noſtri fiducia cordis,
Robora qui ſolus, quæ dare poſſit, habet.

Ex Pſalmo 51.

Expiabis me Hyſſopo &c.

ENmea coccineum referunt delicta ruborem,
Horrida ſum crudo maſſa cruore madens.
Ablue me folijs Hyſſopi aſpergine viua,
Tunc ego candidior vel niue totus ero,

Ex Pſalmo 57.

Sic agitata timens vrgentes cerua Moloſſos
Effugium nemorum per loca denſa petit.
Iactor & exagitor, dum me premit impius hoſtis,
In vitam iaciens ignea tela meam.
Quis locus oppreſſo, quæ ſuſcipit vmbra cadentem,
An mihi ſpes certa nulla paratur ope?
Sæpè fugax ales, dum vis properantior vrget,
Excipitur manibus caſte colone tuis.
Nulla mihi ex hominum ſpes eſt capiunda fauore,
Res eſt inuidiæ plena nocentis homo.
Tu miſerere mei, miſerere dolentis & ægri,
Hoc cuius proprium eſt munus, opuſq; Deus.

Ex Pſalmo 61.

Da nobis auxilium &c.

Fer Deus auxilium: tua nos præſentia ſeruet,
Acciſis quoties rebus egemus ope.
Namq; hominũ quidquid fallax ſapientia ſpondet,
Vmbra etiam quauis vanius eſſe ſolet.

Ex Pſalmo 62.

Nvlla tui auellet me vis à limine templi,
Secula lex æui donec euntis aget.

Me

Me teget amplectens alarum vsura tuarum,
Vnica præsidij spes mihi semper eris.

Ex Psalmo CXII.

Bene viro isti, qui administrat negotia sua iustè.

FElix, & merito beatus idem,
Quem iustè iuuat exequi labores,
Quoscunq; officij decus requirit.
Non ille à strepitu sibi timebit
Famæ præstigijs tumultuantis,
Dum vel bella vagos mouent pauores,
Et serpunt hominum dolis politi
Rumores siliquis inaniores.
Vel fortuna rotam maligna vertens
Immutat bona, tesseramq; frangit.
Illi cor stabile, & fide probatum,
Affixumq; Deo, benigna præstat
Synceræ documenta disciplinæ.
A fuco procul & dolo remotum:
Præstat, quod fieri piè necesse est,
Euentusq; Dei in sinum reponit:
Addit se comitem Deus per ipsas
Ærumnas patrio fauore lucens.
Hîc vitæ modus est, hæc vna summa
Virtus grata Deo; timere verum

Pura mente Deum, cauere morſus
Qui mente ſibi conſciam perurunt,
Et plenis alios iuuare velis.
Sit Dux integritas, comes ſit huius
Quæ ius cuiq; ſuum benigna differt.
His alis inuet è Salo profundo
Emerſum, & pelago periculorum
In campos nitidi euolare cœli.

Ex Pſalmo 65.

TE mea pace fruens promiſſæ certa ſalutis
Carminibus geſtit mens celebrare Deus.
Qui pater æternæ dominaris in arce Sionis,
Et ſeruas regno corda renata tuo.
Vota tibi reddam gratam teſtantia mentem &c.

Ex eodem.

Coronas annum benignitate &c.

IPſe tua præſens annum bonitate coronas,
Et facis inceſſu pinguia rura tuo.

Ex Pſalmo 70.

ET tamen hæc anima eſt in te confiſa, tuamq;
Expectans petijt Chriſte redemptor opem.

In te

In te ſpem poſui, quamuis morboſus & æger

Ex Pſalmo 75.

Afflictis calicem diuina potentia præbet,
Qui triſti ſeruet ſemper amaricie.
At quibus à Chriſti patiens ſpes ſanguine pendet,
Et ſummo latices purius ore bibunt,
Exorbent ipſa tetros cum fece liquores,
Eſt quibus æternus nomen inane Deus.

Ex Pſalmo 83.

Vt q̃ volans latè nemus altum deuorat ignis,
Cum fiunt ſubitus gramen & herba cinis.
Sic vbi cœpta tuæ tempeſtas ingruit iræ,
Mox celerem capiunt impia turba fugam.

Ex Pſalmo 90.

Sic hominum fugiens nugis conſumitur ætas:
Vt ſpectata oculis fabula plebis abit.

Ex eodem.

Inſpiciat veras humiles patientia cauſſas,
Cur premat humanum ſors oneroſa genus.

Ex Pſalmo 92.

Nil ho-

Nil homini melius, vitæ nil dignius vsu,
Laudibus æternũ quàm celebrare Deum.

Ex Psalmo 103.

Qui tua propitius delicta remittit, & omnes
Errores patrio sanat amore tuos.

Ex Psalmo 116.

In cruce seu afflictione.

Quid tibi pro meritis, quid pro bonitate rependam,
In me qui cumulas tot beneficia Deus?
Accipiam calicem, quem tu pater optime misces,
Ille meæ lucrum namq; salutis habet.
Et fidente preces gratus tibi pectore fundam,
Vt placidum vera cor mihi luce regas.

Ex Psalmo 118.

Lapidem quem reprobauerunt ædificantes &c.

Quem manus ædificans procul iudignata remouit,
Angulus est posita factus in arce lapis.
Sustinet is tota iunctas in mole columnas
Quem vis nulla loco dura mouere potest.

Istud

Istud opus Deus alme tuum est, mirabile dictu
Non aliqua nobis quod ratione potest.
Tu nisi dimittens patria te in luce videndum
Adflatu remoues pectora nostra tuo.
Hæc est magna dies vitæ veræq; salutis,
Hanc læto exultans pectore quisq; colat.

Ex Psalmo 139.

Nota tibi res est, stare, sedere, meum.
Qua mihi cunq; via est, mea tu vestigia lustras
Nec ratio motus te latet vlla mei.

Ex eodem.

Ipse meos certò præsens rege tramite gressus,
Vt norim veras rectius ire vias.

DE CVSTODIA DIVINA MANDATA ANGELIS.

Hinc diuinâ mihi memori custodia versu
Carmen erit, ceptum tu rege Christe melos,

Sit

Sit malè facundis ſine numine vatibus opto,
Turpe quibus vitium Muſa coacta canit.
Ipſe tibi iugulum vel adhuc abſcindito lugens,
Dum recitas nugas impie Galle tuas,
Tu quoq; ſupplicium vates Peligne ſubito,
Longè alia ingenij laude colende mihi.
Pergite Caſtalides, iam vobis agmen ab alto
Militiæ excubias ſemper agentis adeſt.
Vos quibus æterni faciem ſpectare parentis
Phas eſt, & Chriſto ſemper adeſſe Duci.
Vos teſtes mihi, vos comites perſæpè fuiſtis,
Sentio diuinam dum periturus opem.
Sæpè mihi dextram Chriſto tendente, miniſtros
Vos iuuit celeres ſuppoſuiſſe manus.
Muneris hoc veſtri eſt: memori quod mente recor-
Acceptum referens gratus id omne Deo. (dor,
Ergo Deo canitur noſtro dum gloria verſu,
Pronaq; in humanum cura paterna genus.
Vos mecum canite, & toto exultantia cœlo
Suauiter vnanimi carmine templa ſonent.
Principio, qui cuncta fouet, qui cuncta creauit,
Omnipotens verbi voce ſonante Deus.
Agnoſci à duplici voluit ſua Numina cœtu,
Obuius humanis, Angeliciſq; choris.
Hi puri à prima manſere origine mentis,
Ante Deum et certũ nunc quoq; munus habent.

Verum

Verum alij instinctu proprio, culpaq; nephanda
Degeneres, ortus deseruêre suos,
Amplexiq; malum sponte amisêre salutem,
Cædibus & vanis dedita turba dolis.
Dux horum & miseræ deceptor subdolus Euæ,
Ille hominum est atrox hostis, & ille Dei.
Quis sese inspiciens turbatæ in imagine mentis,
Non odium illius sentit & arma miser?
Illius instinctu primi amisêre parentes
Vera bona, autori grata futura Deo.
Amisêre Dei curam, amisêre salutem,
Et pœnam æternæ promeruêre necis.
Sed doluit miserans diuinæ gratia curæ
Deceptum hoc hominum turpiter esse genus,
Iussit & humano Messiam è semine nasci,
Qui semel omne huius destruat hostis opus.
Ille decus miseris, & cœlum reddidit ipsum,
Pro mundi erratis victima cæsa Deus.
Pugna manet tamen, hoc donec migremus ab æuo,
Peccatum impatiens hinc furit, inde Draco.
Non mordere pedem victoris desinit Anguis,
Triste licet strati conterat ille caput.
Interea tanti sit quanta potentia monstri,
Lingua hominum plenè dicere nulla potest:
Huic proprium est verum nodoso inuoluere falso,
Atq; odisse Dei mens bona quidquid amat.

Ille

Ille trahit captas cæca caligine mentes,
Seminat & tectis dogmata falsa dolis.
Diuinæ extenuat vim maiestatis, & omne
Diminuit falso Numinis ore decus.
Arte serit lites, & falsa ob dogmata sectas,
Et fratrum turpi corda furore ciet,
Quin etiam exitium meditans mortalibus ægris
Quottidiè sparsis sæuit in orbe malis.
Vera Dei oppugnat profitentem dogmata cætum,
Quaq; potest illi fraude nocere, nocet.
Excitat in furias sæuos & ad arma Tyrannos,
Vt moueant rupta noxia bella fide.
Sanguinis ingenijs flammas sitientibus addit,
Vt bona turbata publica pace premant.
Tum priuata trahens in tetras pectora clades,
Flagitijs animos, luxuriaq; grauat.
Tristibus adfligit pallentia corpora morbis,
Atq; æuum varijs casibus omne premit.
Inficit aërios putri fuligine campos
Vnde lues animis, rebus & vnde venit.
Obrueret celeri totum vertigine mundum,
Si citò quam vellet, tam citò posset idem,
Huic tamen opposita est diuina et summa potestas,
Inq; Deo cætus prouida cura sui.
Opposita est acies animarum instructa volantum,
Quæ pia pro nostra bella salute gerit.

Asserit

Asserit illa Deo in terris quem poscit honorem,
Asserit humanum fortis vbiq; genus.
Asserit imperia, & sæuis aduersa Tyrannis
Obstat, & oppressis eripit arma minis.
Nec tantũ hoc hominum vulgus commune tuetur,
Agminis Electi singula membra fouet.
Qua pius incedit, custodia cingit euntem,
Angelicosq; choros angulus omnis habet.
Huius ego specimen de me dum prædico curæ,
Exempli referò dum monumenta mei.
Plaudite cœlestes, mecum gaudete cohortes,
Sæpè iterum tali me iuuat ore loqui.
Ante thronum et faciem patris omnipotentis ober-
Spirituum casto numine plena cohors. (rant
Felices animæ, primaq; ab origine saluæ,
Turba ministra hominum, turba ministra Dei.
Astant. atq; hominum caussa mandata capessunt,
Præsenti miseros vt tueantur ope.
Nam quia spirituum quod cœlis excidit agmen,
Quod dedit exitij semina sponte sui,
Perpetuo infestum mortalibus imminet ægris,
Inuidet & partæ triste salutis opem.
Militiam opponunt cœlestem, atq; agmine facto
Iusta tuo ductu prælia Christe gerunt.
Illi hominum subita gaudentes morte Tyranni,
Incautis tentant nocte dieq; necem.

Hi vigiles veræ vitæ pro luce ministri,
Arcent luctifera sæua pericla manu.
Et comites hominum assidui sociiq; salutis,
Castra hominum studijs proxima semper habẽt.
Iam veluti manibus medio è discrimine portant,
Iustifica Christo membra recepta fide.
Iam manifesta ferunt audaci prælia dextra,
Spirituum quoties agmina spurca fugant.
Corda notant hominum, meditantum sensa guber-
Atq; arcent castis virus ab ingenijs. (nant,
Inspicit hos oculus patris omnipotentis, & addit,
Qua valeant, pleno numine Christus opem.
Namq; vbicunq; animi promissi in numine Christi
Spem noua firmantis corda salutis habent,
Illic regna tenens Christus dominatur, & agmen
Angelicum inuictis viribus esse iubet.
Vtq; patrem vigilans ante ipsum humana precatur
Morte sua & sceptro crimina mersa tegi,
Sic coram in terris hominum disponit amore
Hæc pia militiæ membra dicata suæ.
Sæpè aliquis casu, malè non meditatus ab hoste
In mala coniectus fata Dracone dolet.
Sæpè aliquis meruit tali ceu fuste domari,
Angelicam opponit sed Deus vltor opem.
Nondum egressus eram primi confinia lustri,
Mollis adhuc annis & tener ore puer.

Luce ſacra matrem ducentem ad templa ſequebar,
Ignotæ ſaliens lætus amore viæ.
Ecce Gigas populo de ſe ſpectacula præbens,
Ambulat ingenti corpore rarus homo.
Accurrit ſtudio nouitatis mobile vulgus,
Plebis in hunc oculus totius vnus erat.
Amnigenum verſat qua torrens agmen aquarum,
Pons erat occluſis traijciendus aquis,
Ipſe quoq́ exultans circum pueriliter audax
Neglecto in medias ponte prolabor aquas.
Vt leuis è ſcopulo venturi nuncius imbris
Mergus in æquoreas præcipitatur aquas.
Atq́ humeris cedens adpulſas excipit vndas,
Et natat infuſis, & tamen extat aquis.
Sic ego ceu pelagi ſpacioſo in gurgite vectus,
Obrutus inſanis nauigo tutus aquis.
Alas larga dabat veſtis ſuccincta natanti,
Mens memor exiles tollit ad aſtra manus.
Iam propè ſtagnantes cataractas raptus, ad imum
Vergere cogebar maſſula parua vadum.
Prolis amans ſpectat lugubris in aggere mater,
Quodq́ potest, tremulo præcipit ore preces.
Mox amens etiam dum ſe declinat in amnem,
Nititur & mortem morte cauere mihi.
Vnus, & is medio aſſiliens è turbine vulgi
Eſt ausus miſero dexter adeſſe mihi.

Ille mihi tendens porrectam ex aggere dextram,
Ambiguam rexit voce manuq; viam.
Et tandem adductum, cœlestis ab agmine turbæ
Reddidit è medijs me tibi mater aquis.
Sit bene, sit fauste tibi si modo viuis, ab alto
Ad tale haud humilis mens tibi venit opus.
Me vigiles Genij diuino à numine missi,
In dextram excubijs asseruêre tuam.
Mandatoq; Dei iam iamq; extrema videnti,
Funera pugnaces supposuêre manus.
Multa mihi infanti pueroq; ostensa referrem,
Signa assertoris plena fauore Dei,
Casibus impingens dum lactea pluribus ætas,
Crescit vt auerso planta tenella noto.
Omnia sed nequeo digno comprehendere versu,
Condita quæ grato pectore seruo tamen.
Ante Deum infantum cœlestes stare ministros,
Iussaq; mandatis tollere Christe doces.
Et tibi sit curæ puerilis semper vt ætas,
Vnde ætas sapiat postera Christe rogo.
Et sobolem tibi trado meam, tu delige vasa
Et serua ad laudem nominis apta tui.
Iam mihi florescens annis maturior ætas,
Liberior spacijs cæperat ire suis.
Gottha mei testis study, & puerilis alumna
Ingenij, dulci fouit amica sinu,

Gottha

Gotthia mihi patria est, flauis vberrima campis,
Quæ vetus à Gotthis inclyta nomen habet.
Ingenijs felix, his si fortuna faueret
Heu mihi nunc animos Martis ad arma parat.
Illic & repsi puer, & puerilia vixi
Otia, quæ curis & grauitate vacant.
Illinc cum facerem primo rude carmen amore,
Et loquerer doctis verba probata choris.
Vt caperem ingenij studio non simplice cultum,
Mittor ad Albiacæ docta theatra scholæ.
Regia lustraram speciosæ mœnia Torgæ,
Ad ripam ingrediens Albi secunde tuam.
Nox erat & tempus quo cardine surgit Eoo,
Et secum autumnum pleias orta trahit.
Iam lupuli florem vigilantia rura legebant,
Pocula qui cocto grata sapore facit.
Intentiq; operi, cantu solante laborem
Virginei vrgebant nocte silente chori,
Non poteram clausas Viteberg æ attingere portas,
Obscuri cogor ruris adire casas.
Nequidquam hospitium per inhospita tecta peten-
Excipit extremi littus ad Albis anus, (tem,
Mater anus faueas erranti, & tuta petenti
Hospitia, ô quali pectore gratus ero.
Sic tibi felices meant connubia natæ,
Et ruris teneant has locupletis opes.

Quis ſcit an hoſpitio ſis dignus furcifer, iſta
Parte ſede, expecta dum tibi plura loquar.
Hic probra multa tuli, dum non intelligor vlli,
Ignarus linguæ Vandale Saxo tuæ.
Dura diu renuit poſitæ commercia menſæ,
Fercula fortunæ dat tamen apta ſuæ.
Lacteolos ſilices, & olens in fece butyrum,
Pyraq; vicino pomaq; nata lacu.
Inde peti ſtrato iubet vda cubilia fœno,
Quà procul à laribus diſſita caula iacet.
Hic ego dum recubans inſomnem tranſigo noctem,
Integra vix vitæ ſtamina ſeruo meæ.
Namq; ruens eadē peteret dum ſtrata per Albim,
Quæ ſolet arboreas ducere turba rates.
Siue Bohema cohors ſeu Vandala, ſiue caleſcens
Spe prædæ, epoto ſeu furioſa Zytho.
Vt ſenſit ſolum ſine defenſore iacentem,
Enſe vago tecti perfodit omne latus.
Vt quondam Andabatæ ſine lege, ſine ordine ſæui
Ambigua faciunt prælia cæca manu.
Nunc propè ceruicem mihi ſtridulus inſonat ictus,
Nunc humeris errat plaga propinqua meis,
Quin etiam ante pedes ferro veſtigia gliſcunt,
Nec locus optatæ ſigna dat vlla fugæ.
Fracta ſub impoſito donec mihi pertica fœno
Ceſſit, & effugij præbuit ampla viam.

Hinc

Hinc quoq́ delapſus vitali haud veſcerer aura,
Me niſi diuina cauſſa leuaſſet ope.
Obuia me ſancti geſtarunt agmina cœtus,
Ne caderet dura pes mihi læſus humo.
Armaq́ in aduerſos coram ſtrinxêre latrones,
Vt mea duraret vita fauente Deo.
Nondum exactus erat decurſis menſibus annus,
Vt nouus Albiacis finibus hoſpes eram.
Ire iuuat lætos cœlo inuitante per agros,
Quà viret irrigui littus ad albis aquas.
Vnus erat mecum, mihi conſuetudinis vſu
Iunctior, in ſtudijs fidus vbiq́ comes.
Imus & oblatos legimus per gramina flores,
Qui variam cauſſæ vim medicantis habent.
Multa diu variæ per amœna vireta locuti,
Ponimus in viridi corpus vterq́ ſolo.
Tum comes aſpiciens pendentem à littore cymbam,
En quid in hoc vehimur littora propter ait.
Integra non metuat graſſantes cymba procellas,
Si qua ſub extrema ludere nouit aqua.
Heu nimium facilis cupido ſubſcribo ſodali,
Scandimus, & primis molliter imus aquis.
Laudat iter ceptum iuuenilis & adprobat ardor,
Nec iuga quæ curſu ſint ſuperanda videt.
Ludimus immemores fortunæ, inuoluimur horis,
Quæ bona mixta mali cum ratione trahunt.

Interea humanis dominatur rebus, & anceps
Quæ premat ante pedes tempora casus habet.
Cymba mihi primum rasis decurrit arenis,
Et cursum extremo flumine tuta tenet.
Sed quoniam decrat versandi industria remi,
Et modus errantem qui regit arte viam.
Torta volubilibus paulatim abducitur vndis,
Et procul à noto littore pulsa tremit.
Alueus inde sinu correptam absorbet in altum,
Qua vada continuo vortice pulsa sonant.
Hunus vt ambigui fertur vertigine currus,
Vt rapitur sceleri celsa rotatus equo.
Sic tortis mihi linter aquis, sic gurgite crebro
Voluitur, & dubio pulsus in orbe volat.
Ipse mihi, plumæ per inane volatilis instar,
Extremum videor morte minante rapi.
Fundo tamen quas mente preces, quas pectore posfum,
Imperio serua me tibi Christe tuo.
Audijt, imperio ventos qui torquet & vndas,
Qui freta vel verbo sæua silere facit.
Flectit ab infesta cymbam celer impetus vnda,
Arripit & plano flumine rursus iter.
Sic sensim accedens optatum ad littus, vtrumq;
Elapsum in medias exonerauit aquas.
Iamq; vadum nacti votis emergimus amplis,
Præsentiq; Dei rursus ouamus ope.

Viuimus

Viuimus immemores horarum & fluxilis æui,
Et tamen ignaris gaudet adesse Deus.
Hoc alio iuuat exemplo memorare legenti,
Qui legis hæc vigili viuere disce Deo.
Ibat ad occiduos legatio missa Britannos
Ensifer imperij, nomine Saxo tuo.
Inclyte Saxo, Deo qui verum testis honorem
Asseris inuicta captus ab hoste fide.
Additus huic facundè tuo Francisce fauore,
Principis & nutu fortis adornor eques.
Qua iacet Oenagore piscosum illustris ad Ilmum,
Hinc lecta auspitium sumit itura manus.
Iamq; salutatis de more decenter amicis,
Ante pedes vrgens hora monebat iter,
Digredimur, quadrupes mihi fronte adducitur al-
Ore minax, densus robore, calce sonans, (ta,
Qualis ad Oceanum ceruicem effudit equinam,
Quem percussa graui terra tridente dedit,
Non totus rudis huius eram, ignarusq; laboris,
Quadrupedis certum qui regit arte gradum.
Excipio plausu venientem, ille acer & audax
Sessorem recipit voce graduq; suum.
Omen equestre probo, mox ille ferociter altas
Exiliens repetit transiliensq; vices.
Tum trepidans oculis flammas & naribus efflat,
Corpore tum sternax horret, & ore fremit.

Acclamant, furijs, furijs agitatur, amici
Et cuperent aliquam ferre libenter opem.
Ille calens animis volat atra feruidus ira,
Quà vis impatiens, non via, rumpit iter.
Nunc caput in cælũ pedibus ſtans lubricus effert,
Nunc terræ impingens aëra calce ferit.
Non aliter Getici iuga per deſerta Tanagri,
Humano paſtus ſanguine fertur equus.
Cum redit attonitus lituis pugnæq́ calore,
In ſua iam frenis paſcua liber abit.
Dixiſſes liquidum Phaetonta per aëra ferri,
Altius ex ima quando volabat humo.
Hippolytum ſterni lacerum per ſtrata putares,
Lapſus iners preſſam quando premebat humũ.
Stabat fœminæ ſpectaclum inſigne coronæ,
Qua dederat tutum ianua aperta locum.
Huc ruit ille hominum ſitiens & limina ſcandens,
Vix mihi in aduerſam vixq́ remotus humum.
Stant & ſolliciti ceu lecti ad funus amici,
Hos petit inſultu ſæuus & ore minax.
Ipſe autem pugnans cum caſu & morte furentis
Tundo caput ſcloppo, calcare ſcindo latus,
Vt vidi tremulum & ſtantem pauliſper ab illo
Extemplo in durum decido ſponte ſolum.
Parca mihi accelerat læuo Polluce ruinam,
Angelus optatam fert mihi dexter opem.

Hoc

Hoc equitandi alijs exemplum more relinquens,
Et ſaluo euadens corpore, laudo Deum.
Sit tibi laus æterne Deus, præſentia cuius
Auxilio miſeris ſemper adeſſe ſolet.
Iam placet & pelagi terris memorare relictis,
Viſa mihi & dextro victa pericla Deo.
Ecquis & alta vias hominum trans æquora ponti,
Et curæ imperio Numinis eſſe putet.
Ille nimis facilis fuit atq; immaniter audax,
Qui primus tumidum per mare fecit iter.
Ille homines alia docuit regione vagari,
Quàm queat hoc hominum terrea maſſa pati.
Iuſta tamen quoniam ſociæ commercia vitæ,
Atq; hominum rectis vſibus apta probat.
In medijs ideo merſos non negligit vndis,
Sed facile exaudit naufraga vota Deus.
Me quoq; iuſta viæ deduxit cauſſa marinæ,
Propitia texit quam mihi numen ope.
Iam ſol attigerat ſitientis ſydera cancri,
Luciſluam fundens largus ab axe comam.
Quà iacet armipotens Morinorum fama Caletum,
Atq; aperit portus terra Britanna tuos.
Soluimus oppoſitæ petituri mœnia Dobræ,
Relliquias Iuli magne Tyranne tuas.
Æſtus erat terræq; ſimul, pontiq; tumentis,
Hic Lunæ influxu, Solis at ille grauis.

Quà

Quis putet omne freti velut otia degere marmor,
Admirandus aquæ languor inertis erat.
Ventum erat in medij ſpacioſa ſilentia ponti,
Vela carent ventis, pigra carina tremit,
Quale ſolent tardis cum tranant Dolia ſtagnis
Spectaclum tremula ſæpè mouere fuga.
Arte tamen nautæ, quantum tamen arte iuuantur,
Inſiſtunt operæ, nil tamen arte parant.
Si qua erat, ad Thameſis nos oſtia pronior aura
Incitet, huc flectit nauta peritus iter.
Qua vehit ad nitidas Londini nobiles arces,
Æſtu vrgens dulces fluctus amarus aquas.
Ipſe procul cupidus dum promontoria ſpecto,
Dum nimio terræ mœſtus amore feror.
Salue inquam æſtiui quæ larga Britannia Solis,
Et maris & terræ gliſcis opima bonis.
Diues agri, Diues pecoris, ditiſſima nummi
Quem charum auricomæ nauis imago facit.
Læta tuo ingenio, ſed & ô ſi læta fauente
Arriperes Chriſti dogmata pura Deo.
Chriſte faue, namq; illa etiam te noſſe laborat,
Ipſe tuum in populo dirige ductor opus.
Et mihi ſperatum concede accedere portum,
Inde tibi memori carmine gratus ero.
Hæc ego non Ventis, ſed ſolis occino Lymphis,
Nec magis ignauum concitat aura fretum.

Vt codani ſilet vnda iacens, cygnæaq́ ſtagna
Non procul à ripis Thira Thuringe tuis.
Sic veluti moriens ſine vento ſtabat & aura,
Æquoris ex cauſſa iam mare nomen habens,
Compoſito ludit laſciuus in æquore Delphin,
Et quatit eliſas verbere piſcis aquas.
Quin etiam in puppem volucres ex aëre lapſæ,
Frigora captantes & loca tuta, cadunt.
Nauta etiam eructans olidas Syphonibus vndas,
Hei mihi iactatis tædia quanta facit?
Ipſe pigrum hunc morbum pertæſus & otia ponti,
Cum celeri in cymbam remige corpus ago.
Ille pedem adponens, & remo marmora tundens
Incitat optata carbaſa parua fuga.
Tempora momentis abeunt, cum tempore caſus,
Quis putet ignauos alterat aura ſinus.
Continuò fluctus glomerantur, & agmine facto
Intentant crebris ſæua pericla minis.
Qualis Sala ruens hybernis turbidus vndis,
Vorticibus denſum fluminis agmen agit.
Cum cunas ſecum infantum, cum tigna domorum
Villarumq́ lares, & bona rapta trahit,
Tunc aliquis celeres ſpectans de ponte procellas
Ingemit, & miſeris fata inimica dolet.
Non rapimur tantum. Sed per commota volamus
Marmora, ceu ſummis penna vagatur aquis,

Vota

Vota tamen tenſis faciens ad ſydera palmis,
Nauiculam Chriſti poſco tegentis opem.
Nec mora: Iam poſito cedunt vertigine fluctus,
Excipit allatos tutus in amne ſinus.
Ingredimur ſalui, terraq́ in gramine fuſos
Matris in optato nos iuuat eſſe ſinu.

DE ANGELIS HYMNVS.

ANgelis hæc eſt ſacra lux, adeſte
Muneris tanti memores, & omnis
Hoc Deo propter tribuens honorem
Concio plaudat.
Spiritus rerum Deus hos creator
Finxit, atq́ illis ſapientis ignem
Mentis adflauit, voluitq́ recti
Eſſe miniſtros.
Ergo verſantur vigiles parentis
Ante coſpectum, capiuntq́ læti
Iuſſa mandantis, Dominoq́ toto
Æthere plaudunt.
Heu quod infeſti rabies Draconis
Angelis tantos mouet vsq́ pugnas,
Qui ſciens primus proprio furore
Perdidit orbem.
Ille funeſtis agitatus iris,
Inuidens Chriſto fore iam minatur

Iordani

Iordanis totas ſitiens vt alti
Sorbeat undas.
Circuit mundum, fremit hic & illic,
Faſcinat mentes, varieq; ſudat
Vt pios cultus abolere poſſit,
Omnia turbat,
Diſſipat leges, ſerit inter vrbes,
Inter agnatos fera bella reges,
Omne graſſator ſcelus imparatis
Mentibus inflat.
Concitat ventos, ſubigitq; nymbos,
Grandines ſpargit, ſata culta vaſtat,
Inficit nubes, varijsq; ſternit
Corpora morbis.
Concitat ſæuos odijs tyrannos
Vt fremant, vt bella pijs minentur,
Vt Deum oppugnent, miſereq; Chriſti
Membra trucident.
At pios Chriſto duce ſub potente
Ipſe quorum omnes numerat capillos,
Angeli ſeruant, reprimuntq; ſæuum
fortiter hoſtem.
Non minus mundum peragrant & ipſi,
Et truci claudunt aditum Draconi,
Aſſerunt veros, retinentq; pugna
Vindice cultus.
Conſerunt

Conſerunt pacem, cohibentq́ lites,
Prouehunt leges, ſacra iura firmant,
Amouent morbos, referuntq́ Chriſto
Vota piorum.
Liberant preſſos, reprimunt tyrannos,
Ad latus nobis habitant, & adſunt
Ad caput ſemper vigiles, pijsq́
Cuncta miniſtrant.
Angelis ſepti pueri miniſtris
Fulmen ardentis ſuperant camini,
Angelis ſeptus Daniel leonum
Effugit iram.
Angeli regnum Achaſidis gubernant,
Angeli Lothon Sodomæ tuentur,
Angelis cinctus nihil extimeſcit,
Omnia vincit.
Angelis curæ genus eſſe noſtrum,
Qui Deum veræ colimus timore,
Aſpice, exemplis probat hæc abundè
Pluribus ætas.
Quando crudeles aliâs tyrannos
Sæuius dirus furor incitauit,
Vt ſacro ſiccas repleant piorum
Sanguine fauces.
At vetat cœtus ſacer angelorum,
Qui pios circum volitant frequentes,
Et manu

Et manu nostros alacres in hostes
Vindice pugnant.
Hinc nihil pactis epicurus armis
Qui sedet Romæ, infutuatq; reges,
Hinc nihil nobis inimicus omnis
Efficit hostis.
Quas tibi rerum sapiens creator
Gratias digno peragamus ore,
Heu situm non est id in eloquentis
Vllius ore.
Nos tuam ad viuam faciem Creasti,
Nos ab æterna stygе liberasti,
Insuper nostro latere ministros
Cœlitus addis.
Christe tu nostros animos guberna,
Vt tibi grati placeamus vni,
Ne tuos vnquam vitiosa lædat
Vita ministros.

OFFICIA SPIRITVS SANCTI.



Vi patris & nati veniens à numine spirat,
Hæc sacer officij munia Flatus habet.

Corda docet, nouatq; animos, verboq; sonanti
Attentis dociles viribus esse facit.
Hinc solidans motusq; nouos, lucemq; recentem
Efficit infracta pectora læta fide.
Tum regit & ducit, confisaq; corda tuetur,
Accidat his aliquo nè quid ab hoste mali.
Deniq; in æternam conseruans pectora vitam
Excubias Christi pro grege semper agit.

ARGONAVTICA.

PAlladio fama est vocalem numine puppim
Tethyos Ioniæ fluctus tranasse profundos,
Phasidos ad ripas, delubraq; Colchica Phryxi
Cum lecti è Minijs audacibus Argonautæ,
Laude gerendarum rerum inflammata iuuentus,
Conati auricomam templis auellere pellem,
Fluctiuagum celeri pulsarunt Nerea pinu,
Sic tunc fata dabant, mundiq; recentior ætas,
Cum patiens operis, rectoq; assueta labori
Quæreret à pulchra laudem virtute iuuentus.
Nunc peiore fluunt dum secula versa metallo,
Dum gregis humani stabulum grassante redundat
Fœtura, & mundi delirat inepta Senectus:
Quærimus à vitijs laudem virtute relicta.

Hinc

Hinc omnes ſeries longorum immenſa malorum.
Nam poſtquam inſanum Maieſtas ficta per or-
Arripuit ſolium, faſtuq; premente ſuperbo (bem
Inferiore loco ceſſere pudorq; metusq;,
Ærumnas varias, & ſemina denſa malorum
Ex ſeſe gignunt homines, ſibi carcer & vncus
Quisq; ſua culpa caſus irritat acerbos.
Vt puer in molli formas qui pingit arena
Cogitat effigies, & dum delineat ipſas
Mox alio raptus confundit, & omnia turbat.
Sic etiam à multis rerum momenta geruntur,
Qui decus Heröum ſimulant, & nomine fallunt
Conſilij expertes, dum res à tempore ſumunt,
Quam cito ſublatis vertuntur nubila ventis,
Tam cito multiplici conturbant omnia fraude.
Rurſus vt inuito duros gerit ore lupatos
Acer equus, quatiens ſeſſorem lora tenentem,
Ille labore graui tractas vix ſeruat habenas,
Sic hominum vulgus duro ſub faſce laborans,
Ringitur, impatiens oneris, titubatq; ferendo.
Inde labor regni, & populi ſtomachoſa voluntas,
Vt neglectus ager pigris obducitur herbis
Sic corrupta malis hæc ſqualens moribus ætas.
Quis numerum euoluat vitiorum, atq; explicet om-
Eloquio peſtes, quæ tanto in turbine rerum (nes
Non ſecus ac atomi demiſſo in ſole vagantur?

Diues egensq; simul reliquum longo agmine vul-
Ducit Auaricia, æratis obnoxia curis, (gus
Semper in augendo furia astutissima censu,
Et scelerum periura parens, quæ ignara pudoris
Turpiter in triuijs paruum delinquit ob assem,
Iniustis cumulans corrasum lancibus aurum.
Huic Vsura comes, Lucro comitante marito
Furtiuis velox pedibus, deterrima rictu,
Fauce tumens semper, monstroso et turgida ventre,
Sudoris sitiens inopum, qui tenuia furta
Aucta latrocinijs immenso densat aceruo,
Detracto corio haud nudos miserata colonos.
Quæ sic exhaurit sociæ commercia vitæ,
Vt splen extenuat reliquos humentior artus.
Est quæ fœmineo sufflata Superbia fastu
Exagitet mentis, cui mater Opinio veri
Cuiq; Amor est genitor, delusus imagine falsi,
Ambitioq; soror stimulata libidine, semper
Altius é proprio scandendi ad nubila cœno.
Quæ sublata tamen magnis sæpè excidit ausis,
Et recidens longam trahit æruminosa ruinam.
Est quæ cæca domi, externas rimatur in ædes
Gesta foris taxans priuatæ nescia culpæ,
Cui iucunda comes sermonumq; optima nutrix
Dente Theonino quæ abjentes rodit amicos,
Et stimulos freta iacit Obtrectatio lingua.

Tum

Tum clandestino speciosa calumnia morsu,
Quæq; aliena dolet priuato commoda morbo
Inuidia, & lætis admubilat aspera rebus,
Quæq; malis instructa dolis furit Ebria fraude
Semper in insontes acuens Iniuria viros,
Dulce sodalitium, cum dira accesserit Ate,
Et lites quæ miscet Eris, contraria paci,
Tunc quondam officij laudatus dissilit ordo,
Et procul è cæcis Infamia sibilat antris,
Omne decus molita probro fœdare loquaci,
Ponè sequens densis Confusio cincta tenebris
Qua graditur vitium disseminat, omnia miscet,
Gorgonêos etiam doctissima rumpere nodos.
Sic, quando impulso decimæ stridore procellæ
Obruitur cumulis violentæ puppis aquai,
Cũ Notus hinc plagas, hinc frigidus incutit Eurus,
Hinc scopuli excipiunt, illic latus vrget arena,
Dissiliunt vires operarum, & prouida virtus,
Et pede laxato subsidunt languida vela,
Soluuntur tabulæ, natat imo in gurgite clauus.
Fertur aquis Palinurus, aquis opus omne satiscit.

Quid te Luxuries? quid te scelerata Libido
Commemorem? quos Ebrietas spurcissima mater
Conceptas vulgo peperit, lachrymabile mundi
Exitium Ebrietas, monstrum quod mille figuris
Horrendum, fœdumq;, & inenarrabile fando

In genus humanum stygio perrumpit ab orco.
Hoc vbi castra locat, regni & tentoria figit,
Illic continuo neglecti obliuio iusti,
Venturiq; recens secura licentia damni,
Quæq; cor in linguam fibris protendit ab imis
Garrulitas petulans, strato vulgata pudore,
Mensuraq; carens laxato Audacia freno,
Omnia fanda nephanda omni permixta furore
Conturbant. Hinc ampla seges, hinc gurgite vasto
Reflagrat scelerum sentina. Ergo ordine nullo
Stupra simul cædesq; ruunt, & furta vagantur,
Bellaq; futilibus semper nascentia causis,
Implexis cumulata malis & nescia sisti.

Has inter pestes & monstra immania mundi
Est aliquis tamen haud magno licet agmine cœtus,
Collectus varijs ex gentibus, ardua cœlo
Pectora fixa gerens, & vitam à crimine purgans.
Qui sua coniunctis agit Argonautica votis.
Sint procul hinc Minyæ, decus et mortale Pelasgæ
Militiæ, non huic humanæ nomina laudis
Sed cœlum petitur, terris huc sudat ab imis.
Patre Deo genitus, cœlo dum missus ab alto
Indutusq; hominem, cari mandata parentis
Cœtibus humanis fraterno exponit amore,
Iam meditans miseris dulcem reparare salutem,

Vocis

Vocis ad optatæ gratissima nuncia vulgus
Confluit, & turbam cœtu condensat amico,
Autoremq́ colit vitæ, votisq́ veretur:
Liquerat extremas terræ Phœnissidos oras,
Et Tyrios fines, & Odoriferum Iordanem
Vox vbi syderei sonuit de vertice cœli
Assertorem hominum sancto testata lauacro,
Constitui, qui animas fumante reduceret Orco,
Acceptasq́ DEO cœlis inferret apertis.
Iamq́ peragrarat Galilææ fertilis vrbes
Miranda exercens opera, & de more docebat
Culta Genezarethi florens ad littora ponti,
Cum sic è numero sibi quos delegerat omni
Propositi socios, placidè comitantibus infit.
Iam satis est patriam monuisse, aduersa petamus
Littora, qua pontus Tharichæas alluit oras,
Maturate viam, deducite littore puppim,
Flectite iter socij, terræq́ aduertite proram.
Hinc placeat nobis alias adiungere gentes.
Namq́ meo cœli formosa ad sydera ductu
Omnibus est aditus, quos circuit orbita Solis,
Si modo sponte sua non hæc ad munera frigent.
Dixerat incumbunt remis & vela relaxant,
Deinc soluunt alacres, aliæ comitantur euntes
Vota canunt aliæ stantes in littore puppes,
Iamq́ rubescebat radijs mare vespertinis

 Ducebantq́

Ducebantq́ procul glomerata crepuſcula noctem.
Vix è conſpectu terræ cedentis in alto
Vela dabant, curſum gnomone tenente ſecundum,
Cum ſubitò motis nigreſcunt æquora ventis,
Candentesq́ micant fluctus, atq́ impar aquarum
Campus inhorreſcit, tremulam quatit vnda carinã,
Vela tumore grauant nutantem turgida malum,
Congeſtæq́ foros implent velut amne procellæ.
Continuo exoritur clamorq́ laborq́ virorum,
Pars laxare pedem, pars malum exoluere velis
Feſtinant, trepidis mortis timor occupat artus.
Interea DEVS humano de pectore ſomnum
Proflabat placidè, non cœli ignarus & vndæ,
Accurrunt ſocij tamen, & malè talia ſueti
Implorant præſentis opem, ſuccurre labori
Edite vir cœlo, tanto ſuccurre dolori,
Aut omnes miſerè extrema iam morte perimus.
Excitus æthereus placidum caput extulit Heros,
Proſpiciensq́ ſimul graſſantes increpat vndas,
Imperioq́ premit Neptunum, atq́ imperat Euris,
Et noctem pelagi tempeſtatemq́ ſerenat.
Continuo ceſſêre minæ, fugit æquore flatus,
Incedunt lentæ tranquillo in marmore tonſæ.
Qualis vbi ſoboles venientis voce parentis
Territa conſedit, ſtrepitusq́ oblita prioris,
Iam tacet & vires maieſtatemq́ veretur;

Sic vento ponente ratis tranquilla per æquor
Pacatum euehitur, mirati numen adorant
Mortales trepidi, Dominum mirantur & vndæ,
Et venti & nitida fulgentes luce rudentes,
In ſcopulos abeunt Tritones, in antra relapſi
Venti humiles imo flatus in gurgite condunt.
At nouus impoſitum tabulis ſtupor occupat agmen
Et trepidant Nautæ: quibus hic à ſedibus hoſpes?
Numine quo fidit? qui vix primum ora reſoluens
Imperio validus ventis dominatur & vndis?

Sentit amans hominum, quid non hæc gratia
Mox tali adfatus triſtes ſermone ſalutat, (ſentit?
Rex cœli ſub forma hominis, cur vana timetis
Murmura ventorum, & ſtrepitus miſcetis inanes?
Quo nam veſtra fides? mihi ſiccine veſtra docenti
Corda vacant, ſurdasq; ſonus vix attigit aures?
Aſſenſu infirmi, fideiq; fouentis egeni,
Quin reuocate animos moniti, pigrumq; timorem
Mittite, durate, & certam expectate ſalutem,
Paſſuri grauiora olim hæc meminiſſe iuuabit,
Ecce aliam vobis, veſtriſq; nepotibus olim
Inſtituam nauim, multo qui docta labore
Audebit mundi obſcænas tranare paludes.
Namq; petens pulchram veſtro pro crimine mortẽ,
Et rediens victor patrias rediuiuus ad arces

Ipſe legam cœtum, qui me ſciat eſſe paterni
Numinis eloquium, largitoremq; ſalutis,
Et vitia exonerans, culpamq; erroris acerbi
Euitans, animis magnus mea caſtra ſequatur.
Me colat, vt merui, ſub me tolerare magiſtro
Militiam, & pietatis onus, mea cernere facta
Aſſueſcat, cunctis & me fateatur in oris.
Huic ſua nauis erit, pelagus ſubitura profundum
Non peritura tamen, mihi qui per ſydera nantes
Delectos vehet Heröas, quis teſſera belli
Crux erit, hoc ſigno conſtantes omnia vincent.
Non his Oceani rabies, non grandia cete,
Harpyiæq; auidæ, ſemicrudaq; monſtra nocebunt.
Ipſe ego ductor ero, ventosq; adſtabo ſecundos
Remigio inuicto, tandemq; ad ſydera puppim
Translatam accipiam, æterno & lumine cingam.
Sic ait, omnipotens ter cœlo clarus ab alto
Intonuit pater, atq; auro lucente micantem
E liquido oſtendit ſupra caput æthere nubem.
Talibus auſpicijs ſacrata eſt nobilis Argo,
Nunc quoq; qua vehimur, viuo qui nomina Chriſto
Abluti dedimus fidoq; obedimus amore,
Oceano in magno veſani & turbine mundi
It nauis patiens venti, ſtrepitusq; marini,
Fluctibus vnanimes qui traijcit Argonautas,
Chriſticolas cœli hæredes, gentemq; togatam.

Primi

Primi celsa sedent vates ad transtra sonori,
Qui digito ostendunt venturum è virgine pura
Messiam, monstrantq; procul sua gaudia mundo.
Ordine dehinc veræ prænuncia turba salutis
Consedêre duces, qui pleno numine missi,
Noticiam regis totum sparsêre per orbem.
Hinc alij Herôes, animis spectata iuuentus
Progenies horum. Tum vulgus nobile nautæ,
Vela quibus tractare labor, frenare rudentes,
Et proram Oceano præbere, & findere fluctus,
Dum sale labentes hyemem superare ferendo
Frigoreq; è medio flammas reparare laborant.
Hic scelus exosus Metaneus, & durus Achates,
Qui semper nixi sublato ad sydera vultu
Numinis implorant vires, & crimina damnant,
Diuiniq; auidus captator amoris Haliscus,
Et fidens Symsephus, & ingens pectore Pistus,
Cui comes est Agapeus cum magnanimo Euergo.
Quiq; boni memor est custos, grandæuus Alethes.
Omnibus vna via est, finisq; viæ omnibus vnus,
Sordibus è mundi veniendi ad sydera feruor.
Quis sonus Eloquij, quæ vndantis copia linguæ
Ille licet tonitru, licet hæc exterminet imbres,
Explicet? aut quib. hic cætus concurrere monstris,
Aut quos sustineat virtute abolere labores?
Ecce autem æternum tristes damnatus ad ignes
Immundi

Immundi mundi genius, qui ſpirat ab Orco
Omne malum, & tantos mortalibus hoſtis honores
Inuidet, in medium quas non euentilat artes?
Vt decus obſcuret ſummi immortale parentis.
Ille etiam, infandum, præpoſterus æmulus audet
Exemplis tentare Deum, quem ſcilicet æquat
Non aliter, nitidam quam nox denſiſſima lucem.
Sic nauem ipſe ſuam, ſua & Argonautica tractans
Exercet furijs, & docto paſcitur æſtu.
Namq; Theomatice, qua non eſt tetrior vſquàm
Peſtis, ad Oenotrij congreſſus Tybridis vndam,
Aurea cum primum candente rigreſcere ferro
Secula cœpiſſent, caram ſuſcepit alumnam,
Nunc quoq; qui ſolio ſubiecta ſuperbit eburno,
Obſcœnam triplici frontem redimita corona,
Hanc patera à teneris Erebi ſtagnantis ad vndas
Sustulit, & pratis imi nigrantibus Orci
Nutrijt, & multo largus potauit Auerno.
Inde artes docuit, quibus ipſe adfligere mundum
Naturæ macerare vices, illudere cœlo,
Et terras vexare ſolet, corrumpere meſſes,
Atq; hominum raptas alio traducere mentes.
Indidit Harpyiæ nomen, quod ſcilicet aurum
Omnibus è terris auido ſorbere liene
Nemo poteſt melius, quamuis ſi nomina ſpectes
Quot ſcelera orbis habet, tot nomina dires habebit.

Virginis

Virginis os illi, ſcorti ſed corpus adeſt,
Sunt oculi ingentes, qui cernant vltima mundi
Climata, ſunt nares, quas præda haud vlla fefellit.
Cæſariem denſis matris de more colubris
Implexa eſt, liuent concreto labra veneno,
Dedecus obducta genitor ſed nube recondit,
Et faciem fuco, vitioq; latente ſerenat.
Ergo illa ingenio ſolers atq; artibus amplè
Inſtructa, & forma gratum mentita decorem
Imperio fulgens, ſolio ſpectabilis alto,
Regibus oſtenſas demittit ad oſcula plantas,
Inſatuat mundum taciti ſerpigine faſtus,
Quin etiam pateram ingentē, quæ plurima gemmis
Collucet, nitido quæ plurima fulgurat auro,
Gipſatis præbens manibus diuina propinat
Pocula, & alma ſui populis inſtillat amorem.
Syrenum ſiquidem doctiſsima fingere cantus,
Ore roſas loquitur, ſed ſpirat fauce Mephitim,
Fronte nitet ſudum, premit alto pectore noctem,
Mella manu oſtendit, deriuat in oſſa venenum.
Inde datis Philtris captos ratione potentes
Amplexu innectit Reges, & fœdera mundi
Rumpit adulterijs magno ſcortata periclo,
Oceani & terræ centum illi & mille miniſtri
Et plures etiam, qui iuſſa capeſſere prompti
Imperio parent, & regnum viribus augent

Ante

Ante alios meritis clarent, studioq; probantur
Consilij inuentor polypragmon in ordine primus
Doctus in incautum varijs inquirere mundum
Fraudibus, & technis conuellere iura dolosis
Inde Cacobulus, mox & ventrosus Asotus,
Quiq; capillatam rosea ceruice coronam
Lactitat, alba nigris doctus miscere Cacurgus,
Obstipo capite incedens, terramq; salutans,
Amisit nitidi quoniam commercia cœli.
Dira lues mundi excoriator Alastor,
Mancipium Pluti infelix cui dira precantur
Tot miserorum hominum ieiuno corpore linguæ,
Quot resonant querulæ veniente æstate Cicadæ.
Sydera qui numeret, reliquos promittere posset
Ordine descriptos, adeo est exercitus ingens.
Omnibus est studium vigilans, amor omnibus idem
Posthabito cœlo captiuæ inducere terræ
Imperium æternum, cuius mellita voluptas
Solis ab occasu finem producat ad Ortum.
Iccireo innumeri circa glomerantur amantes,
Et vultu Dominam, Dominam clamore precantur.
Fœda ruit diro Lasciuia iuncta Furori,
Qualis ab Idæo Corybantum sordidus antro
It chorus, exultans, turba eneruata virorum
Curetumq; comes peragrans cum Dyndima lustrat
Vecta leoniiugo mater Berecynthia curru,

Tympana

Tympana rauca ſonant, & lamentabile cornu,
Semiuiros Phrygio ſtimulat caua Buccina cantu.
Illis aſpectu Dominæ furor æſtuat intus,
Agmine dum denſo celeres hinc inde feruntur (tur,
Nunc dant fronte iocos, nunc dextris arma minan-
Et caput ad nutus & vultum & corpora fingunt.
It furor in morem, tum vocis geſtibus addunt,
Et ſacra lymphati magnis vlulatibus edunt,
Viſa ſtupent ſyluæ & tremuli ſpectacula montes.
Talibus hæc Nemeſis monſtris comitata ſuper-
Remigium inſtaurans, per totũ nauigat orbem (bũ
Ipſa regens nauem, & ſocios, dux fœmina facti,
Nauem quæ ſpacio ſimilem, qui corpore neſcit,
Qualem nulla queat doctorum fabula vatum
Fingere Centaurum, aut celſa mole Chymæram.
Vim tamen occultis, quoniã hoc compendia præſtat,
Diſſimulat ſtudijs, & mentes faſcinat arte,
Nauiculam vocet, hoc prætexit nomine fraudem.
Ergo inſtructa manu, vi, robore, milite, claſſe,
Ipſa mari rabiem cæcamq; immittere noctem
Docta, nec exhorret quas concitat ipſa procellas,
Nec punire DEVM ſcelera excellentia credit,
Iam pridem aſpernans animæ immortalis honorẽ,
Sed ruit, & toto prædatrix æquore claſſem
Demittens, miſeros curſu petit Argonautas,
Cætum Chriſte tuum. Tum ſæuo accenſa furore

Et prę-

Et premit à tergo, & magnis conatibus vrget.
Certa DEO gratam subuertere funditus Argo
Disiectamq; imæ cumulis impingere arenæ.
At quæ causſa tamen, quæ tanti semina belli,
Immensiq; faces odij? quæ fata furorem
In miseros acuunt? quæ tandem iniuria tantum
Irarum meruit? paruum grassatur in agmen,
Et cœtum exiguum, mensura incognita pestis
At non is peperit tantæ primordia litis,
Non ille aut ferro vestras populatur artes
Venit, & è uobis lectas acquirere prædas,
Aut vestrum ob luxum infestis concurrere sig
Non hæc vis animis, non hæc est cæca libido,
O furiæ, nam vix homines. Mouet intimus illi
Corda dolor, veniam peccandi more relicto
Implorare Deum, & posito resipiscere morbo,
Spemq; fide amplecti, et veram expectare salu
Pro te gnate Dei, cui soli hæc gloria, Soli
Iste ferendus honor, quem nec tibi præcipit ipse
Æternus genitor, nec qui patrisq; tuiq;
Lumine fulgor abit. Tibi corda dolentia Chri
Conuersi offerimus, tecum conscendere cœlu
Gaudemus, cœlo qui solus missus ab alto
Venisti, solus cœlum ascensurus in altum
Nos humeris hærere tuis, nos pendula tanto
Iungere corda Duci, tecumq; per ardua rapt

Ire iuuat patriam regni cœlestis in aulam,
Nec meritis stamus tantæ sub pondere culpæ,
Nec colimus Diuos, propria virtute salutis
Æternum expertes, verum vni assistimus aræ
Mente tibi addicti, qui mentē haud munera poscis.
Contra illi infando miscentes omnia luxu,
Quamuis nec cœli templum, nec tartara curant,
Proponunt edicta tamen, venalēq; cœlum
Prostituunt, meritisq; iubent exoluere culpam,
Qui pensare scelus meritis non sufficit, illi
Extorte precio vel certa piamina fingunt,
Vel spacium veniæ ventura in secla relaxant.
Quid quod spemq; metumq; inter pendere dolentes
Esse pium inculcāt, quid quod bona poscere Diuos
Præcipiunt, propriumq; Deo furantur honorem?
Tanta Deum est illis falsæ irridere voluptas.
His quia deciplas auri, luxusq; ministras
Insidiis, parui non approbat agminis Argo,
Nil reliquum sibi dira facit, scelera omnia tentat
Harpyia, vt miseram rapido ceu fulmine turbam
E medio tollat, regnoq; obscæna fruatur,
Tamq; vocans noto sparsos celeumate nautas,
Legit vt è socijs fidum naualibus agmen,
Nauigium horrendum informat, Martemq; mari-
Armat in innocuas scelerato nalite gentes; (num
Præficit vratæ dirum Polypragmona proræ

Et Probatolychnum lateri, uelisq; Cacurgum
Te locat in nostris armate Polinctor, Alastor
Sentinæ studium lento commendat Asoto,
Ipsa tenens signũ, & spectans magnetis in umbras
Stans celsa in puppi clauumq; pedemq; gubernat.
At uulgus reliquũ, armatæ per transtra cohortes
Dispositæ, obseruant Dominam, pars scandere ma
Pars ipsos implere foros, pars denig; telis (lum,
Tormentisq; operam late nauare laborat.
Vna facit nauis collecto robore classem.
Armorum genus omne uehit, diræ horrida mortis
Instrumenta, illinc sunt hastæ, uncæq; bipennes,
Pilaq; cum frameis, mixtæq; dolonibus harpes.
Hinc oleo stuppæ, massaq; bituminis unctæ,
Inde harpax auidus, prædatricesq; Cathenæ
Ferratæq; manus, & longa cuspide conti,
Balistæq; graues, & acutis Scorpio telis,
Quiq; iacis lapides, ceu ruptæ segmina nubis
Aere minax onager, rapidoq; Phalarica neruo.
Quæq; iacis fulmen ferale tonantis ahæni,
Damnati inuentum Monachi damnanda Böarda,
Horribilemq; sonum concussi imitaris Olympi.
Sic instructa ruit, sic lubricus impetus altum
Per mare monstrat iter, puppim uenata pusillam
Christigenûm Heroum, iam longos ducit in orbes,
Iam curuum delunat iter, ruit æquore toto,

Bella

Bella simul mortemq; minans: non lora quadrigis
Laxius intendit cum multo verbere currus,
Auriga exagitat, frenisq; mdantibus instat.
Non adeo præceps syluis spectata Britannis
Agmina ceruorum insequitur fremibunda canum
Iam plausu, fremituq; vrget, iam iamq; priorē (uis.
Certa tenere manu, iam iamq; reuersa relictæ
Imminet, & voces cum spe cumulatq; rotatq;,
Sæpe etiam frontem proræ, contingere prora
Contigit atq; ipsis propius concurrere rostris,
Nunc studet allisos fessæ detergere remos,
Nunc iaculo antennas, fixum nunc ariete malum
Deijcere, immissis nunc vellit Epotida contis.
At non assequitur finem, quem attingere quærit
Impia ne fiat compos audacia voti,
It labor in ventos, studio & vanescit inani,
Nam licet Heroum tanto conamine puppis
Icta aliqua premitur, tamē haud depressa laborat,
Nec deserta suo vires à numine perdit.
Nec ratione fuga quærit cogente salutem,
Sed proram obuertit plagis, clauumq; tuetur,
Amisso siquidem clauo spes nulla salutis,
Puppe tegit clauum, pugnat prora, excipit ictus
Vexillo crucis obiecto, superatq; ferendo,
Qualis vbi excedens montano à vertice mergus
Vicino incumbit pelago, cum mota repente

Ira salis feruet, fluctusq; exasperat Eurus,
Obiectat caput Oceano, missasq; procellas
Excipiens humeris dorso deuitat & alis,
It mare dissiliens, & cum stridore debiscit,
Ille quidem pressus sed non depressus ab alto
Exit, & in scopulos, & nota vireta recedit.
Hei quantum humanis, quantum est in reb. inane!
Quã nihil omnis homo est? omnes nos posse negamus
Noticia caruisse DEI, cur pectora pugnant
Nosse DEVM, dum quisq; sibi sua numina fingit,
Et fontem æternæ vitæ per deuia quærit
Lustra, animo quamuis sit proximus ille volenti,
Non ille humanis operis, non arte magistra
Obtingit. Quin disce hominum teterrime carcer
Exuere humanum ingenium, resipisce dolendo,
Et confide Deo. Non te manet vlla salutis
Vel via commodior, vel cursu rectior ipso.
At tu viue Dei Christe omnipotentis imag
Nobiscum quoniam non dedignaris eadem
Naue vehi, nostros præsens miserere labores,
Dirige nauis iter, ventis rege vela secundis,
Monstra doma pelagi, tempestatemq; serena,
Vt tua perpetuis celebret te laudibus Argo,
Et petat hoc abiens promissum è gurgite cœlum

CONC

CONCIO IOHELIS PROPHETÆ, de persecutionibus populi Iudaici, & vera pœnitentia.

PRedicat vastationem regni Iudaici per regem Babylonicum, & captiuitatem Babylonicam, hortatur ad pœnitentiam & fidem, Vaticinatur de aduentu & regno Messiæ, de missione Spiritus sancti, de vocatione gentium, et consolatur Ecclesiam salutaribus sententijs.



Æc patefacta Dei diuino oracula flatu,
Gratia vatidico sonat inspirata Ioeli,
Dum populo suadet peruersum linquere morem
Viuendi, & fontem neglectæ aperire salutis
Nititur, auersos terrens formidine pœnæ,
Inuitansq; iterum cœlestis amore parentis.
Namq; docens animos delicti agnoscere culpam,
Atq; odio sceleris vitam emendare nocentem,
Et veniam sperare fide, tali incipit ore.

Audiat hæc ætas curuæ vicina senectæ,
Quam docuit canis prudentia plenior annis,
Audiat hanc late quisquis colit incola terram,
Explorate animis, si tempore talia vestro
Euenêre vnquam, si tale quid alta vetustas,
Et series proauorum, illusq; profundior ætas
Commemorare potest. Vestris hæc pandite natis,
Et natis natorum, & qui nascentur ab illis.
Si quid adhuc agris, si quid pallentibus horti
Germina depascens intactum eruca reliquit,
Id foliis hærens squalenti corpore Brucus
Demetit absorbens: iam si quid & ille terendo
Præterijt, populum quod spe lactauit inani,
Id populatrices late absumpsere cicadæ,
Exitium facto quæ frugibus agmine densæ
Ferre solent, totis & spem subuertere campis.
Denicq; quod pastis potuit superesse cicadis,
Aëris id vitium sub sole ardente peremit,
Hinc erugo terens, illinc pede noxia campe.
Vos quibus est moris nimio bruteseere luxu,
Et posito certare mero, viresq; bibendo
Atterere, excitis damnosum rumpite somnum,
Et vestrum lugete scelus, persoluite pœnas.
Omnis enim extincto vastata est vinea fructu
Irrita deficiunt frustratas pocula fauces.
Namq; leonino grassator dente superbus

Pene carens numero, qui robore pollet & armis,
In mea præcipiti populus vineta furore
Irruit, atq; ipsis abolet cum palmite vites,
Ille etiam insignes horti spectacula ficus
Stringit, & omne decus ramis pallentibus aufert.
Qui genus Isacidis numeras à sanguine Iudæ
Plange velut virgo, quæ pullo tristis amictu
Ob casum sponsi lachrymis indulget acerbum.
Squalent luctisonæ sacris cessantibus aræ,
Nemo dapes libat, pateris aut dona meraci
Accumulat laticis, non thure altaria fumant,
Omnis honos templis postquam est ereptus, & ipse
Ex adytis Domini pietas sublata recessit,
Triste sacerdotes lugent, & pectora plangunt.
Aret ager, squalent vastati iugera campi,
Interière pari frumenta & pabula fato
Triste rigent oleæ, vites lugubriter albent,
Absorbent gemitu mœsti sua fata coloni,
Et lugent steriles sine succo & viribus agros.
Ipsa per extremos dum longè respicit antes
Vinitor, infausti lachrymis spem funerat anni,
Obriguêre comæ Citrijs, nec palma virenti
Assurgit ramo, nec denique pristinus vllis
Arboribus decor vllus inest, verũ omnibus vna est
Mœsticiæ facies, luctus color omnibus idem.
Cur ita? namq; homines quidquid gaudere solebant

Id ſubitò in duros abijt ferale dolores.
O quicunq; Deum ſacram celebratis ad aram
Ite ſacerdotes, deiectos cingite lumbos,
Exercete animo iuſtas plangente querelas.
Deſeruêre ſacras pateræ cum lancibus aras,
Vera Dei ex adyto templi doctrina receſſit.
Sobria ieiunis indicite feſta diebus,
Sic tempus lugubre monet. Subducite ventri
Vt menti ſit ſana quies, cum plebe vocati
Templa petant caſtiq; ſenes, patiensq; Iuuentus,
Atq; humiles tali deplorent voce dolorem.
Venit ſumma dies, & lamentabile tempus
Qua Deus hanc ſtatuit pœnis adfligere gentem,
Quas meruit ceu pernicies pernicibus alis
Irruit atra dies Domini, quem cuncta verentur.
Illa etiam ex oculis alimenta erepta videntis
Auferet, & diro conſumet corpora tabo.
Auferet illa etiam quidquid præſente ſalutis
Lætitiæq; Deo tulimus, dum pace beati
Tranquilla tegimur templi florentis in vmbra.
Reſpicite ærumnas, pridem tellure ſub ipſa
Aruit omne ſolum, vacuis ſtant horrea tectis,
Spes omnis quoniam decepti euanuit agri.
Ipſa etiam ingentem mugitu armenta dolorem
Edere, & ad cœlum ceu triſte gementia cernas,
Exitium pene ore loqui, fatumq; vereri.

Ore

Ore boues tetro, quia seßis pabula deßunt,
Eßuriem oßendunt, & oues lugubre ßonantes
Aëris è vitio contagia morbida ducunt.
Te tamen ô precibus, te ßupplice voce precamur.
Summe pater, moderare iram, moderare dolorem.
Ecce etenim infeßus ßpecioßis vallibus ignis
Gramen, & arboreos vrens fuligine ramos,
Abßumpßit rapida campi decus omne fauilla.
Trißia ßtant circum, teq; ipßa animalia clamant,
Et veniam implorant, quoniam vel flumina ßiccans
Cœlitus infeßus ßpecioßis vallibus ignis
Abßumpßit rapida campi decus omne fauilla.
Argutis da ßigna tubis, lugubris Idume,
Vox eat è media quæ nunciet arce Sionis
Triße malum, paueant omnes formidine ciues.
Namq; dies Domini ßupra caput omnibus inßtat,
Atra dies, horrenda dies, & plena pauoris.
Orta velut largum ßpargens aurora ruborem,
Occupat effußo longinquos lumine montes,
Cum fugat humentes æßtiuis noctibus vmbras:
Sic ingens populus, ßumptis inuictus in armis
Ante fores vaßtator adeßt, cui nulla videbit,
Nulla parem vidit ßpacioßi temporis ætas.
Præuius huic ingens populator, ponè fauillæ
Et cineres ßubeunt mortisq; rapacis imago.
Quà venit, arridet ßimilis vernantibus hortis

Terra ferax, deserta iacent, quacunq; recessit.
Nec datur hunc vlli fugere, aut vitare nocentem.
Aspice quam facies sæuorum immanis equorum,
Quã truculenti equites, quantoq; fragore feruntur?
Per iuga ferratis vt quondam agitata cathenis
Plaustra sonant late, quæ forte viator vt audit
Linquitur aut animo, fugiens aut ima iacentis
Antra petit vallis: flammæ velut igne furentes
In stipulas abeunt, fumo & crepitante coruscant.
Sic fertur quacunq; venit fæuissimus hostis
Cum strepitu sonituq; ruens fortissimus, armis
Omnibus instructus, quæ dira ad prælia spectant,
Inq; ipso properans meditatur prælia cursu.
Quale solet terris irato numine fulmen
Incutere horrorem, cum nubis siccus aquosæ
Hàlitus accendit fumos, atq; alite vento
Laxior, vndoso perrumpit nubila tractu.
It sonitu fragor, & celsus à vertice turres
Concutit, aut rupem luctanti à monte reuellit,
Non vis hunc etiam cunctantior incitat hostem.
Illius ad nomen populis per sicca vagatur
Ossa pauor, trepidant humules, animiq; rigore
Attoniti pallent, vt quondam testa tenacis
Argillæ, tepida quam fumus contigit aura.
Ipsos iam videas magnis conatibus hostes
More Gigantæo in summos contendere muros

Intrepido

Intrepido vultu: pro se rem quisq; gerendo
Magnanimus, metuensq; nihil, iusto ordine pugnæ
Irruet, & forti miscebit prælia dextra.
Non alijs alij obstabunt, labor omnibus idem,
Eo virtus eadem belli, & commune periclum.
Per medios gladios immunes vulneris ibunt
Hostibus haud tergo sed forti pectore noti.
Vrbis inoptatam pars cum victore ruinam
Ex altis lustrabit equis, pars mœnia lusu
Insiliet, ruptis aut furum more fenestris
Illapsa, è spolijs prædam cumulabit opimis.
Eloquar hoc etiam? tantus furor incitat hostem
Vt metus in populo putet ipso pondere terram
Contremere, & moto luxari cardine cœlum,
Orbari solem radijs, & lumine Lunam,
Offundiq; astris nebulas. Nam qui omnia cernit
Cœlorum Dominus, grassantis conscia fati
Fulmina præmittet, quacunq; exercitus ibit
Iste Dei nutu tantis sæuissimus ausis,
Iussus obire [illegible] mandata, & pellere noxam.
Vsq; adeò est horrenda dies, & plena tremoris
Qua Deus inuadit fontes, Quis perferat illum?
At bonus & mitis cœlo dominator ab alto
Ad veniam inuitans miseros, sic excitat vl[illegible]
O quicunq; malè pœnam acceleratis agendo,
Polluti scelere, & peruersæ crimine vitæ,

Exuite

Exuite ingenium, prauos desueſcite mores,
Inq́ viam reuocate gradus, & pectore toto
Auerſi à vitijs, culpaq́ doloribus ægri,
Et veris lachrymis ad me conuertite mentes.
Sic agite, & melius rebus ſperate malignis,
Conſcia mordaci conſcindite corda dolore,
Ne veſtes lacerate, quid hoc de more ſoletis
Nil ſolitum prodeſſe? Deum ſed quærite veſtrum
Conuerſi, quoniam is mitis, largusq́ fauoris,
Ad veniam pronus, iuſtam quoq́ tardus ad iram,
Qui quoties hominum plagas delicta merentur
Ipſe dolet pœnis iuſta quas irrogat ira.
Quis ſcit an irato melior ſententia mentem
Vertet, vt effuſi monumenta relinquat amoris,
Præteriens, ſanctis quo cultus purior aris
Et vacuis apti templis reddantur honores,
Quos velit ipſe libens, patrioq́ agnoſcat amore.
Ergo tubæ ſonitu mœſtam luſtrate Sionem,
Atq́ omnem noto compellite carmine plebem,
Ieiunos ſacrate dies, in templa frequentes
Conueniant doctiq́ ſenes, doculiq́ Iuuentus,
Et matrum reuerenda cohors, genibusq́ voluti
Ante Deum, dedant diuinis obuia rebus
Pectora, & accepti præſtent pia munia cultus,
Intenti precibus, nec te noue ſponſe moretur
Lætitiæ ſpes cœpta tuæ, nec gloria ſponſam,

Qua

Qua fruitur, retrahat, nec cura domestica quen-
Separet à cœtu, tum fida silentia sacris (quam
Præstanti populo, patrio de more sacerdos
Mente preces casta recitet, geminetq; monendo.
Omnipotens æterne Deus, qui illustribus olim
Indicijs, viui patefactus imagine verbi,
Te patrem miseris docuisti velle vocari,
Vnde etiam humanos diuinum semen in artus
Mente tua genitum confidimus adfore, vt omnem
Auferat à nobis culpæ cum crimine labem.
Parce tuo populo, nec quos dignatus es ipse
Hæredes dixisse tuos, permitte pudendis
Affligi exemplis, aut turpi occumbere casu.
Degeneres miserare pater, culpamq; dolentes
Et cupidos renouari, & missum Heroa vereri,
Amissam nobis qui restaurare salutem
Iam venit, & vindex placidè sese omnibus offert.
Cur patiare Deus gentes, quas nominis hostes
Esse tui nosti, iactare hæc sputa loquendi?
Ecce vbi nunc Deus est simulatum numen eorum?
Sic vbi nos humiles gemitu delicta fateri
Senserit omnipotens, ac toto pectore vitæ
Emendare nephas: & amore accensus & ira
Insurget, curamq; suæ geret impiger arcis,
Quam posuit, populos nec dura mente relinquet
Quos odisse nequit: Sed parcens more parentis

Subdu-

Subducet pœnam & sortem frœnabit acerbam.
Fata etiam retro, maturum vrgentia casum,
Insistens aget, atq; vltrò solabitur ægros,
Hæc ita respondens, saluis confidite rebus
Gens mea, iam vultu accipio pia vota sereno;
Seu uobis cordi est numerosæ copia messis,
Seu lauti vis sana meri, seu pinguis olivi
Succus, larga meo nutu feret omnia tellus,
Et triticum & latices dulces, oleiq; liquores;
Spes vestras explebo libens, tectosq; tuebor
Barbara ne turpi posthac gens probra pudore
Obijciat miseris, quæ veri est numinis expers:
Quinetiam Arctoa furias ex arce minantem
Excutiam procul, vt nudis illisus arenis
Damnatoq; solo, ne quidquam limina spectet
Auroræ, infœlix & ad vltima septa vagetur
Oceani. Illi ater consumet viscera morbus,
Sordeat obscœno miserum vt fœtore cadauer;
Excessit quoniam metas ingentibus ausis.
Pone metum, & duri fomenta repelle doloris
Gens dilecta mihi, ne te macerato querelis,
Ne desponde animum, sed spe tua damna serena.
Et Deus est audax & magno ingentia motu
Facta patrare potest. Quin vos quibus arida campi
Gleba famem soluit, conceptum armenta dolorem
Ponite, nam si qua est desertis inuia sulcis

Area

Area, nobilibus flaueſcet rurſus ariſtis,
Dulciaq́ herboſæ diffundent gramina valles.
Quæq́ ſua paſſim diffuſa ſub arbore poma
Spectabunt rura, & pingues in vitibus uuas;
In ficu caricas, læto feret ubere tellus.
Iam lætare ſacræ ſoboles electa Sionis,
In Domino gaudete Deo, qui mœnia ciues
Arcanæ incolitis Solymæ. Quod namq́ ſalutis
Fundamentum unum, monitis per templa ſonantem
Iuſticiam auditis: quod læto humore cadentes
Siue aurora ſuum renouet, ſiue heſperus ortum
Excipitis pluuias, & gratæ commoda uitæ:
Ille dat, ille dabit, largo, uelut ante, fauore.
Implebit mentes doctrina, & frugibus annum.
Iamq́ aderit præſens, pleno quẽ numine mittã,
Iuſticiam inſigni doctor pietate profeſſus,
Mentibus humanis ignotam namq́ docebit
Se ſobolem æterni cœlo ueniſſe parentis,
Vt ueluti largus qui campos irrigat imber
Eluat ex animis tetræ contagia culpæ.
Is renouata nouis accendens pectora flammis,
Quæ recte agnoſcant ueniam, cauſamq́ ſalutis,
Conſtituet regnum in terris, & colliget agmen
Colluuie ex omni, quod celſis inferat aſtris
Omnipotens ſeruator. Erit tunc integer ordo,
Atq́ habilis animis ueniet uigor, & decus ingens

Accedet

Accedet miseris, vitæ cœlestis origo.
Aurea tunc vero decurrent secula plausu,
Nec deerit pecori victus, nec copia rebus,
Æternis coniuncta bonis, vitæq; ministra.
Vt pluuia ante diem sulcandos præparat agros
Serior, inuersæ maturat semina terræ,
Obuia sic miseris veræ doctrina salutis
Sponte sua obueniet, quam casto pectora motu
Accipient, largoq; ferent hinc gaudia fructu.
Tunc iterum optatæ distendent horrea messes,
Amplior & positis fundet vindemia labris
Pocula, & in mensas large nascentur oliuæ.
Ipse autem duris subiectum legibus æuum
Antiquum exonerans, ingenti mole leuabo,
Et donis saturabo nouis, & amore tuebor.
Ipse annos etiam, meruit quos decolor ætas
Quos variæ pestes infecta, & reptile campi
Exitium, mea tela meæq; exercitus iræ,
Eroserè, putri grassantis labe veneni,
Vberius reddam, & cœlo meliore rependam,
Ne quid defuerit, quod laxa annona requirat,
Quo læti & memores, vestri celebretis honore
Nomina magna Dei, qui vestri talia causa
Facta stupenda facit. Sic quos semel ipse recepi
Non patiar turpi posthac lugere pudore.
Hoc etiam experti longo memorabitis æuo

Mei

Me medium inter vos, manifesta luce videndum
Consueuisse hominum cœtus lustrare vagantes
Os habitumq́ gerentem hominis, studioq́ docendi
Quærere dignatum alternas & reddere voces,
Præsentem facie, & meritis: me deniq́ solum
Esse Deum vestrum, nec rerum in mole moueri
Vllum aliud numen, quod vota audire piorum
Possit, opem præstans. Sic quos semel ipse recepi
Non patiar turpi posthac lugere pudore.
Hinc vbi præstiterit chari mandata parentis
Iusticiæ sator, humanos dignatus in artus
Demigrare Deus: manifesto munere notus
Ipse mei effundam uuentem numinis auram
In genus omne hominum, qui me propiore uocante
Agnouêre animo. Ceu dulci humore solutus
Neglectos fœcundat agros largissimus Imber,
Sic meus effusis cumulabit pectora donis
Spiritus, instaurans lucemq́ decusq́ nouando.
Namq́ ea vis illi est mecum, atq́ æterna potestas
Eruit ex animo lentum torpente uetternum,
Quò ruit in uetitum morbi secura uoluntas.
Corda leuat uitijs, quæ cœco innata tumultu
Permiscent motus, stimulisq́ calentibus urit,
Accenditq́ fidem flamma uberiore micantem.
Tum comes assistit cœpto, & defensor amori,
Confirmatq́ habitum, solatur & erigit ægros.

Conseruat fortes, viresq; audentibus addit,
Nec sinit insidijs, aut turpi occumbere casu,
Hinc vigor immotis animis infractaq; corda.
Mille per ærumnas spem circumferre salutis,
Victricesq; polo palmas inferre ferendo
Assueuêre, decus positæ sublime coronæ,
Et lætum æternæ donum referentia vitæ.
Ergo animis haustus paucis, & cognitus oris
Iuda tuis tantum, dum tempora prisca ferebant,
Liberior longis flatus mirabilis alis,
Qua populi totum linguis habituq; per orbem
Mille modis variant, longinquis viribus ibit
Electis sese insinuans, & mille figuris
Expediens dotes, & latè munera spargens
Sic fax parua suæ sub corpore simplice formæ
Exiguo rutilat motu, mox acta rotatu
Emittens iubar ad metas extendit opacas,
Longius it lumen spaciosam illustre per vmbram,
Agnoscunt omnes manifesto in lumine lucem.
Hoc duce vestra nouis edet miracula signis
Posteritas, vestra soboles ab origine, puro
Ingenio excutiens sanctorum oracula vatum,
Fœmina masq; simul senioq; assueta iuuentus
Fata canent orbi venturæ præscia vitæ.
Somniaq; exponent, hominum non arte magistra
Euoluenda, animis verum obrepentia castis

Instinctu

In ſtinctu angelico & veri ſpectantia finem.
Quinetiam ſimulachra modis ludentia mirís
Viſa oculis, poterunt ſancte enarrare docendo,
Omnibus vt monſtrent tanti veſtigia regis,
Qui recipit miſeros, & cœli donat honore,
Deniq; me ſolum veriti quicunq; vocabunt
Agnoſcentq; Deum, ſimul hoc ſpirabile donum
Affundam cupidis, aliquo ſeu iure fruantur
In genere hoc hominum, ſeu ſorte premantur acer-
Mancipia, officij nullum diſcrimen habebo. (bi
Prodigijs etiam cœlo terræq; timendis
Signa dabo, flammas iaciens atrumq; cruorem,
Pulla teget facies nigrum ferrugine ſolem,
Orcq; ſanguineo ſqualebit Luna, priuſquam
Magna dies Domini metuendo illuxerit ortu.
Atq; ita ſtat fixum, quiſquis miſerantis adorans
Iuſtificum nomen Domini, fidente vocabit
Pectore nil metuet, Sed caſu ereptus ab omni
Ante Deum æterna ſeruatus luce fruetur.
Namq; illic miſeras ſtatio gratiſſima mentes
Excipiet portu, & tuto ſeruabit aſylo,
Inclyta qua ſpectans rupes tegit alta Sionis
Mœnia. Quin illos pax hæc optata manebit,
Quoſcunq; externis Deus è regionibus vltrò
Accierit, patria bonus & pietate vocarit.
Iſta fluens etenim quando aurea cœperit ætas,

Iuerit & largo manans de fonte ſalutis
Gratia, quæ veniam conuerſis mentibus adfert,
Vincula cum Solymæ, cũ dempſero vincula Iudæ,
Captiuas laquis animas, & crimine ſoluens
Quicquid erit populi ſpacioſi longa per orbis
Climata, quod dura ſpretam ceruice ſalutem
Reſpuerit, fictis faciens vota impia diuis,
Vndiq́ collecto compellens agmine cogam
In numerum, atq́ manu conſertum iure vocabo,
Conuincamq́ reos, veniamq́ dolentibus vltrò
Proponam, miſeris ſi non mens læua nocebit.
Tunc populum Iudæ captiuum et vincla gerentem,
Expediens triſti ſeruili è carcere legis,
Alloquio dulci reuocabo in luminis auras,
Paſcit vbi Ambroſia mentes diuina beatas
Gratia, & electas cœleſti luce ſerenat.
Eſt locus auguſtæ quo cæco in carcere mentes
Bella gerunt ſecum, delicti mole grauatæ,
Cum ſcelerum ſeriem motu meliore dolentes
Agnoſcunt gemitu culpam, lateq́ ſonantes
Horreſcunt pœnas, & ſpe ſolante timores
Implorant veniam: veluti ſi ambagibus imis
Seceſſu in longo, qua Ioſaphatæa vallis
Arcuat ingreſſus horrentiq́ imminet vmbra,
Compreſſi populi ſtipentur, & vndiq́ denſi
Ignariq́ viæ, ne quidquam exire laborent.

Huc

Huc ego compulſis, quas proprius abſtulit error,
Gentibus examen ſtatuam, ponamq́ tribunal,
Iuſticiamq́ meam, mea iura, manumq́ potentem
Oſtendam trepidis, & litem ſponte mouebo.
Publica iudicij latè ſubſellia ponam,
Iuſticiam exercens, nòn qua vindicta nocentes
Adficit, errorem ſed qua ſolatia faſsis
Gratia ſuppeditat, culpam miſerata dolentes.
Attonitæ ſtabunt gentes, formidine terror
Opprimet erroris memores, & corda pauore
Anxia cura coquet tranſactæ conſcia vitæ,
Tum veniens cenſor, diuino numine flatus
Omnipotens, celeriq́ volans in pectora curſu
Agnitione mali trepidantia corda ciebit.
Arguet & culpam, & mentes reuocabit inertes,
Et cupidas veniæ. Quos ad meliora volentes
Vertet amor recti, veniam pro crimine vitæ,
Gratuitò accepti referent, cœloq́ fruentur.
At quibus indomitis furor alto induruit vſu,
Hos pœna adfliget, conſulti criminis vltor.
Hæc peragens ſimul admiſſo de crimine vindex
Vlciſcar terramq́ meam, gentemq́ togatam,
Quam mihi delegi, dilectam ex omnibus vnam
Hæredem cœli, quam turpibus obruit armis,
Diſperſitq́ vagam, iactata & ſorte retentam
Diſtribuit, captamq́ iugum tolerare coegit,

Obſcœnus populus variorum lubę Deorum.
Illum etiam haud puduit floremq́ decusq́ Iuuenta
Innocuos pueros, illibatasq́ puellas
Permutare mero, & vili diuendere menſa.
Dicite cœca Tyrus, & luxu perdita Sidon,
Atq́ alienigenis tellus habitata Philiſtis,
Et quæcunq́ alio ſimiles ſub ſydere gentes
Viuendi vitium cœleſti opponitis iræ,
Deploratæ animæ, quæ vobis cauſſa potentem
Irritare Deum? mihi quæ Veſania veſtros
Reddidit infenſos mores? me ſiccine tetro
Inſultu petitis? vindictam & quæritis ægri?
Siccine res miſeris præclara & pulchra videtur
Inſultare Deo? turpesq́ idola per aras
Suſcipere, & verum ſtudio contemnere numen,
Et longam immenſi telam exercere furoris?
Inſultate tamen, curſumq́ vrgete nephandum
Quos iuuat iſte furor. Tamen illuceſcet acerbo
Illa dies miſeris nil formidantibus ortu,
Qua ſimul impietas & deplorata libido
Compenſata ſuo perſoluent tempore pœnas.
Tunc mala retribuens veſtro ſeruata furori
In caput infligam vobis quaſcunq́ merentur
Impia conſilia aſſiduo cum uulnere pœnas.
Quid mihi vobiſcum rigidi regna impia mund
Sentinæ ſcelerum, quæ longa examina culpæ

Duci

Ducitis infandæ, dum passim mille figuris
Fictitios miscere Deos, & vera docentes
E medio audetis mactando tollere vates?
Pectoris vnde alto mens oblimata veterno
Nec nouisse Deum, nec rectum agnoscere curat,
Sed vitijs polluta suis, qua traxerit error
Defluit, vt prona fluuij cadit alueus vnda?
Insanæ gentes, & vix miserabile vulgus
Vos mea nudastis proprys altaria donis,
Argentum atq; aurum, sanctiq; insignia templi,
Impiaraptastis fictorum in fana Deorum:
Vos sobolem Iudæ, Solymisq; è mœnibus ipsos
Non estis veriti captiuos ducere ciues,
Et procul exilio patrijs à finibus actos
Exiguo precio leuibus venundare Graijs,
Ecce procul positos, alio sub sydere, rursus
Exilio functos meliori sorte reducam
In patriam, faciamq; volens, vt vestra vicissim
Pignora dilectos natos, tenerasq; puellas
Abductas pretio vendat Solymeia pubes,
Et procul elidens peregrinum mittat in orbem,
Qua postremus Arabs, cultor felicis arenæ
Inter Erythræos fluctus & Persica stagna
Respicit vmbrarum vacuam sub Sole Syenen,
Et procul æstiuas geminantem prospicit horas
Taprobanen, nunquam cui lucida cernitur Arctos.

Hæc ait omnipotens, fatisq́ hærentia fixit
Parcere qui trepidis solet & frenare superbos.
Audiat hæc, si quem extremis de gentib. ambit
Orbis ab agi sinus Oceani, quem sideris expers
Terra tenet, nimbos vbi parturit humidus Auster,
Quem sicci excubiæ cœli, maiorq́ minorq́
Vrsa tegit, radio quem fuscat vesper anhelo.
Ite feræ gentes, quoniam insanire voluptas
Est miseris, sæuum de more indicite bellum,
Marte ciete viros, & bellipotentia corda,
Ite viri fortes, accedite prælia docti,
In gladios verso cum vomere cedat aratrum,
Et rigidæ falces longas conflentur in hastas,
Prætexat vires infirmior, omnia pugnent.
Ipse ego vos forti mansuetus milite victor
Sub iuga pacis agam, densa cum valle coactor
Iudicio explorans, viuaci examine Iudex
Expediam vinclis animorum, & luce beabo.
Ibit ouans animis lxti plebs conscia doni,
Iustici æq́ nouæ pulchro gaudebit honore,
At mœsti incedent peruersa mente rebelles,
Et lucem exosi votis sua funera poscent.
Pergite messores, promtas immittite falces
Inuictis audete animis, nec cedite damnis,
Messis adest etenim maturis diues aristis,
Et vinosa madet plenis vindemia labris.

Ia

Iam manus extendenda, frequentandiq; labores
Dum tempus ratioq; sinit, spesq; obuia votis.
Nam veluti læto quoties exuberat anno
Ditior Autumnus, prælis vinaceus humor
Multus abit, stagnante lacu, cum se quoq; maior
Larga procul fuso spumat vindemia musto,
Sic scelus humanum exuperans finemq; modumq;
Æstuat, & propria cumulatum mole laborat,
Ipsa dolens vitij medicinam copia poscit.
Digna lues letho secum miserabile voluit
Prodigium scelerum. Tanto succurrite culpæ
Salutiferi vates verbi, vigilesq; ministri
Ingentes armate animos, pugnate docentes,
Errantes reuocate animas & reddite cœlo.
Hinc atq; inde vago densatis agmine turbis
Conuenient populi, & varijs concursibus acti
Implebunt vallem, verbi clangore sonantem,
Hic vbi decisam dirimet vox vltima caussam
Conuersis veniam spondens, pugnacibus iram.
Hic sonitus verbi, metam durabit ad ipsam
Decrepiti mundi, & conceßi gentibus æui.
Signa tuam ostendet cœli lugubris imago,
Contectum subitò tetra caligine Solem,
Atq; intercepto fuscatam lumine Lunam
Vt moueant crudos animos, culpæq; dolentes
Ad veniam inuitent, posito iam more furendi.

Emittet ſonitum dilecta ex arce Sionis
Ipſe loquens Deus, ipſe vocans errantia corda.
E Solymis veniet Domini vox miſſa potentis
Quæ fremitu legis, quæ dulci carmine verbi
Omne adeo cœlum cieat. Deſuescite mores,
Et labes animorum, & tundite pectora veris
Erratorum odijs, vitæ melioris amore
Exuite ingenium, à tergo aut triſtibus vltrix
Mors aderit, repetens diras pro crimine pœnas
Exitio æterno. Quin culpæ horrore dolentes
Erigite, atq; animos dulci componite verbo,
Integra quod tritis ſolatia mentibus offert,
Ante Deum æternæ dona allatura ſalutis.
Hæc Deus, haud aliquē abijciens delicta dolentem
Excipiet miſeros, & tectos ſponte fouebit,
Præſidioq; teget, portusq; atq; aura piorum
Qui peccaſſe dolent, promiſſæ & fidere gaudent
Iuſticiæ, miſeris quæ ſponte offertur in illo,
Qui patris eſt & imago ſui, & ſapientia ſumma.
Ergo etiam hæc pater. Hoc ipſo diſcetis ab vſu
Eſſe mihi ſedem ſacroſancto in monte Sionis,
Monte meo, dulci qui vos amplectitur vmbra,
Dux ego veſter ero, atq; adero quæcūq; cadet ſors,
Non ego deſtituam te dilectiſſime cœtus,
In quo nota mei vox, & reuerentia verbi
Me nouit, celebratq; Deum, mihi militat vni

Integra

Integra tunc Solymis accedet gloria templi,
Et cœlo cognatus honor, iam læta triumpho
Sancta fide, afflatu diuini sancta fauoris,
Electos animos iunget communio ciues,
Præstabitq; Deo verum cultumq; timoremq;,
Edocta in terris consortia viuere cœli.
Tunc tibi non aliquis sese ingeret aduena cultu
Discolor externo, aut ficto sermone disertus
Cessabit varios mentiri lingua colores,
Non locus vllus erit sceleri, non gratia noxæ,
Non fraudem delusa dolo doctrina sonabit,
Vna eademq; pijs vox mentibus, vna voluntas
Omnibus vna fides erit, atq; amor omnibus idem.
Hæc vbi sic horis veniet felicibus ætas,
Stillabunt dulces altis de montibus vuæ
Nectareos latices, atq; ambrosios thesauros,
Lacte fluent colles, atq; omnes vndiq; riui
Per campos Iudæa tuos, prægnantia dulci
Flumine, miratis implebunt littora terris.
Eg; domo Domini læta scaturigine viuus
Fons saliet, dulci loca late arentia riuo
Humectans, vnde ægra sitim restinguere, et omnẽ
Pectoris, fissa Deo poterunt abstergere labem,
Quacunq; extremus sitiens gens accolit oras.
Atrudis Ægyptus, semperq; rebellis Idume,
Et quicunq; Deum soliti irritare nocendo

Adsti-

Adflixêre pios, hi pro leuitate viciſsim
Perſoluent pœnas, quoniam Iſrahelidita gentem
Sanguine fœdarunt, nil vnquam tale merentem
Damna ſua abiecti loca per vaſtata dolebunt
Diſperſi auxilio, naturæq; vltima paſsi,
Triſtibus ærumnis, ſeriſq; doloribus ægri.
Tunc Synagoga furens nimium confiſa ſciendo
Cauſſa pijs luctus, & fuſi ſanguinis author,
Impia turbatrix verbi cœleſte ſonantis
Præſidium miſeris, meritis direpta ruinis
Corruet excidio, petulante quod auſa furore
Immeriti fœdo maculauit ſanguine Iudæ
Progeniem inſontem. Tua ſed piè Iuda manebit
Poſteritas, inuicta malis, tua ſalua manebit
Gloria, Sancta Salim, nullo delebilis æuo,
Donec ſumma dies, atq; vltima linea rerum
Atteret extincto pereuntem tempore mundum.
Et noua iam magnis procedere menſibus ætas
Incipiet, veræ texens primordia vitæ
Ante Deum æterno ſemper pulcherrima curſu.
Temporis interea illorum me vindice ſanguis
Non impune cadet, quorum mihi præſtitit vni
Fixa fides, quamuis ſors aſpera ventilet ægros,
Excipiantq; piæ plenis vel mille periclis,
Ipſe adero medio tamen in diſcrimine preſsis,
Et tenebris lucebo Deus, è turbine vincam.

Et cœtum ſeruabo meum, dextraq; tuebor.
Hoc caput eſt, memores huic dicto aduertite men-
Ipſe Sionea ſedem ſibi legit in arce, (tes
Rex Deus omnipotens, rerum dominator et author,
Hanc colit, hanc habitat, nuſquam aduerſatus, &
Parte fouet præſens, omniq; tuebitur æuo. (omni

HYMNVS
AD SPIRITVM SANCTVM.

TE quoq; ſancte canam diuini flatus amoris,
Omnia qui viuo numine viua facis.
Dulcibus accendis qui corda volentia flammis,
Efficis & motu pectora ſancta tuo,
Dum firmata fide, verbo renouata potente
Luce vident verum iam propiore DEVM.
Nam veniens dulci ſpirator ſplendidus aura
Omnia tu penetras, omnia primus agis,
Non tu vis agitans rebus ſic facta fouendis,
Non es, quod moueat præſcius autor, opus,

Robur

Robur habes in te proprioq; in numine vires
Ipse tibi motus, motor & ipse DEVS.
Omnibus es rebus prior, omni antiquior æuo,
Cum patris & nati numine, numen idem;
Nam patris æterni natiq; à numine missus
Huius & illius ius agitator habes.
Cum patre cum nato simplex es, & vnus, & idem;
Personam iunctus cum tribus vnus habes,
Vlla prius facies quam rerum emergere cœpit
In triplici simplex numine numen eras;
Autor & effector dulci facis omnia flatu,
Quæ pater & natus patris imago probat;
Tu gaudes verbo semper comes esse sonanti,
Quod nos iusticiæ munera vera docet;
Carne quod assumpta referens hominemq; Deumq;
Victima pro mundi crimine cæsa fuit.
Huic motum aspiras & acuti fomitis auram,
Ima per vt læti viscera cordis cat.
Sicut vere nouo, iam Sole tepentibus auris
Cum riguo Zephyrus molliter imbre ruit;
Lactantisq; sinus terræ glebasq; resoluit,
Vt latices dulci pasta liquore bibat.
Tum segetes sulcus, tum frondes explicat arbor;
Prosilit è viridi gramen & herba solo:
Sic simul ac cupidas vox cœlica transit in aures;
Tu simul adflatu pectora casta subis.

Aspi

Aſpiras q̃ animis vires, tum pura nouatum
Accipiunt viuo corda vigore decus,
Cum pater expreſſo rerum primordia Verbo
Conderet, adflatu ſunt fabricata tuo,
Tu noua naſcentis fouiſti ſemina mundi,
Sedula ſubiectas ut fouet ales aues,
Te ſenſêre DEVM priſco ſub tempore uates,
Qui ſobolem æterni præcinuêre DEI,
Per te aliquis dixit paſſurum uerbera Chriſtum
Cum nondum indutus corpore Chriſtus erat.
Simplicis aſſumens ſimulachrum dulce columbæ
Meſſiam ad ſanctam teſtificaris aquam.
Cum Deus è dira genus Iſrahelis Eremo
Purpureum ſicca per mare duxit humo:
Tu populum longis cingens comitatus es alis
Iuuiſti motu corda gradus q̃ tuo.
Prævius incedens primo dux agmine Chriſtus
Ceu facili duxit caſtra ſecuta manu.
At pater omnipotens pontum diſiecit, & altas
Fluctibus effecit ſtantibus eſſe uias.
Conſtitit æterno rigidi ceu marmore montis
Iam minimè propria mobile mole fretum,
Turba canens hymnos, chara cum prole parentes,
Cum ſenibus iuuenes, libera carpſit iter.
Tutaq̃ compoſitas ſicco pede preſſit arenas,
Quas prius inſani lauerat unda maris.

Infelix

Infœlix temerè ſimilem ſpem concipit hoſtis,
Sed miſerè aduerſo nititur ille DEO,
Ergo perit refluis ingens exercitus vndis,
Et Pharao in medijs funera potat aquis.
Diſcite mortales numen cœleſte vereri,
Nulla eſt in ſummum vis diuturna Deum.
Talibus atq́ alijs quoniam ſanctiſſimæ ſignis
Eſt tua non vno vis patefacta loco,
Verus es æternusq́ Deus, Deus vnus & idem,
Spiritus æterni diues vbiq́ boni,
Sed tua maieſtas patribus ſic cognita priſcis
Exemplo poterat iam propiore cani,
Ardua cum victor repetiſſet ſidera Chriſtus
Politicus nobis qui tua dona fuit:
Ipſe miniſtrorum linguis ardentibus hærens
Sparſiſti Eloquij ſchemata mille tui.
Et DEVS effuſus totis iam plenior alis
Armaſti inſtinctu pectora caſta tuo.
Orta dies fuerat, qua quondam in luce coruſca
Edita lex, Sinæ rupe tremente fuit,
Hæc legitur priſcis lux Quinquageſima faſtis
A reditu rubei per loca vaſta freti,
Sic res viſa DEO pulcherrima, certa ſalutis
Nuncia ſit, pœnæ qui fuit ante dies,
Mane erat & tota vox feſta ſonabat in vrbe
Munifici celebrans facta benigna DEI.

Ipſe etiam ſimul Heroum conuenerat ordo,
Quos ſibi legatos legerat ipſe DEVS.
Candida diuinas pangebant pectora laudes,
Pectora ſpectanti concio grata DEO,
Promiſſumq́ decus votis precibusq́ petebant
Vnanimi iungat quod pia corda fide,
In medio Petrus Bethſaidos acer alumnus
Pectore ſyncerus ſtabat, & ore ſenex.
Illeſacros Hymnos, & vatum ſcripta legebat,
Qui decus alta tuum præcinuêre Sion.
Ecce repentino commotus murmure flatus
Inſonat impulſæ per latus omne domus.
Illis oſſa tremor friguſq́ perambulat artus,
Spes tamen in ſolo numine fixa manet,
Nec mora: conſpicuâ numen ſpirabile formâ
Delapſum ſancti ſedit in ore chori,
Alter in alterius flammantem vertice linguam
Attonitus, docto mox & in ore videt,
Iamq́ noua dociles pariter virtute caleſcunt,
Et capiunt viuo pectora plena DEO.
Mox etiam omne genus ſermonis, et omne decorum
Incipiunt docto ſuauiter ore loqui.
Continuo rumor longis reuolubilis alis
Voluitur, & varijs itq́ reditq́ locis,
Vtq́ frequens Solyma collectus in vrbe piorum
Ex omni terræ climate cœtus erat:

Sic noua consuetum cupidè perquirere vulgus
Confluit, & tota plebs simul vrbe ruit;
Omnes sancta stupent subiti miracula fati
Dum linguæ agnoscit quisq; idioma suæ.
Siue etenim Eoo veniens à Sydere Parthus,
Herbida seu linquens pascua Medus adest.
Siue Asiæ ciuis, seu diuitis accola Ponti,
Siue tuus Lybico clara Cyrena solo,
Siue potens framea Germanus, & arma secutus
Itala, & à Galata missa cohorte manus,
Seu Romanus homo, quicunq; vel alter ab illo est
Aduena de Latijs Italiota plagis,
Deniq; seu mitratus Arabs, seu decolor Indus,
Siue ab Erythræis qui venit hospes aquis,
Natiuo sibi quisq; audit sermone loquentes,
Quem puer edoctus matre docente fuit,
Et quisquis nec erat, vel erat Iudæus, ab illis
Accepit linguæ propria verba suæ.
Vnde mihi Eloquij fontes & flumina poscam,
Quod tantum merito carmine laudet opus?
Non habet hic aliquem nugis vulgata saporem
Fictaq; Pierijs Castalis vnda choris,
Ora sua agnoscunt humiles exilia Musæ;
Cum vera est summo laus tribuenda DEO.
Eloquiumq; sciunt viresq; aliunde petendas,
Quas vigor Aoniæ promere nescit aquæ,

Non

Non mihi si dulci Philomelæ cantio linguæ
Misceat harmonicis verba diserta sonis,
Absq; tua spirator ope an me dicere quicquam,
Ad tua quod faciat nomina, posse putem?
Si tamen vt possem tua munera pandere mundo
Eloquium præstent vota preces q; mihi,
Iam facerem pia vota, mihi mens, lingua, voluntas,
Visq; animæ tantum tota sonaret opus.
Ergo pias tangis dulci spiramine mentes,
Consensuq; ligas mutua corda pio,
Eloquij variæ diuerso munere gentes
Vt sint vnum animis pectoribusq; facis,
In nos æternum patris vt testeris amorem
Es patris, es nati munere, missus amor.
Te tangente animos omnem Deus exuit iram,
Et mera dilecti gratia vincit onus.
Vt pater iratus soboli cum ponderat iræ
Vindictæq; simul, cautus vtriq; modum,
Multum versat opus, quod non satis eligit, illa
Et tremit, & culpæ conscia multa timet,
Intercedit amor fidi & suspiria cordis,
Vertitur in veniam iustus ad arma dolor,
Sic tu noster amor, tu suspiratio, pressis
Corda nouas, iusto conciliata DEO.
Felix qui ramum sub corde virentis oliuæ
Te pacem ante Deum constituente gerit.

Pulchrior haud aliqua est toto victoria mundo,
Deditio suasu quàm properata tuo,
Deditur, vt victor strata de morte triumphet.
Qui dat propitio te duce colla DEO.
Interea largitor opum, largitor honorum
Diuersis cumulas pectora docta bonis,
Diues & indignum bona dispensator in orbem
Spargis, quæ vitæ fœdera iusta iuuant.
Hinc vigor ingenijs, hinc natæ in mentibus artes,
In quibus est alti gloria sparsa DEI.
Nam si mille iuuet scrutando euoluere mentes
Quo præstet reliquis quælibet, vna tenet,
Hic valet Eloquio, melius sed consulit alter,
Artibus hic belli promptior, ille togæ,
Eruit huic numerus varias, huic Circulus artes
Qui mentem ad cœli sydera celsa vehunt,
Gratus vterq; DEO, pietas si dirigit artem,
Qua sine nulla DEO vita placere potest,
Huic dictant faciles dulcissima carmina Musæ,
Linguæ alius longo Syrmate liber abit,
Hic peragens digitis celeres testudinis ictus
Artifici mulcet pectora læta sono,
Qualis vbi ciues à seditione retraxit
Terpander melica Lesbius arte potens.
Da Deus hæc etiã Terpandrum in secula quendam
Classica quo Martis signa canente cadant,

Ingenium

Ingenium ſuperat dum ludit imagine pictor,
Viuaq́ adumbratis vultibus ora facit,
Concipit arcana formas ratione videndi,
Dum ſtruit ingenuus tecta ſuperba faber.
Mille modi ingenijs, ſtudij nec terminus vnus,
Gloria ſupremi meta ſed vna DEI,
Quid memorem inferius, pariter ſed amabile vul-
Artes, quas agiles condidicêre manus? (gus
Quæ ſunt & variæ & mira compagine iunctæ,
Et numerum ſuperant vtilitate ſuum.
Quis queat inuentis numerum ſubſcribere rebus,
Omnia quæ donum ſunt, DEVS alme, tuum.
Quis queat arcanas in rerum ſemina vires
Dicere, prouentus vnde colonus habet:
Vnde etenim eſt illud ſibi quod concredita paruus
Multiplici largè fœnore reddit ager?
Publicus exacto quod victus ſufficit anno,
Numinis eſt præſens munus id omne tui:
Injcit inuerſis humore carentia glebis
In rigido ſpargens grana colonus agro,
Mortua res ſeritur, nec ſucci aut fomitis vllum
Indicium, naſci quo reputetur, habet,
Triſtis hyems ſequitur, Boreas cum Sole remoto
Vrit, & albentem frigore ſiccat humum,
Interea premitur brumali ſydere tellus,
Et velut occluſo mœſta calore riget,

Hic ágo quis cauſſas naſcenti dixerit vllus?
Mortua res pridem, naſcitur illa tamen,
Ver redit, & blandi propiore volumine ſoles
Mitibus & radijs arua recluſa fouent,
Inde redit terræ calor & ſociabilis humor,
Inde nouas tollunt condita grana comas,
Exit acus primum, tenui mox Sindone culmus,
Tum noua multiplici ſemine ſpica ferax,
Natura mirante decus, quod cernere neſcit
Lucra decoratus centupla reddit ager,
Quid quod item forma res creſcunt ſemper eadem,
Falſa nec antiquum ludit imago decus?
Quam vidit grani ſpeciem, quæ mille recenſet
Secula, nunc ætas hanc quoq́ noſtra videt,
Quid quod & auguſto meſſem diteſcere nutu
Quælibet exemplo menſa probare poteſt?
Collige ſubducta meſſem ratione quotannis,
Vnde annona ſuas publica ſumit opes,
Quam cito deficiet natarum copia frugum,
Ni ſit munifici nutibus aucta DEI.
Tu præſens placido flatus ſanctiſsime motu
Miſſus in hæc patrio munere dona venis,
Aſpiras placidam rebus creſcentibus auram,
Naturæq́ foues non pereuntis opus,
Per te forma decus, per te capit actio finem,
Per te cauſſa bonis omnibus omnis ineſt.

Sic du

Sic dulcem cœli sparsisti è uertice mannam,
Cum foret infestam gens tua passa famem.
Proh dolor vnde stupor tantus mortalibus ægris,
Vt nequeant tanti dona videre boni?
Mille roges, vnum quot gignat semina granum,
Hoc tibi qui memoret vix tamen vnus erit,
Hoc ipsum ingratas manifesto crimine mentes
Arguit, & fœdum damnat in orbe scelus.
At terimus fruges ceu bucula deuorat herbas,
Et bibimus, largas taurus vt haurit aquas,
Et quasi vita homini sit deuitanda, studemus
Ipsam animam sumptis illaqueare cibis.
Discite degeneres respicere, discite mentes,
Talia qui peragunt, nescit amare DEVS.
Sed longe excludit promissi à limine cœli,
Et loca damnatæ torquet ad ima Stygis.

Verum ad te redeo, viuo de numine numen,
Diues in exhaustis Spiritus alme bonis,
Iusticiæ veluti nascentem accendis amorem,
Et pia munifico corda fauore iuuas:
Sic etiam impellis generoso pectora Zelo,
Et vacuas studio non sinis esse preces,
Dulcibus accendis mentes & pectora flammis,
In solo vt quærant gaudia certa DEO.

Æternumq; Deum caſtè & conſtanter adorent
Ad dubiæ fortes ſortis vtramq; viam.
Quiq; tuo inſtinctu verum diſcernere numen
A falſis didicit fictitijſq; Dijs.
Confiſusq; Deum ſic vero implorat amore,
Dulcis vt è cœlo vox patefacta iubet,
Hunc ſimul exaudis, ſimul omnipotensq; volensq;
Adſeris æternum proximus ante Deum.
Elegis in caſto ſanctum tibi pectore templum,
Et cuſtos templi magnus es ipſe tui,
Vtq; reos actor facundo protegit ore,
Dum facit in medio verba diſerta foro,
Sic tegis oppreſſos, miſeros ſolaris, & ægros,
Dum releuas gemitu crimina noſtra tuo,
Quin doctore animos non dedignaris egentes,
Inſtituisq; rudes, immemoresq; mones,
Arguitur per te fatui ſapientia mundi,
Defectum vt videat condoleatq; ſuum,
Hanc quoq; pugnantẽ, ſuperari ac turpe putantem
Conuincis verum non timuiſſe DEVM.
Namq; licet vitijs & ſordibus obruta ſqualet
Vt rudis enixa maſſa parente ſolet,
Improba mendaces tamen audet fingere cultus,
Aſtraq; vel propria ſcandere quærit ope.
Verum vbi ſparſa tuo tonuit vox cœlica metu,
Succumbit monitis victa pudore tuis.

Pectora

Pectora mordaci culpæ concluſa dolore
Erigis, & motu cor renouante foues,
Quodq; nocens tenebris lugubribus obruit error
Noticijs lumen mentis ineſſe facis,
Hanc renouas facibusq; volens melioribus ornas,
Vt propius ſummum quærat ametq; Deum.
Tum vero oſtendis minus eſſe piabile nullum
Fidere quam Chriſto non voluiſſe, ſcelus,
Mox arcana doces cupidas myſteria mentes,
E quibus eſt omnis noſtra petenda ſalus.
Saluifici meritum monſtras mirabile Chriſti,
A cuius miſſum numine numen ades.
Hunc precium ſoluiſſe doces, quod debuit orbis,
Iuſticiaq; patrem conciliaſſe ſua,
Vt quicunq; dolens tranſactæ crimina vitæ
Verſus in hunc toto pectore fidat homo,
Gratuito veniam commiſſæ munere culpæ
Nactus in æterna gaudia luce ferat.
Et quamuis non ſit, iuſtus reputetur amore,
Quem gerit in nati ſingula membra pater.
Talia ſyncero memores qui in pectore condunt,
Et pura à vitijs mente fideq; tenent,
Non his inſidias, non vllos amplius hoſtes,
Nulla pericla pijs eſſe timenda doces.
Namq; triumphata poſtquam de morte reuerſus
Victor confregit Tartara cœca DEVS,

Mors iacet, & fracto lugens & languida telo,
Qua noceat firmæ nil rationis habet.
Sed velut annoſæ ſalicis ſine cortice truncus,
Quam terit extrema longa ſenecta vice,
Fronde viret quamuis aliqua, tamen pſtus in horas
Deficit, in putrem iam rediturus humum:
Sic abſorpta graui magni certamine Chriſti
Mors iacet æterno mox peritura malo,
At qui fauce tumens, colloq́ ſuperbus eburno,
Carpit ab humanis gaudia fœda malis.
Victus & à iuſto damnatus iudice ſerpens,
Icta velut torto vipera fuſte, iacet.
Sic igitur quisquis te vera docente quieſcit,
Vt poſſit placida mente timere DEVM.
Obſignata gerens muniti mœnia cordis,
Auxilio fugiet nulla pericla tuo.
Ecce tuo perſtat conſtans pro dogmate Saxo,
Dum quintus longis menſibus annus abit.
Saxo animo magnus, maior pietate fideq́,
Qui patris & patrui nobile nomen habet.
Si quis ab innumeris decus hoc ſibi vendicat annis,
Fallitur, hic propriæ pondera laudis habet,
Iuſta volens, ſapienter agens, teq́ auſpice forti
Signatum gemma cor gerit acre tua,
Non illum à certo deducere tramite veri,
Diuerſis potuit gratia visq́ modis.

Sitq́

Sitq́ licet Pelagi ventis iactatus & vndis,
Per pelagi vicit nauita fortis iter.
Qualis in Oceano grassator pingitur heros,
Qui te fert humeris maxime Christe suis.
Illi per varium rerum discrimen eundum est,
Hæc mundi morem picta figura notat.
Ante pedes tumidi non noto in gurgite fluctus
Horrendum dubia sorte morantur iter,
Mille vero ante oculos casus & mille figuræ,
Intentant certam monstra marina necem.
Hinc sese illudens Phlegethontius ingerit hostis
Nunc Leo, nunc serpens, capra chymæra, Ty-
Illinc Ausonio veniens de Tybride Proteus, (phis,
Mille dolos nouit nectere mille modis,
Astl humeros premit imperio qui sydera torquet,
Grandior immenso, maior & orbe, puer.
Sed tamen auricomans nitentem sustinet arbor,
Quam gerit ad cunctas dextra parata minas.
Illa Dei verbum, verbiq́ potentis acumen,
Cui non officiunt vlla pericla, refert.
Hic datus Heroi baculus, quo dirigit omnem
Per mare, per scopulos, per fera monstra viam.
Hoc etiam sceptro monstrosos percutit hostes,
Constanti validas cum facit ore preces.
At procul ardentem præbens è littore tædam
Qui præit augusto candidus ore senex,

Prisca

Priſca repræſentat ſacrorum oracula Vatum
Immortale Dei qui cecinêre decus.
Qui digitum intendunt ad ſacra vmbracula fontis,
Vnde beatificæ vena ſalutis abit.
Simplicis extremo quæ vertice forma columbæ
Chriſtophori pulchras ambit amica comas,
Hæc tua, qua notum fieri te iuuit, imago eſt,
Semper amoriſluo plene fauore Deus.
Ergo pia qualem finxit ratione vetuſtas
Per vada qui Chriſtum baiulat ampla Deum.
Talis Saxonicæ Princeps noua gloria gentis
Per mala Chriſtophorus plurima verus abit.
Priſtina rem fictam pietas in imagine luſit,
Et docuit qualis debeat eſſe pius.
Hic tibi re vera ducibus quod mille negatum eſt
Exemplum, ingenue quod probet, vnus habet,
Non Linus hunc aliquis, veluti Mideatide natum
Virtutis docuit dulce tenere decus,
Non iſti ſimilis, qui carmine notus & herbis
Peliden puerum ſuſtulit arte ſenex,
Non huic propoſitum nunquam auſæ aſcendere cœ-
Dogmata Socraticæ compoſuêre ſcholæ. (lum
Ite procul tecti deliramenta Platonis,
Et dubium obſcuri vulgus Ariſtotelis.
Otia ſecedant Samij ieiuna Sophiſtæ,
Humanæ valet hic nil rationis opus,

Pectore

Pectore Aristides constante Themisticlis iram
Atq; odium vulgo tela minante tulit,
Eleuat ingenuus leuiores Regulus Afros,
Scæuola combustam non dolet igne manum,
Pocula qui Critiæ tradit medicata tyranno
Certa suæ constans nomina laudis habet,
Sed tamen & tenuis laus est & vilis eorum,
Collata ad tanti nomina clara viri,
Esto, quod Heroum nunquam sine numine virtus,
Perficit insigni fortia facta manu,
Maius in hoc quiddam est, quam quo sibi gestiat hos-
Maius & Heroo numine numen habet. (tes,
Tu diuine fauor, cœlestis flamma parentis
Magnanimi comples pectora celsa Ducis,
Quod toties castis precibus votisq; petiuit,
Per te donatum gratia missa dedit,
Eius vt in solo fortis constantia Christo
Non dubitet firma ferre suprema fide.
Quantus in illustri quondam Iesside fuisti,
Externos terret cum pius exul agros,
Quantum etiam sensit fraterna venditus ira,
Cum regeret Pharij pectora cœca Ducis,
Quiq; manum exposuit regi sua fata notantem
Perdere Marmaricæ quem timuêre feræ,
Tantus in hoc etiam voluisti Heroe videri,
Omnibus exemplo solus vt ille foret,

Namq;

Namq́ tuo amplectens cœlestia dogmata nutu,
Ad cœlum recta dum studet ire via,
Nosse Deum atq́ uni constanter fidere Christo
Summum hominis didicit simplicis esse decus.
Inde Dei prognatus amor, quem pectore celso
Naturam penitus te renouante gerit.
Ardua diuino mens intus lumine fulgens
Noticiam veri scitq́ tenetq́ DEI,
Eius & obseruans casto mandata timore
Iudicio gaudet lucis amante frui,
Huic, & sponte volens & agendo prompta volun-
Adprobat ostensum constabilitq́ decus, (tas
Et quasi cum ducibus læto sub pectore nascens
Conspirat tacito fœdere cordis, amor,
Nec mora, purgato pulsis è corde procellis
Omne animi varij mobile vulgus abit.
Castra mouent rigidiq́ metus, tremuliq́ dolores,
Et quicquid turbæ gaudia spesq́ cient,
Succedit, nullosq́ timens constantia casus
Figit in excelso regna beata throno.
Hic sedet, hîc regnat, proprijs liberrima campis,
Propositi semper certa tenaxq́ sui.
Non leuibus curis, non vano obnoxia mundo
Sustinet officium deseruisse suum.
Non hanc ambitio regali splendida luxu,
Gloria nec populi fulta fauore mouet.

Diuin

Diuinis animosa bonis, dum cætera præstat
Quæ decet, à solo pendet alumna DEO.
Ergo animum certa magnum spirare quiete,
Victoremq; mali fortiter esse facit,
Ille per anfractus non ire veretur & vndas,
Ille domat spretis fata maligna minis.
Vincit amore Dei, minor est qui viribus Heros,
Omnia victor habet, qui scit amare Deum.
Hinc trahit hæc certas virtus pulcherrima causas
Quæ semper constans in grauitate sua est. (sas,
Sic vbi vox grauior mediam summamq; gubernat,
Dulcibus exactis consonat ordo modis.
Et similis series sibi carminis vndiq; nunquam
Displicet, assiduò sed repetita placet.
Quantum hoc esse putas mundi vesana potestas
Quæ nimium, proprijs viribus ausa, sapis?
Pectore vir magnus, maior pietatis amore,
Et tantum causſæ simplicitate nocens,
Principis in duram victoris traditus iram
Iam longo exilium tempore captus agit,
Corpus & os reprimit vigili custodia cœtu,
Naufragij tabulis pascitur ipse suis.
Pro regno carcer, dubius pro nomine rumor
Obijcitur, culta pro pietate labor.
Quis memorat specie varias mendace figuras,
Oblatas animo nocte dieq; pio?

Ant

Aut illi oſtendit naturæ illuſor, vtrinq́
Et pœnam & laudis præmia falſa, Draco,
Et modo crudeli victoris imagine terret,
Nunc ampli varias exhibet orbis opes,
Parte alia ingenio mollis comitante voluptas
Ocia luxuriæ ſuadet opima ſequi,
Aut ventoſa tumens aſtuti gloria mundi
Blandidulo ſplendens obijcit ore decus.
Diſtrahit hinc animum magnorum gratia Regum,
Illic vis odij cœca latensq́ mouet,
Quid quoties turbant offenſam nubila mentem,
Percita quæ moto viſcere cordis eunt.
Vel quia ſollicitos monſtrat meditatio ciues,
Ante oculos quoties patria mœſta venit,
Aut dilecta animum ſubit & caſtiſſima coniunx
Proxima laudato quæ pietate viro eſt.
Hæc velut erepto lugubris coniuge turtur
Fortunam gemitu nocte die q́ dolet,
Aut docilis belli claras & pacis ad artes
Iam memori ſoboles ſe generoſa refert,
Nunc amiſſa ſtatus reuocant monumenta prioris,
Nunc patriæ gemitu vota ſoluta pio.
Verum alternanti diuino ſubuenit Oeſtro,
Qui mandata Dei reſpicit acer amor.
Vincit iter pietas, quod neſcit vincere virtus,
Eq́ iugo victrix palma minace viret,

Hoc tan-

Hoc tantum est, nullis vt sit memorabile Musis
Seu Latio, Graio seu iuuet ore loqui.
Ah misera & proprij Germania nescia fati,
Cur pateris tantum delituisse decus?
Cur cessant humilesq́ preces studiumq́ benignum,
Non silicem in celso pectore Cæsar habet,
Sistere pro tanto vadimonia principe debes,
Quo sapiens poteras tu sapiente frui.
Si nolis seruare pios, quid feceris illis
Robora qui præter, nil rationis amant?
At pius vt certè est, sic iura agnoscit, & optat
Non minus ac seipsum, te quoq́ pace frui.
Negligis ingentem thesaurum, & stulta cauendi
Dum mala non cernis, sponte capessis onus.
At venit externis hospes miratòr ab oris,
Et precium viso Saxone grande locat.
Sæpè aliquis veniens spectator acerbus & hostis,
Vidit vt Heroem factus amicus abit.
Ipse etiam cuius veniæ seruatur & iræ
Verba solet capto non inimica loqui.
Nec fertur, velut est Cæsar mitisq́ bonusq́,
Imperio tristes accumulare minas.
Tu facias æterne Deus, coniungat vtrumq́
Explorata pia cum grauitate fides.
Hæc ego diuini dum nuper amore fauoris
Imparibus iungo carmina facta modis,

Ecce volans vulgo rapidis reuolubilis alis
Lætitiam memorat nuncia fama nouam,
Liber ab excubijs, rediens à Cæsare Princeps,
Lætior in populo vox sonat vna, venit,
Audijt & celeri prima arripit obuia sensu,
Ingenui coniunx casta Sibylla Ducis.
O optata dies, careas formidine, dixit
Hoc vtinam felix nomen in omen eat.
Nec mora qui scriptis, & qui sermone probaret
Nuncius extemplo præsto fidelis erat.
Continuo lætos generoso in pectore motus
Concipit æternis fœmina digna bonis.
Missa recens aperit vitales littera fontes,
Certaq; in erecto gaudia corde mouet,
Qualis mane cadens herbis arentibus imber
Subuenit, & pressis rorida gutta rosis.
Qualis odor nardi fusumq; in tempora vinum,
Cum pigra discusso vena stupore redit.
Harmonica pendet ratione à principe vulgus,
Læticiæq; pares gaudet obire vices.
Alter in alterius placide sermone quiescens
Laudat, & assiduo prædicat ore Deum,
Iamq; iterum cultos spes pacis obambulat agros,
Lætius & sudans villicus omen habet.
Templa frequens celebrat coniuncti concio cœtus,
Æterno canitur laus animosa DEO.

Ipsi

Ipsa Astraea sibi redituros spirat honores
Hactenus erepto quæ fuit ægra Duce.
Tu quoq; iam melius populis plaudentibus audis
Amplaq; pro meritis nomina Cæsar habes.
Nam quoniam agnoscens generoso in principe rõa
Constantemq; fidem iusticiamq; probas. (bur,
Hæc tua te virtus mirandum prædicat orbi,
Teq; magis curæ nunciat esse DEO.
Germanas igitur mitissime respice sortes,
Natali gaudet Theutonis ora tuo,
Gaudet & imperio, modò sæui incendia belli
Sistat, & omnipotens auferat ista Deus.
Auferet, ingenuo tantum tu cede dolori,
Currentem à scopulo flecte minante ratem.
Vera dolens falsis reprehensa Ecclesia culpis,
Te tanto optatam vindice sperat opem.
Hanc præstabis opem, cum mentem noueris huius,
Qui cupit æterno nil nisi grata DEO.
Sed reget & patria bonitate iuuabit vtrumq;,
Omnia qui præsens scitq; videtq; Deus.
Ille suo vindex quo temperat omnia flatu,
Tempora captiuo prosperiora dedit.
Vtq; fide gaudet syncero è corde profecta,
Sic addicta sibi corda fidelis amat.
Nec solet adflictos more exercere Tyranni,
Sæpè grauem miseri sed dolet ille vicem.

Subuenit appreſſis, viresq́ vocantibus addens,
In medio euentum ſæpè dolore dedit.
Præcipuè cum poſcit opem mens certa fauoris,
Et verum in medio docta dolore loqui.
Tunc Deus inuictas gaudens effundere vires,
Promiſſiq́ memor ſe quoq́ maior adeſt,
Tunc mittit patrio viuum de pectore numen,
Quod munita nouo robore corda facit,
Teq́ adeo æterni dulcis ſpirator amoris
Perpetuò comitem fortibus eſſe facit,
Per te perpetuò quia ſtat ſua gloria verbo,
Dulce quod æterni prodit ab ore DEI,
Præſtò bonæ cauſſæ ſolita bonitate fuiſti,
Iuuiſti aſſidua vota ſoluta prece:
Et conſtante piam ſeruaſti in principe mentem,
E tenebris lucet viribus ille tuis.
Sic digitis carptus gaudes Amaranthe renaſci,
Sic preſſa ex ima palma reſurgis humo.
Suauius è medijs ſic ſpirant lilia ſpinis,
Gratior ex ipſis vepribus orta roſa eſt,
Ac velut irrigui propè riuum conſita fontis
Eminet vmbroſis arbor amœna comis.
Illam cum vigilans ſolertis cura coloni
Aſſidua lætam tractat & vrget ope,
Et cœli vigilem fouet aura benigna labore,
Fœcundumq́ bonus proſperat annus opus,

Tunc

Tunc decus & fructum cupido pulcherrima ruri
Reddit, & officium tale quotannis agit,
Sic vir iusticiæ docilis, veriq; sacerdos,
Diuina crescit fotus & auctus ope,
Irrigat hunc diues cœlestis gratia verbi,
Pastinat æterni plenior aura DEI.
Seruat pacta fides germano in fœdere Christi,
Hinc stabili pietas plena vigore venit.
Qua celebrem te mente Deus, quo carmine plau-
Ingenio ad laudes exiliente tuas? (dam
Ah minor est hominum, minor est facundia mundi
Nomina quam laudis prædicet vlla tuæ,
Astra Deo plaudant, in laudem erumpite cœli,
Huic laus in terris non satis vlla facit.
Ille bonus solus, miseris mitissimus vnus,
Dedita corda sibi deseruisse nequit.
Namq; memor recolo quando Heroina Sionis
Chara Deo, dubiam pressa putaret opem,
Testis es, Amides Solymæ verissime vates
Quid placido tristi dixerit ore DEVS.
Ore Sion querulo sic est formosa locuta,
Cum quærente Deum mœsta pauore foret,
Ergo reliquisti me tot mala dura ferentem,
Et memor adflictæ non es vt ante DEVS,
Huic Deus, an poterit curam deponere prolis
Vlla parens, partum non miserata suum?

Si tam dura tamen, tamq; implacabilis vlla est,
Vt possit sobilis non meminisse suæ,
Ipse tui nunquam mutabo oblitus amorem,
Tu dilecta mihi filia semper eris.
Ecce manu descripta mea tua mœnia seruo,
Vt firma incolumem te statione tegant,
Ecce oculis te gesto meis, mihi cuncta videnti
Proxima ceu nunc es, proxima semper eris.
Sic age & omnipotens naturæ & maxime rector,
In nobis digiti numine viue tui,
Mitte tui nobis patrium spiramen amoris,
Quod nos sub dextra seruet vbiq; tua.
Namq; per obscurum varijs mare voluimur Euris,
Et trahimus tremulam per fera monstra ratem.
Rector adest nautis, nauemq; gubernat eandem
Filius æterni, patris imago, DEI.
Sed vetat esse pigros, atq; otia inertia damnat,
Legitimo fungi quemq; labore probat.
Rete iubet tendi vasti per marmora Ponti,
Et bona coniuncto parta labore peti,
Hæc nostra est Argo, metam sudamus ad vnam,
Aurea qua posito munere palma vocat,
Et duce gaudemus tanto per cærula ferri
Turba libens iussis nauiculamur aquis,
Sed nimium segnes Domino nautæ sumus Argûs,
Nec sua ceu debet retia quisq; iacit.

Militiam

Militiam frangit ſegnis ſocordia noſtram,
Tu niſi præſidium ſpiritus alme feras,
Te ſpirante minas, ventos compeſcit & vndas,
Et nauem infractam per mare Chriſtus agit.
Te ſpirante Deum medijs agnoſcit in vndis,
Et grates animo diuite Petrus agit.
Te ſpirante animos, fortem propellimus Argo,
Officiumq́ pio pectore quisq́ facit.
Hei quæ fata mouent tantos violenta tumultus,
Quàm varijs titubant tempora noſtra malis?
Dum mundi immodicum delirat ſtulta ſenectus,
Dum ludit vitijs vita pudenda ſuis,
Quàm longa impendet fœdorum tela malorum,
Quàm cymba in dubio fluctuat iſta freto?
Exitium ſæui minitantur fulmina belli,
Dira ſerit paſſim funera mœſta lues,
His coniuncta fames, hominum truculenta Tyran-
Vim ſecum & mortis ſemina mille trahit. (nis,
Verſa retro paſſim ſignis natura tremendis
Et dolet, & finem cladibus eſſe negat.
Parce Deus vindex, iuſtam tibi mouimus iram,
Sed tamen admiſſi pœnitet eſſe reos.
Naue tua vehimur, proprio ſine robore vulgus,
Sed cui tu immitis non potes eſſe Deus,
Nam licet infirmi, licet vndiq́ ſimus inertes,
Gaudemus miſeris te tamen eſſe patrem.

Et gemitu memores culpam execramur acerbam
Esse tuæ mentis dulce velimus opus.
Ergo age dum sæui commoto turbine Ponti
Tempestas miseros prodigiosa premit.
Mitis ades nautis, dubium sulcantibus æquor,
Adijce remigio prospera vela tuo.
Te superet tantos Ecclesia vindice motus,
Militiæ serua dedita membra tuæ.
Vtq́ olim Lamyro sanctam lacerante Sionem
Te populi asserta est parua tuente manus,
Impia crudelis særeret cum bella Tyrannus
Marte petens Solymæ mœnia sancta plagæ.
Et viuos atro cæsorum sanguine vesci
Cogeret, & sparsa cæde repleret humum:
Tunc tua texisti cœtum mandata professum
Quamuis & numero, & robore paruus erat.
Scilicet vt nasci pura de virgine posset
Perdita qui nobis reddidit astra Deus,
Sic etiam tristes dum nobis vndiq́ casus
Humana excluſis dira minantur ope,
Sis memor et pacti, & quod nutrit pectora verbi,
Et tege consilij nos bonitate tui.
Colligę delectos æternæ ad gaudia vitæ,
Hæredes Guato quos cupis esse tuo.
Hos ita duc recto mandatæ in tramite vitæ,
Iusticiam vt studeant semper amare tuam,

Signifę-

Signiferumq́ tuum constantem Saxona serua,
Vt celebret nomen fortis vbiq́ tuum.
Immoderata Ducum moderare & pectora regum,
Officij cupiant vt meminisse sui,
Publica custodi tranquillæ tempora pacis,
Vox sonet vt verbi dulcis vbiq́ tui,
Hoc decus, hoc vnum nobis ne detrahe donum,
Vnde venit miseris dulcis & vna salus,
Iunge animos hominum, brutisq́ ignota ferisq́
Comprime, & à populis exige bella tuis.
Quasq́ sumus meriti mitissime contrahe pœnas,
Corrigat erratum triste paternus amor.
A miseris arce fluidæ contagia pestis,
Et prohibe diræ tempora macra famis.
Et cœtus defende pios, castamq́ iuuentam,
Qui veris complent pectora docta bonis,
Insidias arce procul execrabilis hostis,
Quo primo læsum plasma nocente sumus.
Tolle simultates, mentes inflecte superbas,
Omnia rodentis vim reprime inuidiæ.
Assuescant homines à falso auertere mentes,
Et studeat veri quisquis amare decus.
Deniq́ da magno vel quosuis pectore casus
Vincere, dum templi nos tegat ara tui.
Esse Deo curæ dum me scio, regna valete,
Hæc finis vitæ est caussaq́ sola meæ.

Iusta meres Domino quicunq; stipendia Christo,
Militiæ comitem quem iuuat esse piæ,
Discere silere Deo, castoq; obedire timore,
Nec iussas dubia mente remitte preces.
Sic te propitia gaudentem diriget aura,
Omnia vt optato fine beatus agas.

Finis Hymni ad Spiritum sanctum.


FINIS.

POEMATVM IOHANNIS STIGELII.

Liber II. Continens sacra.



IENAE.
EXCVDEBAT DONATUS Richtzenhain, & Thomas Rebart.
Anno M. D. LXVI.
Cum Gratia & Priuilegio ad sexennium.



ILLVSTRISSIMO PRINCIPI

ac D. D. Ioanni VVilhelmo, Duci Saxoniæ, Lantgrauio Thuringiæ, & Marchioni Misniæ S. Domino Clementissimo.



Illustrissime Princeps, Domine Clementissime. Sæpè cogitandū est scripturæ dictum quo Principes Dij nominātur. Ita enim scriptū est: Vos Dij estis. Etsi aūm Deus societatem sui nominis et honoris, creaturæ cōmunicat: tamen ob eam causam Principes Dij vocantur, quod videlicet diuinum munus in his terris gerunt, & loco Dei diuinam administrationem sustinent. Sicut enim Deus defendit, col-

ligit ſibi Eccleſiam inter homines mini-
ſterio ſui verbi, quam & protegit con-
tra inſultus Diaboli & mundi: & de-
lectatur eo vitæ curſu qui pietatis habet
& virtutum exercitia: Ita quoq; Ma-
giſtratui imponit curam defenſionis Ec-
cleſiæ ſuæ & cuſtodiam diſciplinæ. At-
que iſta duo præcipua ſunt officia pio-
rum Magiſtratuum, quorum admini-
ſtratione ad ipſum Deum proximè acce-
dunt. Quid autem dulcius dici poterat
hac verborum forma, qua Deus Prin-
cipes in ſocietatem ſui nominis cooptat,
quid efficacius admonere atque in offi-
cio retinere pios Principes poterat hac
ipſa appellatione, qua officium pij Ma-
giſtratus quaſi in tabula depicta pro-
ponitur? Econtra quid triſtius cogita-
ri aut dici poterat, quam magnam par-
tem Regum & Principum, adeo non
officium

officium præſtare, vt aduerſa quoque fronte mandato diuino repugnent. Dum vel crudelitatem exercent in pios cœtus, vel immanem viuendi licentiam coniunctam cum ſumma turpitudine, ſibi ſumunt. Cuius rei exempla omnibus ætatibus animaduerſa ſunt & hodie inter Pontificios præcipuè dominantur.

Quos tamen atroces pœnæ iuſto Dei iudicio ſæpè comitantur, vt multorum triſtes hiſtoriæ, quæ omnibus in recenti memoria ſunt, non obſcurè declarant. Quanto itaque rectius ii ſuum ſtudium Deo probant, qui in id præcipuè incumbunt, Principes, vt doctrina cœleſtis ſine corruptelis doceatur atque incorruptè ad poſteros tranſmittatur: atque etiam qui in ciuili hominum conſuetudine actiones omnes ad iuſticiæ examen vocant.

Illi sanè sunt commune bonum, & quod dicitur, nihil differunt tales Principes à bono patre. Talem autem esse Principem Tuam Cel. quæ puram de Deo doctrinam non tantum summo studio percepit, & assidua lectione adhuc quoque in sacrarum literarum commentarijs, robur Pietatis & agnitionis Dei sibi acquirit: Verum etiam omnes actiones suas parat & meditatur ad propagandam veram de Deo doctrinam & defensionem Ecclesiæ, quæ nunc reuera, vt cum Propheta loquar, dolores parturientis sustinet, omnibus est notissimum.

Addo etiam, quod secundum pietatem, præcipuum est in Principe decus, quod Iusticiam Tua Celsitudo exemplo maiorum, præcipuè autem illustrissimi

ſtriſſimi & laudatiſſimi patris, piæ & beatæ memoriæ, ſumma cum laude & nominis dignitate tuetur.

Eò etiam plus laudis meretur. Tua Celſitudo in aſſerenda vera de Deo doctrina, & arcendis atque exterminandis ex agro finibusq; Eccleſiæ erroribus & fanaticis multorum opinionibus: quò plus hodiè Diabolus ardens odio Dei & hominum, ſumma contentione & crebris tempeſtatibus, aſtuciæ et ſæuiciæ oppugnat facem doctriuæ cœleſtis, quam delere & extinguere conatur.

Sicut hodiè magno piorum luctu & ſummo Eccleſiæ detrimento, experimur quorundam leuitatem, eò impietatis deueniſſe, vt facilimè ſen-

tentias rectas & à vera Ecclesia, perpetuoq; piorum assensu comprobatas, mutent, & Protea agentes, vel ambitione vel lucri cupiditate, vel odio quoque vel amicorum persuasionibus, adducti corruptelas doctrinæ amplectantur atque audacter defendant. Ista enim quæ modo recensui atque spes, metus, amicorumq; illecebræ deijcere plerumq; atque deturbare pios de gradu Pietatis solent.

Quos Diaboli arietes quibus oppugnat muros Ecclesiæ, summo studio vitare & declinare ardenti inuocatione omnes pij debent, & coniungere pia vota, vt DEVS in tanto furore Diaboli & hominum, aliquod semen sanctum inter nos benignè conseruet.

Impendere

Impendere enim pœnas horrendas toti Europæ, & triſtes conuerſiones Eccleſiæ & imperiorum, euidentiſſima ſigna declarant. Vt verbi cauſſa, Contemptus doctrinæ cœleſtis, ſcelerum turpitudo & atrocitas, & prodigiorum quæ quotidie ferè accidunt varietas & aſſiduitas, de quibus vt hoc loco prolixius dicam, neceſſe non eſt.

Vnius tantum monſtri recordabor, quamuis creberrima Chaſmata & incendia cœli, quæ inuſitato more totum hoc quadriennium ſeſe terris oſtentarunt, nobis incutere pauorem & ad pœnitentiam nos flectere debeant.

Ante biennium menſe Februario, natum eſt monſtrum, in Thuringiæ pago, Daguico, eiuſmodi: Caput erat

præter morem acuminatum seu Tersiticum carens oculis, auribus et ore, reliqua membra corpus integra, sine tamen manibus & pedibus : In brachys autem vtrinq; tubera grandia prominebant.

Cuius significatio obscura esse non potest. Equidem iudico tali capite portendi rationis humanæ acumen altè sapientis, sed cœcam in rebus Spiritualibus. Igitur non videt, nec audit, nec loquitur ea quæ sunt Dei.

Quatuor autem tuberculis existimo ostendi quatuor præcipuos errores, qui nunc passim grassantur, & Ecclesiã Dei adfligunt. Inter quos Synergismus & Caluinismus præcipuè dominantur. Manuum autem & pedum carentiam, inutilem conatum defensionis aut declinationis

nationis pœnarum, quas Deus propter peccata Germaniæ immittit. Sed hæc & alia accuratius dicuntur in libris prodigiorum.

Nunc Illuſtriſſime Princeps hunc Librum ſacrorum Poëmatũ Celeberrimi Poetæ Iohannis Stigelij, piæ memoriæ, Tuæ Celſitudini pio ſtudio dedicare volui: potiſſimum ob eam cauſam, vt Tua Cel. cuius, munificentia Stigelius in Academijs primum VVittebergenſi, deinde quoq; Ienenſi docẽdi munere functus eſt, caperet quendam fructum munificentiæ legendo optimos verſus, qui ſicut omnium admirationem merentur, coniunctam cum præcipua quadam vtilitate in Eccleſiam Dei & Scholas: ita quoq; præſtantiſſ. Poetæ fama ad Tuæ Cel. nominis ſplendorem, nonnihil momenti allatura eſt.

Deinde

Deinde quoque vt Tua Cel. pro ſua pietate & χρυσόστομι benignè opem ferat ipſius relictis orphanis, quos dura premit egeſtas.

Tuam Cel. commendo æterno patri D. N. I. C. quam ardentibus votis oro, Vt T. C. mentem S. S. regat ad nominis ſui gloriam, & ditionis vniuerſæ commodum. Datæ Vinariæ in die Egidij. Anno 1566.

T. C.

Humiliter
Deditus

Iobus Fincelius D.

PAVLI

PAVLI CHERLERI ELSTERBVRGENSIS epigramma, ſcriptum in ſacra poemata IOHANNIS STIGELII.

Accipe STIGELII Lector pia candide vatis
Carmina, FINCELIO quæ modò dante legis.
RES & VERBA vide: res largo in carmine magnas
Continet: & rebus dat ſua verba ſuis.
Vix poſuit verſum multis in millibus unum,
Qui te non aliquid forte docere queat.
Hoc igitur Lege Lector opus: ſic ipſe videbis,
STIGELIVM fructu non pereunte legi.

IN

IN POEMATA CLARISSIMI viri D. Iohannis Stigelij, Poetarum Principis, Epigramma.

ASpice Stigelij diuina poëmata vatis
Quisquis es Aonij pars studiosa chori.
Quæsitum toties opus, & tàm sæpè petitum,
Quodq́ erat in votis nocte dieq́ tuis,
Accipe: Fincelius Medicinæ Doctor Iobus
Dum dedit hoc doctis non sine laude typis.
Nec te pœniteat paruos expendere sumptus,
Exiguo magnas ære parabis opes.
Nam non hîc lusus, neq́ res tractantur inanes,
Aut quæ lectori forte nocere queant.
Addita sed grauibus verborum pondera rebus,
Doctrinamq́ aliquam syllaba quæq́ tenet.
Nil est hîc mentem quod nõ delectet honestam,
Nil hîc quod studijs vtile non sit habes.
Singula plena Dei sunt carmina, singula multum
Doctrinæ veræ relligionis habent.

Proponunt

Proponuntq́ simul præcepta ſalubria vitæ,
Ac magnas mira res breuitate docent.
Ergo Stigelij diuina poemata vatis.
Perlege, qui ſtudio nobiliore vacas.
Fincelioq́ pio, tibi qui dedit iſta legenda,
Pro tali grates ſedulitate refer.

Bartholomæus
Hubenerus.

DISTICHA IN EVANGELIA DOMINICALIA per integrum annum.

Natiuitas Christi Lucæ 2.

NAscitur in mũdi promissus gaudia Christus;
Cæpit ab hoc vno vindice nostra salus.

Ioan. 1.

Mente DEI genitus, sed cum patre filius idem,
Fit sacra pro nobis victima, natus homo.

Circumcisio Lucæ 2.

Seminis & pacis confirmat fœdera Christus,
Præcisus veteris legis honore puer.

Epiphania Matth. 2.


Tentata est ferro vix nati infantia Christi,
Cur pigeat duram nos quoq; ferre crucem.

Dominica I. Lucæ 2.

Ecce puer vincit tumidos ratione Sophistas,
Omnia victor habet cui puer iste fauet.

Dominica II. Ioannis 2.

Lætitiæ Christus dignatus adesse iugali;
Esse sibi curæ tale probauit opus.



DISTICHA IN EVANGELIA DOMINICALIA per integrum annum.

Natiuitas Christi Lucæ 2.

NAscitur in mũdi promissus gaudia Christus;
Cæpit ab hoc vno vindice nostra salus.

Ioan. 1.

Mente DEI genitus, sed cum patre filius idem,
Fit sacra pro nobis victima, natus homo.

Circumcisio Lucæ 2.

Seminis & pacis confirmat fœdera Christus,
Præcisus veteris legis honore puer.

Epiphania Matth. 2.

Tentata est ferro vix nati infantia Christi,
Cur pigeat duram nos quoq; ferre crucem.

Dominica I. Lucæ 2.

Ecce puer vincit tumidos ratione Sophistas,
Omnia victor habet cui puer iste fauet.

Dominica II. Ioannis 2.

Lætitiæ Christus dignatus adesse iugali;
Esse sibi curæ tale probauit opus.

Dominica III. Matth. 8.

Approbat exemplum fidente in milite Christus,
Ah quantum est vni fidere posse Deo.

Dominica IIII. Matth. 8.

Vt scapha parua notis Ecclesia fertur & vndis,
Sed sibi fidentem seruat vbiq; Deus.

Dominica V. Matth. 13.

Quotidie infelix lolium se frugibus addit,
Adsere tu messem Christe benigne tuam.

Septuagesima Matth. 20.

Ante DEVM electi, (gratis namq; omnia donat)
Vltimus & primus sunt in honore pares.

Sexagesima Lucæ 8.

Larga Deus spargit diuini semina verbi,
Felix qui retinet talia cordis ager.

Quinquag. Lucæ 18.

Cernere quem mundi nescit sapientia, cæcus
Agnoscit sola te bone Christe fide.

Inuocauit Matth. 4.

Victor ab infesto tentatur Dæmone Christus,
Omnibus in Christo vincitur ille pijs.

Reminiscere Matth. 15.

Exemplum fidei probat in Cananæide Christus,
I nunc, & dubitans quære placere Deo.

Oculi Lucæ 11.

Redditur

Redditur eloquium muto, sed ridet Apella,
Felix qui agnoscit facta stupenda Dei.

Lætare Ioannis 6.

Quotidie augusto qui consecrat omnia nutu,
Pane cibat modico millia quinq; Deus.

Iudica Ioannis 8.

Impius accusat te Christe furoris Apella,
E heu quam mundo est res peregrina Deus.

Palma. Matth. 21.

Ecce venit pompa promissus simplice Christus,
Nam cupit hic solo cordis honore coli.

Die Parasceues.

Vulnera, flagra, crucem, pro nobis Christe tulisti,
Tu mihi fidenti tempore mortis ades.

Pascat. Lucæ 24.

Abolita victor rediuiuus morte triumphat,
Parta redit miseris, gratia, vita, salus.

Dominica I. Ioan. 20.

Das mandata tuis, Das vires Christe docendi,
Da valeant firma pectora nostra fide.

Dominica II. Ioan. 10.

Semper vbiq; sonet pastori gratia Christo,
Ille sua miseras morte redemit oues.

Dominica III. Ioan. 16.

Discite iusticiam, & regnum venerabile Christi,
Ferte crucem, vincit sub cruce vera fides.

Dominica IIII. Ioan. 16.

Promittit Christus spirabile numen ab alto,
Capturus regnum spirituale DEVS.

Dominica V. Ioan. 16.

Ah miser ad Dominum quicunq; orare recusat,
Qui petit in Christi nomine, cuncta feret.

Ascensio. Domini Marci 16.

Discipulos Christus saluandum mittit in orbem,
Inq; patris rediens pergit ad astra sinum.

Dominica VI. Ioan. 16.

Spiritus ingrati promittitur arbiter orbis,
O DEVS adflatu nos rege sancte tuo.

Pentecostes. Ioan. 14.

Cordibus infusum spirabile numen ab alto,
In Christo renoua pectora nostra DEO.

Feria 2. Ioan. 3.

In nos tantus amor diuini & cura parentis,
Pro nobis natum tradidit ipse suum.

Feria 3. Ioan. 10.

Pastor oues Christus custodit, cedite fures,
Ille aditum ad veri præbet ouile DEI.

Dominica Trinitatis Ioan. 3.

Nemo petit cœlum nisi per te Christe redemptus,
A te vera salus, non aliunde venit.

Dominica I. post Trini. Lucæ 16.

Impietà

Impietas ſoluit ſecuro in aluite pœnas,
I nunc & ſummum quære Epicure bonum.

Dominica II. Lucæ 14.

Omnibus offertur diuinæ gratia Cœnæ,
Ah miſer hic animi quem iuuat eſſe pigrum?

Dominica III. Lucæ 15.

Tanta DEI bonitas infirmos ſuſcipit vltrò
Per Chriſtum veniam, qui reſipiſcit, habet.

Dominica IIII. Lucæ 6.

Ipſe trabem ignorans feſtucam carpis amici,
Pectoris ô quantum eſt vlcera noſſe tui.

Dominica V. Lucæ 5.

Chriſte doces populum mox retia piſcibus imples,
Vis prius agnoſci, cætera deinde dabis.

Dominica VI. Matth. 5.

Chriſtus ab interno pietatem corde requirit,
Cultibus externis nil pietatis ineſt.

Dominica VII. Marc. 8

Pane cibat modico denſæ longa agmina plebis,
Omnia qui larga donat, & auget ope.

Dominica VIII. Matth. 7.

Sæpe lupum occultat qui pelle incedit ouili,
Fructibus eſt omnis vita probanda ſuis.

Dominica IX. Lucæ 16.

Comparat œconomus male partis rebus amicos,
Rectius hic, alios qui pietate iuuat.

Dominica X. Lucæ 19.

Institor eijcitur, Solymæ flet funera Christus,
Supplicium ante pedes impius omnis habet.

Dominica XI. Lucæ 18.

Inuenit hic veniam, qui agnoscit, fidit, & orat,
Iusticiam extollis quid Pharisæe tuam.

Dominica XII. Marc. 7.

Dum sensus surdo, dum vox est reddita muto,
Declarant verbis addita signa DEVM.

Dominica XIII. Lucæ 10.

Prima Deo pietas debetur, proxima fratri,
Sic Samarita tuam sentit egenus opem.

Dominica XIIII. Lucæ 17.

Vnus agit grates, lepra bis quinq; leuantur,
Ah quantum humana est in ratione mali?

Dominica XV. Matth. 6.

Difficile est Dominis pariter seruire duobus,
Fide DEO, & curis cætera liber age.

Dominica XVI. Lucæ 7.

Sponte Deus viduæ redituum reddit alumnum,
Et dubitat quisquàm velle iuuare DEVM.

Dominica XVII. Lucæ 14.

Luce sacra Christus sanans intercutis ægrum,
Quæ bona sint ferijs non prohibenda docet.

Domini-

Dominica XVIII. Matth. 22.

Lege tumens, sed legis iners, stolidusq; Sophista
Conuictus Christo vera monente tacet.

Dominica XIX. Matth. 9.

Restituis verbo membris dum Christe solutum,
Non sentit sapiens, sed pia turba DEVM.

Dominica XX. Matth. 22.

Sponsus ad instructas ciues vocat vndiq; mensas,
Infelix tardo quem iuuat ire pede.

Dominica XXI. Ioan. 4.

Credenti Satrapæ moribundum seruat alumnum,
Et firmat dubiam Christus amore fidem.

Dominica XXII. Matth. 18.

Cui veniam dederat Dominus fit seruus iniquus,
Des alijs veniam quàm cupis esse tibi.

Dominica XXIII. Matth. 22.

Ius quid in ambiguo Pharisæi quæritis ære?
Sunt sua principibus, sunt sua danda Deo.

Dominica XXIIII. Matth. 9.

Plena fide accipitur tacto muliercula Christo,
Sola Deo acceptos nos facit esse fides.

Dominica XXV. Matth. 24.

Qui sua degeneri prædicis funera mundo,
Vere Deus populum suscipe Christe tuum.

Aduentus Matth. 21.

Ecce venit vili Rex regum vectus asello,
Victor is ô quantus, quando redibit, erit?

II. Lucæ 21.

Signa refert Christus mundi tractura ruinam,
Tempus adest lætum tollite quisq; caput.

III. Matth. 11.

Dum sua Iohanni miracula nunciat, ipsum
Se quoq; Messiam Christus adesse docet.

IIII. Ioan. 1.

Pectore non dubio Christum Baptista professus
In Christo audendum fortiter esse docet.

PERIOCHA

PERIOCHÆ EVANGELIORVM

Dominicalium, Epigrammatis conſcriptæ à D. Ioanne Stigelio.

IN EVANGELIVM: DOMINICA I. ADVENtus. Matth. 21. De ingreſſu Chriſti in Hieruſalem.



Ngreditur Solymam Rex regũ maximus Vrbem,
A cuius pendent omnia regna manu.
Veſte ſed haud picta, nec fuluo ſplendet in auro,
Nec vehitur niuei tergore celſus equi.
Verum humilis veniens, pandoq́ inuectus aſello,
Meſſiam populi ſe docet eſſe ſui.
Agnoſcunt Dominũ plebs, & cõtempta iuuentus,
Atq́ illi grata carmina voce canunt.
Interea auertunt oculos, ceu vana videntes,
Qui ſapere antè alios ſe grauiora putant.

Scilicet hæc forma eſt regni, hæc regalis imago,
In populo Chriſtus quod cupit eſſe ſuo.
Non amat externi ſplendorem Criſtus honoris,
Eſſe ſua in caſto pectore regna cupit.
Ille hominum adſertor, mortis proſtrator, ab ipſo
Attulit amiſſo qui patre miſſus opem.
Vult ſpectari animo tantum, vult ſimplice cultu,
Et ſua veraci dogmata voce ſerit.
Hei mihi, quã paucis curæ hoc agnoſcere regnũ eſt,
Dum niſi quod ſplendet nemo ſalubre putat.
Ac velut à ſenibus puerorum infirmior ætas,
Vt rudis, haud magni cur reputetur, habet:
Sic ſemper paruo languens Eccleſia cœtu,
Ludibrio populis pluribus eſſe ſolet.
Sed tamẽ hãc ſeruat Chriſtus rex ſummus, et vnus
Membra nec imperij deſerit illa ſui.

DOMINICA II. ADuentus, Luçæ 21.

QVi tecum reputas hæc verba grauiſſ
Chriſti,
Et reputas æui quæ ſit imago tui.
Ecquid & ante oculos ſupremæ ſigna ruinæ,
Ecquid & ante oculos vltima fata vides

Nam qualis miſeri, quæ conturbatio mundi,
Ordine nam rerum eſt quis pereunte ſtatus?
Iam toties nigrum tectum ferrugine ſolem
Vidimus offenſi ſigna dediſſe DEi.
Vidimus & rutilo flammantes crine cometas,
Arguere è cœlo funera, bella, famem.
Ardentesq́; faces, atq́; aſtra cadentia cœlo,
Sæpeq́; non ſolito fulmina miſſa ſono.
Vidimus & plures velut vni illudere Soles,
Bellaq́; ſignorum per ſimulachra geri.
Nec fruſtra innumero ſtipatur milite cœlum,
Motibus inſolitis quaſſa fatiſcit humus.
Hei referam mores, Vitioſæ & crimina vitæ,
Deficiet longus plurima verba dies.
Ecce premunt diro ſæui nos milite Turcæ,
Cædibus & miſeros hîc & vbiq́; metunt.
At quanta Heroum ſubijt trepidatio mentes,
Qui ſibi fœmineo pene pauore timent.
Anxietas populum, vexat diſcordia reges,
Flagrat vbiq́; dolor, flagrat vbiq́; dolus.
Omnia ceu longè facta & tranſacta videntur,
Quæ debent ſummum facta notare diem.
Ergò dies aderit, quo tu ſanctiſsime Chriſte
Aduenies tituli celſus honore tui.
Concita ſpirituum circũ tuba quando volantum,
Terribilem reddet, lætificumq́; ſonum.

Ipſe

Ipſe triumphanti ſimilis, ſuper aëra Iudex
Pro meritis tribues præmia cuiq; ſuis.
Da Deus, vt memores capita attollamus, & ad te
Supplice ſiſtamus voce, fideq; gradum.
Nè ſecura ſuæ deprendas corda ſalutis,
Et meritas pœnas impia vita luat.
Sed tibi in occurſum rapiamur pectore toto,
Æternos tecum turba futura dies.

DOMINICA III.

Aduentus. Euang. Matth. 2.

Miſſi diſcipuli â Ioanne ad Chriſtum.

NOn ignara gerens præſentis pectora Chr
Hic Zachariades, quis ſit, et vndè, ro
Sed quia magnifico Chriſtum ſplendore puta
Capturum tituli regia ſceptra ſui.
Iccircò vt Chriſto confirmarentur ab ipſo,
Narrarentq; alijs, miſſus vterq; fuit.
Regnum Chriſti. *At Deus ignaros placido ſic excipit ore,*
Oſtendens regni munera vera ſui.
Abſterſa recipit cæcus caligine viſum,
Progreditur rectè qui modò claudus era
Incurabilibus mundantur corpora morbis,
Purgata ſurdus percipit aure ſonos.

Nunciaq; adflicti promissæ læta salutis
Accipiunt, lumen lucet in orbe nouum.
Hæc quoniam auditis, fieriq; videtis, ad illum
Quale meum regnum sit, referatis, ait.
Ergò viam ad Christũ voluit monstrare Ioannes,
Quo sine consequitur nemo salutis opem.
Qui se demittens adflictum venit in orbem,
Iusticia vt renouet pectora nostra nouã:
Hucmiseris monstrate viam, quicunq; docetis,
Perpetua obtingat qua ratione salus.

Officiu
præcon

DOMINICA IIII.

Aduentus: Euang. Ioann. 1.

Testimonium & vocatio Ioannis.

Pontifices titulis, sceptroq; potente superbi,
Sanguine Iudææ gens animosa domus,
Cui Christũ graue ferre Deũ, dum splendida cæcã
Sub duce Messia regna futura putant.
Ausa sacrum iuuenem precibus tentare, minisq;,
Dum per legatos, quis sit, & vnde, rogat.
Et quia erat generis claris natalibus ortus,
Hunc sibi quẽ Christus mallet habere Ducem.
Ipse verecundo responsa dat integer ore,
Exigit officij quæ pia causa sui.

Sic,

Sic, ô sic, quibus est donatum agnoscere Christum,
Syncero officium corde probate DEo.
Nec vos fucatæ seducant toxica linguæ,
Nec frangant vllæ pectora vestra minæ.
Heu valeant leges, valeant regna omnia mundi,
Cum seruire tibi lex iubet, alme DEus.

EVANGELIVM
Natiuitatis Christi.
Lucæ 2.

Omnia dum strepitu resonãt impleta potentũ,
Occupat hospitij dum sibi quisq; locum:
Nascitur hyberno Messias tempore Christus,
Quòq; queat nasci, vix habet ille locum.
Sic quantas hyemes contempta Ecclesia perfert,
Dum certum vasto vix tenet orbe locum.
Sed tamen ignari coguntur cedere Christo,
Qui mundi hoc habitant desidis hospitium.
Nascitur optato Messias tempore Christus,
Nascitur extincta viuida morte salus.
Talia gauiso memorantes nuncia mundo,
Angelici resonant carmina blanda soni.
Nascitur, & vitam Christus mortalibus offert,
Æternæ dederat quos sua culpa neci.

Ille

Ille DEum humano generi placabit, & vltrò
Eripiet cœcis pectora mersa malis.
Et dabit afflictis veram sperare salutem,
Asseret & vera corda probata fide.
Iusta DEi summas transcendet gloria nubes,
Verus & in populis vndiq; cultus erit.
Agnoscens tranquilla DEum pacata quiescet
Mens hominum, & studio dedita pacis erit.
Vnanimes iunget populos syncera voluntas,
Facta patri vero grata timore DEo.
At non hæc illis, quos aut fortuna potentes,
Aut sacer in speciem subleuat ordo, canum.
Talia sed memorant pastorum nuncia turbæ,
Qui curant vigili pascua læta fide.
Primi illi nati memorant Encomia Christi,
Et spargunt grato nuncia læta sono.
Sic Christo vigilare decet, vigilantibus ille
Destructor mortis mitis adesse solet.
Ingrediens aures diuini concio verbi,
Immotum debet corde tenere locum.
At quibus infesto torpet mens ægra veterno,
Nunciaq; ad tanti muneris auris habet,
Illi abeant Papæ comites, cæcisq; Tyrannis,
Et pœnas culpæ quas meruere luant.
Nos memori grates agimus tibi pectore Christe,
Officij memores nos tueare DEus.

Præsepe

PRAESEPE
Christi.

VT placuit præsepe DEO, non alta columnis
Regia, non auro clara micante domus,
Quæ sua nascenti præbens cunabula Christo,
Exciperet summo gaudia plena bono.
Sic & adhuc aliquod semper præsepe tuetur,
Præbeat hospitij quod tibi Christe locum.
Exul in orbe dolens, Ecclesia sparsa vagatur,
Et benè vix tituli nomen inane gerit.
Tu tamen huic curas tutum præsepe vaganti,
Et pessum adflictam non sinis ire Deus.
Sed veluti Oceani medijs agitata procellis
Asseritur nutu lassa carina tuo:
Sic tua seruat idem patrio præsepe fauore,
Quæ comes est verbo gratia iuncta tuo.
Ergò nec hoc prisco vis vlla attriuit in æuo,
Tempore nec poterit nostro abolere furor.
Quantumuis odijs hinc arma, hinc iurgia gliscant,
Certus erit rectis semper in orbe locus.
Nam quia natus homo est, hominẽ natura volentẽ
Ducit, vt auertat nostra pericla, Deum.
Et quoniã omnipotẽs Deus est, nos seruat, amatq;
Quos regnò adseruit membra renata suo.

Hucc

Huc ades Emanuel, tecum præsepe prementes
Nos agè fraterno mitis amore tege.
Hoc ego munitus mandato munere fungor
Euentum auxilio Christe relinquo tuo.

IN AVRORA
Natalis Christi.

PRospera lux oritur, qua numine læta fauenti
Infantem gestat casta puella Deum.
Natus homo nobis, qui nostros induit artus,
Vt miseros dulci nos releuaret ope.
Ille nisi nostra vestitus carne fuisset,
Mors æterna hominum perderet omne genus.
Ergò agè sancte puer, frater dulcissime Christe,
Qui decus inuicti vindicis vnus habes:
Victor ab æternæ nos adsere carcere mortis,
Adsere nos regno membra redempta tuo.

IN DIE INNOCEN-
tium. Euangelium Matth. 2.

IMpius è medio Christum quo tollat Herodes,
Sustinet infantum cæde lauare manus.
Sic etiam à rabidis Ecclesia pressa Tyrannis
Tristis, & exitio proxima sæpè iacet.

Cum furere incipiunt, sunt Dæmonis organa reges,
Impietas quorum pectora cæca trahit.
Sed velut effugiens crudelia funera Christus,
Enseq́ quæsitus tutus Herodis abit:
Tota perit sæuis sic nunquàm Ecclesia damnis,
Parte sui semper sed meliore manet.
O felix, omnes qui Christi nomine casus,
Ferre animo nusquàm deficiente potest.
Ille suæ iustos referet virtutis honores,
Inq́ sinu Christi præmia iusta feret.

DOMINICA PRIma post Epiphaniæ, Lucæ 2.

Christus in Templo.

ANxia sollicitos affligit cura parentes,
Dum puerum dubio quærit vterq́ metu:
Ille sedens inter studium sublime professos,
Et rogat & docto diluit ore sophos.
Scilicet hac causa cœlo descenderet alto,
Vt patris exigeret iussa verenda sui.
Ergo abit, & potius diuino inseruit honori,
Gloria cui soli cedit & omnis amor.
Cum vocat officium, quod vox diuina requirit,
Cedat amor, mundo qui iubet esse pius.

Sed

Sed tamen imperium agnoſcens & iura parentum
Quatenus id debet paret vtrique puer,
Proficit ingenio, doctrina & moribus auctus,
Ante homines pariter gratus & ante Deum.
Huius ad exemplum ſocij ſtipendia lecti,
Coniugij ſoboles erudienda fuit.
Vtilis hæc mundo, grata hæc Reſpub. Chriſto,
Conſita quæ tali ſemine nomen habet.
Cur tamen in templo reperiri gaudet, & illis
Tot parit exhauſtis tædia longa vijs?
Quicunq; amiſſum ploras in pectore Chriſtum,
Non opus in medias ire redire vias.
Quærenda in ſolo Chriſto veſtigia verbo,
Hic reddi adflictis mentibus ille cupit.

DOMINICA II.
poſt Epiphaniæ, Ioan. 2.

Læticiæ præſens dignatus adeſſe iugali,
Coniugij Chriſtus vincula ſancta probat,
Quinetiam menſas donis regalibus ornat,
Dum vina è liquidis dulcia reddit aquis.
I nunc qui vita conſumis cœlibe corpus,
Quod placeat Chriſto viuere diſce genus.

Cur tamen humana matrem pietate monentem
Increpat, & tecum quid mihi Chriſtus ait.
Non illum impediant vel cari iura parentis,
Tradita cui ſancti cura miniſterij eſt.
Vt tamen hæc dicto non abſterretur acerbo,
Sed iubet illius iuſſa verenda ſequi:
Omnia ſic tandem ſuperando tædia vincit
In dubijs rebus non dubitata fides.
Nec quia mater erat, mater chariſsima Chriſto,
Sed quia plena fide facta beata fuit.
Hoc opus, hic labor eſt, reſipicere, credere, Chri-
Non aliud quærit conciliandus opus. *ſtus*

Dominica tertia deficit.

DOMINICA IIII.
poſt Epiphaniæ, Matth. 8.

Chriſtus in naui dormiens.

NAue Deus vehitur turba cũ ſimplice Chriſtus,
Per mare, qua raptim ventus & vnda ruit.
Sic mundi inſanis fertur iactata procellis,
Parua Deo puram turba profeſſa fidem.
Exigua eſt nauis? trita rimoſa carina,
Hanc quatiunt varijs fata marina malis.

Cæca

Cæca tamen ſuperat commoti nubila ponti,
Dum curſum Chriſto vindice tuta tenet.
Imperat is ventis, & ſæuas temperat vndas,
Cuius ad inceſſum terra polusq; tremunt.
Et licet admiſſum videatur carpere ſomnum,
Naue tamen nunquàm dormit eunte Deus.
Interea exoſus pigra deſidis ocia vitæ
Nauigerum duci per mare rete iubet.
Capturamq; iuuans gaudensq; beare laborem
Piſcilegas ditat præda onerante plagas.
Hæc eſt militiæ nos exercentis imago,
Aurea dum noſter ſudat ad aſtra labor.
Irritus hic tamen eſt niſi Chriſtius nauiget vnà,
Reteq; ſperatis impleat ipſe bonis.
Hac quoq; ſcito vehi ſociam te naue Iuuentus,
Aſpirante petis quæ bona vera Deo.
Vtq; alijs vitæ felici munere proſis,
Proïcias Chriſto rete iubente tuum.
Ille gubernator te miti afflabit amore,
Vt referat facilis commoda mille labor.
Hoc ſocio quiſquis mandatum nauigat æquor,
Naufragium voti non facit ille ſui.

Dominica 5. deficit.

DOMINICA SEptuageſimæ, Matth. 20:

De conducente operarios in vineam ſuam.

Quantum mercedis primus, tantum vltimus (auſert,
Nec merito immeritus plusue minusue capit,
O quicunq; fide poteris adprehendere Chriſtum,
Quisquis es, ex æquo præmia iuſta feres.
Omnibus ex æquo contingent munera cœli,
Gratuitò in quibus eſt non dubitata fides.

DOMINICA SEXAgeſima, Lucæ 8.

De ſeminatore.

Eſſe Deo curæ mundano in turbine cætum,
Quem iuuat vnanimi noſſe timore Deum.
Hoc docet exemplum, medio de rure petitum,
Semina quod Chriſtus de iaciente refert.
Semine nil aliud niſi viuum intellige verbum,
Quod proprio largus ſpargit ab ore Deus.
Qui capit hoc ager eſt contrito in corde ſubactus,
Quem dolor expurgat lege fideq; timor.
Me miſerum quantis ager in me vepribus horret,
Qui purus Domino debuit eſſe ſuo.

Tu

Tu tamen huic aliquid genij melioris habenti,
Incrementa Deus multiplicata dabis.
Da cœptis fomenta meis, da largus habenti,
Da Deus adflatu ſim bona terra tuo.
Da granum Sinapis læto ſe frutice tollat,
Atq; tui patiens creſcat amore fides.
Et fructum placido ferat in commune labore,
Sic modo triſtis ager, mox paradiſus ero.
Chriſte meo lætum paradiſum in pectore planta,
Te ſine perpetuò ſum maledictus ager.

Aliter.

Suadeat vt paucis doctrinam adpindere Chriſti
Naturæ ratio ſemper amica ſuæ.
Non tamen affectu diuini munera verbi,
Non tamen hic fructu ſufficiente carent,
Eſt aliqua, & certa eſt, ſupereſt et vbiq; locorũ
Quæ colit vnanimi pectore turba Deum,
Hanc Deus exaudit, quo debet voce p̃cantem,
Dæmonicis peſſum nec ſinit ire dolis.
Quinetiam infirmos recipit, ſolitoq; fauore
Prouehit, vt regni ſint quoq; membra ſui.
Heu miſeros, propriæ quos inclinatio mentis,
Impulit vt Chriſti iuſſa colenda negant,
Felices, quicunq; ſuis pro viribus audent,
Adſerere æterni dogmata vera Dei.

DOMINICA QVIN-
quageſimæ, Lucæ 18.

Vlnera, flagra, crucem, rediuiuam à funere mortem
Vatidico Chriſtus nunciat ore Deus.
At quotus hæc docili bona nuncia mente recõdit?
Somniat affectus dum ſibi quiſq; ſuos.
Meſſiam regnis venturum opibusq; ſuperbum
In ſpes heu falſas credula turba putat.
Nec mens cæca videt molem qua preſſa laborat,
Dum culpæ innatæ pondera lenta trahit.
Eſſe et opus medico, vitia hæc qui morbida curet,
Et medicum hæc Chriſtũ qui leuet eſſe Deum.
Splendida quinetiam deridet vita potentum
Subiectos duræ quos videt eſſe cruci.
Nec putat eſſe tuum victrix Eccleſia vulgus,
Quod minimum ſeruat ſemper in orbe locum.
At pia mens morbos ſentit, Medicumq; repoſcit,
Et ſe non fruſtra plurima ferre videt.
Dum vitæ hoc trahimus quodcũq; cuiq; relictũ eſt
Dæmonis inſidijs obuia turba ſumus.
Voluimur ærumnis vt noſtram agnoſcere culpam,
Et petere admonita mente queamus opem.
Hanc nemo præſtare poteſt niſi Chriſtus, is vnus
A Stygio vindex liberat hoſte ſuos.

Hunc

Hunc oculis captus quo debet pectore cernit,
Et recipit visum non dubitante fide.
Nec refugit, dictis licet obiurgatus acerbis
Sed certam in dubio pectore poscit opem.
En iterũ videas quàm prõptus ad omnia Christus
Munera, quæ certa mens petit alta fide.
Sic precibus coniuncta fides sic omnia sumis,
Quæ petis à summo dona petenda Deo.
Implorare Deum, diuino credere verbo,
Hæc summam veræ res pietatis habet.
At non hunc ratio, non lex agnoscere cultum
Cœlitus hoc autem vis data sola potest.
Hanc precibus fideiq́ meæ largire benigne
Mi Deus, hic per se mens mea nil poterit.

DOMINICA INuocauit, Matth. 4.

Festus adest, & templa sonant ad templa ve-
Quem pia septena cõcio luce trahit. (nito,
Quæ tamen hunc dederit felix occasio morem,
Septima lux templis quò vacat omnis, habet:
Edita viuifico iam fecerat omnia verbo,
Censuit omnipotens quæ facienda Deus.
Septima lux aderat post nati exordia mundi
Fuderat vt senis omne diebus opus.

Hanc placuit iuſto metam ſtatuiſſe labori,
Hac placuit poſita grata labore quies.
Ergo ſuæ rediens rurſum in ſecreta quietis
Æternum numen ſe docet eſſe Deus.
Non quod ab omni operis prorſus ratione recedit,
Vt ſolet effectis rebus abire faber,
(Durat enim verbum, & totum durabit in æuum,
Quo rerum viuunt ſemina facta ſemel:)
Sed quia ſic hominem diuina fecerat arte,
Vt dici autoris poſſet imago Dei.
Numinis æterna voluit conſtare quiete,
Æternum in cœlo mentibus eſſe locum.
Inde diem hanc ſanxit doctrinæ, & iuſſit eandem
Dogma palam verbi dulce ſonare ſui.
Scilicet indicio eſt feſtiuæ hæc ſanctio lucis,
Mentem hominis nullo tempore poſſe mori.
Sed tandem meritæ reddendam è carcere mortis,
In regnum vitæ Chriſte beate tuæ.
Cur ita? num viuo patefactum agnoſcere verbo
Vox iubet æternum, patris imago, Deum.
At verbum æternũ eſt, hinc & celebratio verbi,
Officij debet ſine carere ſui.
Quæ nunc in terris ſonat, exercebitur olim
Præſentem in cœlo plenior ante Deum.
Sic docuêre patres hominum, ſic primus Adamus
Iſta ſi ſaperet luce docere velit,

Diceret

Diceret erga homines quæ ſit diuina voluntas,
Præſentem gaudens noſſe & amare Deum.
Et grates ageret dulces pro munere vitæ,
Quæ recta è terris ferret ad aſtra caput.
Sed tamen hoc etiam docuit, cum munus ad aram
Hic bonus, ille malus, frater vterq; tulit.
Exemplum amplexi ſitum tenuêre Nepotes
Manſit in hunc Pietas officioſa diem.
Acceptum ſeruat Chriſto gens dedita morem,
Quæ vaga corporibus mentibus vna manet.
Illa dedit Domini ſanctum de nomine nomen,
Qui Dominus mortis ſceptra paterna tenet.
Impia cur Domini ſeruis hanc Roma dicaſti,
Quæ Domino debet grata ſonare ſuo.
Tu vera obſcurans patefacti oracula Chriſti
Saluantem ſpolias laude & honore Deum.
Dum temerè affingis renuentibus omnia diuis,
Omnipotens ſolus quæ bona Chriſtus habet.
Conſcindis meritum, quo lapſos ille redemit,
Vt facias falſa relligione lucrum.
Confiſos dubitare doces, de ſanguine Chriſti
Corda renata pia, quo lauat ille fide.
Viribus humanis precium perſoluere culpæ
Quod nequeunt hominum pectora cœca iubes.
Interea captas & lucrum & regna per orbem,
Et regum indigno ſub pede colla premis.

Hos

Hos auerte Deus, Deus hos infringe furores,
Nomen & officium Chriſte tuere tuum.
Tu nos morte tua, tibi dum peccaſſe dolemus,
Aſſeris in vitæ gaudia vera tuæ.
Victor & aſcendens ſuper ardua ſidera cœli
Munera militiæ ſpargis opima tuæ.
Quinetiam ad dextram patris omnipotentis in alto
Sceptra tibi iuſta debita iure tenes.
Incolumesq; tegis regnoq; aſſumis auito
Iuſtifica dedunt qui tibi corda fide.
Nec ſatis hoc læſum ſolitus placare parentem
Pro genere humano ſtrennua vota facis.
Sic domitor mortis, ſic vitæ aſſertor & autor
Officium regis Pontificisq; facis.
Conſeruas precibus precioſa morte redemptos,
Nec finis è regno quenq; perire tuo.
A te vno pendet promiſſæ cauſſa ſalutis,
Ad vitam æternam te ſine nulla via eſt.
Vera tibi eſt vni meriti data gloria tanti
Cui nullum in rerum corpore ſeruit opus.
Hanc tibi nec genitor, nec quæ tua ſpirat, & eius
Viua tui verbi præcipit aura comes.
Sic placuit patri, cum vox Iordanis ad undam
Intonuit tali cœlitus iſta ſono,
Diſcite mortales domitorem agnoſcere mortis,
Filius è gremio mittitur ille meo.

Filius

Filius ille mihi est, in quo mihi plena voluptas,
Ille animi exponet sensa profunda mei.
Huic faciles præbete aures, audite docentem,
Præter eum in regnum est semita nulla meum.
En aures tibi Christe damus, tibi nostra premente
Ob scelus & culpam corda dolore gemunt.
Vnum te expetimus, te suspicamus ad vnum,
Quod facis exiguam tu cumulato fidem.
Fracta dolore animi, fidei sed viuida motu
In venia gaudent pectora nostra tua.
Ite procul quo pœna vocat, qui fingitis vnum
Ad cœlum, horrendo mille furore vias.
Nos sacram tibi Christe diem celebrare iuuabit,
Exemplo verbi vera monente tui.
Ergo dies Christum loca per deserta vagantem
Tentatum à Satana lux hodierna monet.

DOMINICA REminiscere, Matth. 15.

De muliercula Cananæa.

PLena fide mulier constanti pectore Christum
Sed tamen abiectis gentibus orta, rogat,
At quam non blandè, quàm duriter excipit illam
Qui tamen irasci nescit vbiq; Deus.

Illa

Illa tamen perſtat, contraq; audentius urget,
Obijciens ſola pectora firma fide.
Scilicet adpoſitis cenſetur vt ignibus aurum:
Sic in tentato iuſta dolore fides.
Tot nos quottidie cœlorum mille figuræ
Corripiunt, culpæ q̃ meminiſſe monent.
Sed nulli abripiat tam triſtis opinio mentem,
Indignum vt cura ſe putet eſſe DEI.
Non in te meritum, quod ſcit nihil eſſe, requirit,
Pectoris inquirit ſcrinia ſola DEVS.
Mente videre ſcelus nobis quod in omnibus hæret,
Contrito coram corde dolere DEO,
Et renouari animo, promiſſum agnoſcere Chriſtũ,
Credere & auxilij fortiter eſſe ſcopum,
Hæc aditum ratio cœlorum ad ſydera præbet,
Vera ſalus miſeris hac pietate venit.
Tale cor in tanta quærens Heroide Chriſtus,
Inuentam placido prædicat ore fidem.
Nemo animo dubitante cadat, Deus omnibus idem,
Qui faciunt pura vota preces q̃ fide.

Aliter.

Sic etiam ante tuos nunc Chriſte Eccleſia vultus,
Preſſa, fide nitens vt Cananæa iacet,
Et licet à mœſta procul eſſe puteris alumna,
Et ſibi terrigenæ quæq; licere putent.

Fisa tamen verbo, dubitarq; nescia, veram
A te, non alio vindice, sperat opem.
Cede procul fortuna potens, concedite fata,
Cuncta potens alto sub pede Christus habet.
Huic confisa duci, nullis cessura periclis,
Mens etiam in media vincere morte potest.

Dominica Oculi deficit.

DOMINICA LAE-
tare, Ioan. 6.

O Socij patrium quærendum ante omnia cœlũ,
Sic dabit & vitæ cõmoda cuncta Deus.
Hoc pbat hic Christus dum millia quinq; seq̃ntum
Quinq; fame expulsa panibus exaturat.
Commoda non desunt humana timentibus illum,
Qui facit & seruat quidquid hic orbis habet.
Est certè inter nos Deus, est largitor vbiq;,
Quocunq; aspicias omnia plena DEO.
Ille colit terras, ille irrigat imbribus agros,
Et fata de paucis millia multa facit,
Ille etiam brutis coruisq; vocantibus escam,
Ille creaturæ subleuat omne genus.
Sed tamen officium quod debet quisq; requirit,
Et cultum & grato qui venit ore timor.

Sic

Sic ſaturata vagos dum ducit in aëre gyros
Munifica grates cantat alauda Deo.
Quid quod ceu cupimus, quæ vitæ poſtulat vſus
Sic alios debet noſtra iuuare manus.
Nec ſit vita tenax nimium, nec prodiga prorſus,
Qui modus eſt inter mixtus vtrumq́ placet.
Quiſq́ datis norit rebus frugaliter vti,
Conijcit in varium prodiga vita ſcelus.
Incurrit dubiæ diſcrimina magna ſalutis,
Qui nimio luxu perdit Aſotus opes.
Inde iubet Chriſtus panum fragmenta reponi,
Seruet vt ad certam rectior vſus opem.
Quod ſi hic arcano fas eſt mihi ludere ſenſu,
Neſcio quid maius docta figura monet.
In nos diſtribuit doctrinæ munera Chriſtus
Perq́ manus alijs tradita ferre iubet.
Vtq́ capit fructum vernante colonus ab agro,
Ergà inopem vt paria diues abundet ope.
Præmia ſic aufert, alijs vt proſit abunde
Cœlica qui diſcit dogmata, quiq́ docet.
Hinc quaſi relliquiæ ſunt obſeruanda piorum
Facta, nec immemori dicta notanda manu.

Iudica deficit.

Palmarum vide I. Aduentus.

DE RE

DE RESVR-
rectione Christi.

ET iubar augusto tollit sol aureus ortu,
Et veniens oritur candida luce dies,
Certè hodie fama est sancti celebranda triumphi,
Quo Deus edomita morte reuixit homo.
Victorem agnoscis nitidi lux aurea cœli,
Cur hominum tenebris obruta corda rigent?
Cur aliquis dubius malè sano pectore Thomas
Quærit adhuc tanti signa probanda boni?
Mentibus infandas ô Christe absterge tenebras,
Lumineq; illustra pectora nostra tuo.
Vt veram tanta de maiestate salutem
Arripere assensu non dubitante queant.
Tu luce in medijs splendes viuente tenebris,
Inq; pijs medius cætibus esse soles.
Vtq; patrem immerita placasti victima cæde,
Vt veniæ offensi linqueret ira locum,
Ipse tuo quando deleta cruore sacerdos
Morte repurgasti crimina nostra tua:
Nunc quoq; sic vinclo fraterni immotus amoris
Pro genere humano vota preces q; facis,
Vtq; tuo nobis regnum cœleste triumpho
Donasti, rediens victor ad astra Deus,

Sic patris ad dextram regnum cõmune gubernans
Cum patre quo poſsis omnia ſolus habes.
Da meritis hærere tuis, da vincere morbum
Naturæ, & puro fidere corde tibi.
Ecce dolens culpæ ſub mole adflictus acerbæ,
Spiritus hic anima te ſitiente vocat.
Diſplicet ante actæ infelix petulantia vitæ,
Ah totis cupio viribus eſſe tuus.
Mors tua peccati domitrix, de morte triumphus
Inclitus, auxilij ſit mihi cauſa tui.
Tu mihi Rex, tantoq; potens in rege ſacerdos,
Me regno, & templo protege chriſte tuo.
Dum loquor ecce aſtans ſpolijs inſignis opimis,
Victor in illuſtri luce videndus adeſt.
Hinc mortis gerit exuuias, pellemq; Draconis,
Et ſecum omnipotens Tartara capta trahit.
Inde tenens victor latè vilorabile ſignum,
Militiæ oſtentat fortia geſta ſuæ.
Sub pedibus mors atra iacet, ſtimuloq; timendo
Orba, renitenti ſub cruce preſſa perit.
Mors ſalici exeſæ ſimilis, quam lenta vetuſtas
Rodit, & abſumens vermis auara terit.
Non illi ſuccum, non vires ſufficit humor,
Sed riget, & trunco turpis inerte iacet.
Nec melior fœdum ſeruat fortuna Draconem,
Humanum rabido qui petit ore genus:

Ille

Ille ingens quamuis & longis horridus alis,
Viribus infestus pugnat & arte potens:
Calce tamen pressus Christi victoris, adempto
Languida deficiens colla vigore trahit.
Sic quondam immoriens alta Crocodylus arena,
Exangui monstrum tergore turpe iacet.
Namq; auidus mellis, per syluas prædo silentes
Regna laborantum dum populatur apum.
Otiaq; æstiua captans saturatus in vmbra,
Ingestos ampla ruminat ore fauos.
Ecce luto inuoluens tergumq; caputq; pusillus
Vim pœna Ichneutes vindicis arte parat.
Atq; ita lorica veluti munitus, in ipsa
Inuolat excluso desidis ora metu,
Admissusq; imi corrodens ilia ventris,
Sæpè etiam rupto corpore victor abit.
Præsidium hoc misero donarunt numina ruri,
Prædonem ingentem bestia parua necat.
Sic humili specie formaq; inglorius ipsa,
Omnipotens alia: sed ratione DEVS.
Conficis horrendum Christe indeuicte Draconem,
Qui mundi inuictus viribus huius erat.
Ille furens lacero nequidquàm sibilat ore,
Supplicio æterno membra terenda trahit.
Cedite rodentis stimuli & tormenta doloris,
Iam Christo validum cor renouante gero.

Ille ſuo afflatu mea vota audentia firmans
Mundus in immundo me grauitate leuat.
Dat veniam in Gnato genitor, quiq; eſſe nequibã
Indulgentis amor me facit eſſe patris.
Ergo tuus meus eſt, meus eſt hic Chriſte triũphus,
Perpetuò quoniam te iuuat eſſe meum.
Deuicto refero tecum ſpolia ampla Dracone,
Iuſta tibi pulſa morte trophæa loco.
Figo venenatum firmos ſuper aſpida greſſus,
Trita per oppreſſi colla Draconis eo.
Sic agè ſic animo tecum fidente triumphem,
Sic fruar imperio maximè Chriſte tuo.
Quottidie abolita fac tecum morte reſurgam
Ex humeris pendens ſarcina grata tuis.

Dominica 1. 2. 3. poſt Paſcha deficiunt.

DOMINICA IIII.
poſt Paſchæ, Ioan. 16.

Non mũdana ſui quod ſint moderamina regni
Hic lingua Chriſtus vaticinante docet.
Ibo per immeritæ ſpontanea funera mortis,
Pro vobis vindex & mediator ero.
Sanctus at inſipidum damnabit ſpiritus orbem,
Reijciet reprobos, accipietq; pios.

Sic

Sic ait: O quantum est vni confidere Christo,
Nec meritis alijs velle placere Deo.

DOMINICA V.
post Paschæ, Ioan. 16.

VNdiq; dum feruent crudelibus omnia bellis,
Dum data p̃da minis hic & vbiq; sumus,
Complectenda animo fuerant hæc verba iubentis
Vt certam haud dubio corde petamus opem.
Hei pereant quicunq; iubent dubitare petentem,
Credenti est auris semper aperta Dei.
Hei miseros qui sic securi in tempora viuunt
Vt nunquàm adpellent supplice voce DEVM.
Quid querimur duræ subeundà pericula vitæ,
Qui p̃cibus facilem nouimus esse DEVM.
Orandum est, vitæq; modus melioris agendus,
Placari haud alia vult ratione Deus.

IN DIE ASCENsionis Domini, Marci 16.

HÆc tibi sacra dies, laudes tibi cantat & Hymnos,
O Deus, ô hominum Christe redemptor homo.

Qua te conſpicuo ſcandentem corpore nubes,
Militiæ vidit turba dicata tuæ.
Agnouitq; decus vitæ, quæ ſola beata eſt,
Quæ tecum æternum viuitur ante patrem.
Quam coram cupidos docuiſti à morte reuerſus,
Dum peragit lapſo tempore menſis iter.
O quantum geſtire datum eſt tunc mentib. ægris,
Quos tenuit verbi ſpes diuturna tui?
Cum coram potiut redituum audire docentem,
A monitis pendens concio ſancta tuis.
Cum tecum ex imis patrum ſubuecta ſepulchris,
Concilium ſeries conſtitit ante tuum.
Cum tua nota memor luſtrans veſtigia cœtus,
Optauit plantis oſcula ferre tuis.
Atq; aliquis ſpectans ſummi templa intima cœli,
Eſt ſibi ſydereos viſus adire thronos.
Agmina ſpirituum qua luce decora volantum,
Æterni obſeruant ora ſerena DEI.
Felices animas, iam tum quas candida fecit,
Promiſſi dociles muneris eſſe fides.
At nũc ſumma ſedens cœli ſuper aſtra triumphis
Omnipotens & idem cum patre numen habes.
Sub pedibusq; domas captiui triſte Draconis
Imperium, & ſpectrum mortis inerme pmis.
Occultumq; canem miſerorum in corde latrantem,
Carnificem populi non ſinis eſſe tui.

Hoc

Hos retines captos diuinis viribus hostes
Ne noceant, cum se iam nocuisse putant.
Quin tua de cœlo spolijs victoria diues
Distribuit regni munera larga tui.
Tu patris atq; tui spirantem è pectore flammam
Cum verbo mittis distribuisq; tuo.
Illa tui accendens sitibundo in pectore amorem
Iustifica renouat corda renata fide.
Prouehit auxilio vocem per templa sonantem,
Et docili cœtus iungit amore pios.
Erigit infirmos, tristes solatur & ægros,
Motibus & puris corda subacta regit.
Vnde DEO grato memores obedire timore,
Officij faciunt munia iussa sui.

Breuiter:

Christus ab innumeris cruciatibus ardua victor
Morte etiam abolita surgit ad astra Deus.
Hoc pia præcipuo lætentur corde triumpho,
Namq; salus nobis vnica Christus erit.

Dominica sexta post Paschæ deficit.

IN DIE PENTE

costes, Ioan 14.

Quisquis saluifico didicit confidere Christo,
Eius & ex animo iussa uerenda colit,
Verbaq; purgatas diuina admittit in aures,
Et retinet firma dogmata uera fide,
Spiritus hunc sanctus patrio complexus amore
Per uitæ incolumem cuncta pericla regit.
At qui diuino refugus discedere uerbo
Sustinet, atq; alias quærit ad astra uias,
Non hunc adflatu numen cœleste fouebit,
A regno Christi spretus & exul erit.
Dicite degeneri nuper ratione retincti
Vos præstare Deo quale putatis opus?
Dicite Pontifices qui cœlum uenditis auro
Quæ ratio uestræ denuo danda gulæ?
Heu nihil est propriæ fas quenquam fidere menti,
Humana est pter crimina uita nihil.
Ipsa sibi humana est sapientia caussa malorum,
Æternum bonus est solus eritq; Deus.

Feria secunda & tertia
deficiunt.

DOMINICA TRI-

nitatis, Ioan. 3.

Hei

HEI nimium ignari cœcoq́ errore vagantes,
Qui meritis tolli crimina poſſe putant.
Non opera humanæ præſtant ciuilia curæ,
Vt tota poſsis mente placere DEO.
Eſt aliquid maius miſeris quod ſydera pandit,
Non bene quod ratio noſtra videre poteſt.
Ille ſuum natum ſceleroſum miſit in orbem,
In miſeros patrio motus amore DEVS.
Ille ſua noſtram reparauit morte ſalutem,
Tradita pro nobis victima quando fuit.
Exigit ille fidem, ſed puri pectoris, & quæ
Iuſticia renouet pectora noſtra noua.
Qui ſperat propria certam virtute ſalutem,
Semper de meritis ambigit ille ſuis.
Iuſticia externa non vitæ tollitur error,
Sola DEO acceptos nos facit eſſe fides.

Breuiter:

Qui credit in filium &c. (ſto,
Hoc caput, hæc ſumma eſt, qui nouit fidere Chri-
Ante DEVM æterna luce ſuperſtes erit:
Fidere qui neſcit non vitæ munus habebit,
Hunc premet irati ſed grauis ira DEI.

DOMINICA I.
Poſt trinitatis Lucæ. 16.

Vilis & obscuro iacet ac neglectus amictu
Magnificas Lazarus diuitis ante fores.
Sic iacet, auxilium frustraq; Ecclesia poscit,
Pontificum ac regum debilis ante fores.
Vtq; canes lambunt, animalia spreta, iacentem
Ne periens omni destituatur ope,
Sic licet inuitis illum plebs spreta Tyrannis
Seruat, & vnanimi relligione iuuat.
Macte estote animis, contraq; audentius ite
O quibus in Christo est cognita vera fides.
Omnes ærumnæ uobis in gaudia cedent &c.

DOMINICA II.

Post trinitatis. Lucæ 14.

De cœna magna.

Rebus in humanis iusto res digna dolore est,
Quod bona tã rarus cernere vera potest.

DOMINICA V.

Post trinitatis Lucæ 5.

Exosus

Exosus Christus pigrâ desidis otia vitæ,
Nauigerum duci per mare rete iubet,
Capturamq; iuuans, gaudensq; beare laborem,
Piscilegas præda ditat hiante plagas.
Hæc est militiæ nos exercentis imago,
Aurea dum noster sudat ad astra labor,
Irritus hic tamen est nisi Christus nauiget vna,
Reteq; speratis impleat ipse bonis.
Hac quoq; scito uehi sociam te naue iuuentus,
Aspirante petis quæ bona vera DEO.
Vtq; alij vitæ felici muncre prosis,
Proijcias Christo rete iubente tuum.
Ille gubernator te miti adstabit amore,
Vt referat facilis commoda mille labor.
Hoc socio quisquis mandatum nauigat æquor,
Naufragium voti non facit ille sui.
Hei male proferimus cœ lestibus omnia donis,
Quæ ratio tantum iudicat esse bona.
Ille affectat opes, magnos hic ambit honores,
Et trahit ingenij quemq; cupido sui.
Qui Christum ex animo quærat, rarissimus ille est,
Quin vix in triuijs vnus & alter erunt
At DEVS inuitat, cogit, vocat, allicit omnes
Atq; sua indignos pro pitate trahit.
Hei quanta excipiet tam blandè pœna vocatos,
Qui parere tamen non voluere DEO.

Tu

Tu noſtros oculos tantum terrena videntes,
Vt videant dotes erige Chriſte tuas.
Fac te non dubia memores pietate colamus,
Reddere nos cœlo tu niſi nemo poteſt.

DOMINICA. 3. 4. 6. 7. 8. 9. 10. *trinitatis deficiunt.*

DOMINICA XI.

Poſt trinitatis. Lucæ. 14.

Grande tumens animo ficta pietate ſuperbo,
Qua temere errantẽ ſpem phariſæe capũ.
At melius toto qui deflet pectore culpam,
Inq; homine auxilij ſentit ineſſe nihil.
Et gemitu implorans veniam, confidit in agno,
Sanguine qui delet crimina noſtra ſuo.
Hæc via iuſticiæ eſt, contrita dolore requirit
Iuſtus, & in Chriſto pectora fiſa, DEVS.
I procul infelix hominum ſapientia, iuſtum,
Ante DEVM, Chriſti gratia ſola facit.

DOMINICA. XII.

Poſt trinitatis Marci. 7.

De ſurdo & muto.

Hac

Hæc etiam trahimus vitioſæ à matre parentis, Typus mundi.
In Chriſto vt certam vix videamus opem.
Nam velut hic audire nihil, nil dicere nouit,
Cui Chriſtus medicas applicat ipſe manus:
Sic etiam eſt mutus, ſic ſurdus ad omnia mundus
Munia, quæ cultu ſunt obeunda pio.
Nuncia non audit promiſſæ certa ſalutis,
Non grato meritum prædicatore DEVM.
At DEVS indignis etiam miſeratur, & vltrò
Dignatur miſeris ferre ſalutis opem.
Quod paſſim oſtendit ſua per miracula Chriſtus,
Quo reficit medica corpora læſa manu.
Sic age Chriſte aures dignare recludere noſtras,
Oraq; propitia noſtra reſolue manu.
Vt tua ſic nobis conſtet diuina voluntas,
Noſtraq; te merito munere lingua colat.

DOMINICA. XIII.

Poſt trinitatis Lucæ. 10.

De Sacerdote & Samaritano.

Magna & grata DEO res obſeruatio legis,
Sed niſi per Chriſtū non placet illa DEO.
Omnia vt obſerues, tamen à radice malorum,
Matre tua, certa ſemina labe trahis.

Non

Non opus hæc vllum, non eluit vlla facultas,
Hæc Christi pietas eluit vna DEI.
Hoc quicunq; fide nusquàm dubitante fateris
Nomine quo debes incipis esse pius.
Incipis & legi rectè parere, fideq;
Et vero viuendi more placere DEO
Ite procul Monachi, fatui procul ite Papistæ,
Nemo DEO propria laude placere potest.

Aliter.

Præterit infelicta mœrentem cæde Sacerdos,
Sed Samarita adfert huic pregrinus opem.
Sic quoq; Pontifices, sic hoc quoq; tempore Reges,
Qui ficta tantum sunt pietate graues.
Quem Samarita iuuat neglexerat ante Sacerdos,
Hei quantum est falsa sub pietate mali?
Sic etiam ad Christi prostrati limina mundus
Præterit, & surda negligit aure DEVM.
Gratia magna DEO, Samaritas excitat ille,
Neglectum vera qui pietate colant.
Qui licet infesti ceu spreta catharmata mundo
Ærumnis vitam per loca sancta trahunt,
Non tamen hos ulli possunt delere Tyranni,
Sola etenim Christi gloria morte caret.

Dominica. 14. deficit.

Domini

DOMINICA XV.
Post trinitatis Matth. 6.

Nemo potest Dominis simul inseruire duobus.

(laborat,

HEi quantis tenebris hominum mens cæca
Quæ miseros curæ non videt esse DEO?
Dum varijs uitæ venamur commoda curis,
Quam sumus immeritò perfida turba DEO?
Qui fata si campi, si flores curat agrorum,
Cur homines curæ non velit esse sibi?
Ergo hic accusat dubitantia pectora Christus,
Et docet officij dexterioris opus.
Agnouisse DEVM, totaq; huic fidere mente,
Omnia ad hæc vitæ commoda prima via est,
Non vetat is victum iusto sudore parare,
Ocia nec vitæ desidis ulla probat,
Sed vetat ornandæ studijs diffidere vitæ,
Præsidia & missò quærere velle DEO.
Tu fac quod pietas, quod vitæ postulat vsus,
Sufficiet præsens cætera cuncta DEVS.

CONCIO CHRI-
sti Matth. 6.

De

De vitanda anxia ſollicitudine victus & cura rerum externarum.

NE premat humanæ ratio vos anxia vitæ,
Curaq; mordaci quæ mentẽ verbere pulſat,
Vt turbata vago nunquam ſatis explicet æſtu,
Vnde parct dubitans vrgens quibus indiget vſus.
Dum repetit numero, dum pectore cõputat ægro,
Quas epulas ſibi quæque dies, quæ pocula poſcat,
Quoue laboriferum veletur corpus amictu.
Nonne animæ pluris vis eſt & mira facultas?
Semina quæ cœlo ducit, quin tollite uultus,
Aërijq; plagis oculos immittite campi,
Pennipotens vt vulgus aues per inane volantes,
Mille modis variæ, vel mulcent cantibus aures,
Vel dulcem ſobolem ventura in tempora paſcunt.
At non arua ſerunt, nec facta meſſe quotannis
Horrea diſtendunt, tamen has rerumq; hominũq;
Conditor & genitor ueſter ſic ſeruat alendo.

Dicite de uobis quotus eſt qui pectore ſudans,
Sollicito tantum meditando extundere poſſit,
Vt cubiti ſpatium menſuræ corporis addat?
Et dubitatis adhuc vobis qua veſte tegantur
Corpora, quæ paſcat victus vſura palatum,
Aut quæ compoſitas commendent pocula menſas?
Aſpicite herboſo florentia lilia campo,

Quam

Quàm pulchrè aërij ſurgunt in luminis auras,
Non operas faciunt, non telam in ſtamine ducunt;
Nec quidquam euoluunt mandati iuſſa laboris,
Credite dicenti, fulua non ſplendidus oſtro
Rex tanto nituit Salomon velatus amictu,
Dum ſedet imperio, & ſolio venerandus eburnō;
Flos vnus quanto decoratus lucet honore.
Quod ſi gramen agri, quod lux hodierna ſalutat;
Craſtina demeſſum crepitantes mittit in ignes,
Sic veſtit decoratq; Deus, non largius idem
Præſtet idem vobis? radios quibus ipſe creator
Diuinæ infudit lucis, quos viuere ſecum
Æternum cupit & cœli ditione potiri?
O animi faciles, & lubrica corda pauentum,
Atq; fide ſemota procul. Quin ponite curas,
Res agite, officij ratio quas exigit, ipſi
Euentum aſſignate Deo, vox iſta faceſſat,
Hei quibus hæc epulis, quo potu membra leuemus;
Frigora quæ veſtis nobis arcebit & imbres.
Talia rimantur diffiſo pectore gentes,
Agnoſcente Deum procul à pietate remotæ.
Eſt quibus aut ſolum viuendi cauſſa palatum;
Aut poſitus mundi prauis in moribus error.
At pater è cœlis qui uos elegit ab æui
Principio, non ignarus, quid deſit egenis,
Proſpicit in medium, communem curat in vſum;

Et bona distribuit, multo & cumulato fauore
Quottidie indulget, promus, condusq; fidelis.
Affectate igitur cœleste ante omnia regnum,
Discite iusticiam, quam casto è pectore poscit
Purgatoq; Deus, quod desinit esse, quod olim
Imperio fuerat veteris cogente Draconis.
Expectate fide promissam vrgente salutem
Me duce, qui vestram pfuso sanguine culpam
Victima delebo, læto & de morte triumpho
Astra petam reddens cœlestis gaudia vitæ.
Sic q̃cunq; pijs precibus votisue petetis,
Obuenient largè: sic omnis copia vobis
Adfluet assiduus quam vitæ postulat vsus.
Hoc caput est, nolite graui marcescere cura,
Vanaq; venturæ suspiria mittere luci,
Crastinus inueniet iussi argumenta laboris
Exoluenda dies, curæ sibi & ipse futurus
Hoc satis est, si quisq; dies sua fata ferendo
Extrahat, vt debet, iussi ratione laboris.

AD DICTVM CHRsti, Ne sitis solliciti, Matth. 6.

Quã sit pfidiũ humanũ sine robore & o
Quæ timida à longè pectora firmet, o

Hic docet hoc ſapiens arcano dogmate Chriſtus,
Sollicitos homines dum vetat eſſe Deus.
Namq; pater vigili qui pſpicit omnia cura,
Fidentes alia nos ratione iuuat.
Mente DEO fiſa, tu iuſſo munere fungi
Aſſueſce, Euentum quidus ille dabit.
Hoc illi prium eſt ſoli, quod mundus, & omnis
Ex ſeſe, vt capiat ſculpere neſcit homo.
Ille fidem occulto creſcentem numine donans
Auriferi ſimilem fluminis eſſe facit.
Ergo fides animi Chriſtum compndere docti,
O homo ſit vitæ regula certa tuæ.
Nulla tibi deerunt ſic gratæ commoda vitæ,
Nam bona quæ neſcis, ſponte dat ipſe DEVS
Lilia qui nitidis regaliter ornat in hortis,
Et decus ignaris floribus eſſe facit.
Ille bonis omni ſibi ſuccedentibus hora,
Fidentem patria te cumulabit ope.
Hoc ſupra captum eſt hominis, ſed diſce vocanti
Fidere, ſic omni tempore dives eris.

DOMINICA DE-cima ſexta, poſt Trinitatis, Lucæ 7.

Qui

Qui viduæ ingentẽ miseraris Christe dolorẽ,
Dum puerũ ex ipsa surgere morte iubes.
Quàm generi humano toto te pectore tradis,
Quàm liquidò miseris te bene velle doces.
Quinetiam fremitu tuus in nos proditur ardor,
Ille quidem massæ plenus amore tuæ.
Nam tua massa sumus, puro quam sanguine lotam
Ante patrem culpæ non sinis esse ream.
Et licet immundæ cumulent nos vndiq; sordes,
Tu tamen hoc deles quidquid obesse potest.
Adde quod est maior pietas tua larga, nocentis
Criminis in nobis quam scelus omne potest.
Ite procul quicunq; Deum sine corde putatis
Esse patrem, affectus sentit & ille suos.
Illius est hominum misereri propria virtus,
Illius est verum gratia larga bonum.
Quo Deus est rebus præstantior omnibus vnus,
Quas cœli & terræ pulchra theatra tenent.
Hoc magis est animi promtus, curæq; paternæ,
Quæ mala prospiciens omnia semper amat.
Et dubitet quisquam non læto accedere passu
Hunc fontem largi perpetuiq; boni?
Ecce throno fulgens maiestas larga fauoris,
Omnia consulta cum bonitate facit.
Afflat & arcano generosum numine verbum,
Sustentat fluidum totius orbis opus.

Hoc

Hoc etiam gremio gaudens exire paterno
Humana factum est conditione caro.

DOMINICA XVII.
post Trinitatis, Lucæ.14.

QVæ deceat festis opera exercere diebus,
Ista rudes Christi concio sacra docet.
Pigra velut festam non præstant ocia lucem, Cultu
Sic non contaminat sabbatha sacra labor. Sabba
Audi sancta DEI seruato oracula cultu,
Res age non tardent quæ pietatis opus.
Sæpe tamen ritus communi cedit amori,
In patriam, inq; Deum qui iubet esse pius.
Sic sacra non violat Macabæus sabbatha miles, Cære
Pro patria & verbo dum gerit arma Dei. niæ.
Sed cum diuini poscit confessio verbi,
Cum ritum vt vioies vis inimica iubet,
Vt pia testeris seruato pectora cultu,
Mors potius vitæ est anteferenda tuæ.
Sic vesci Antiocho qui carne iubente recusat,
Quam violet ritum maluit ense mori.
Vt lapsu grauiore ruat, conscendit in altum, Voc
Qui proprijs fretus viribus alta petit.
Nil nimis adfectes, spartam tuearis & ornes,
Ad quam legitima conditione venis.

DOMINICA XVIII.
post trinitatis Matth. 22.

LEx animos terret, per legẽ agnoſcitur error,
Qui nos degeneres à pietate facit.
Verum ea non abolet vitioſæ crimina vitæ,
Per ſe, nec vires vt medeatur habet.
Hinc opus adflictis ſaluantem agnoſcere Chriſtũ,
Numine qui ſancto pectora pura facit.
Hunc bene ſi noris tibi mens pacata quieſcet,
Et ſoli facies omnia grata DEO.
Nec tantum ornabis diuini munera cultus,
Præcipuum eſt veræ quod pietatis opus,
Verũ, huic quod ſimile eſt, præſtabis cætera vitæ
Munera, quæ fieri mutuus vrget amor.
Hæc Phariſæorum nunquam ſapientia cernit,
Quæ Chriſtum immenſum non videt eſſe Deum.

DOMINICA XIX.
Matth. 19. de Paralytico.

CÒporis adflicti reſolutus artubus æger,
Excẽplũ eſt hominũ quotquot vbiq; vides,
Namq;

amq; quid eſt aliud totū genus omne per orbem,
Maſſa niſi vitijs quæ reſoluta iacet?
iſte Deum crebram peccatum irritat ad iram,
Hinc ruit innumeris mors comitata malis.
nc etiam varijs lactantia corpora morbis,
Supplicium iuſto dant lacerata DEO.
oc crudele malum fraterno Chriſtus amore
Huius in ægroti conditione dolet.
otinus iccirco peccatum tollit & aufert,
Mox etiam morbo membra ſoluta leuat.
æc via propoſita eſt auſis ſperare ſalutem.
Omne malum à miſeris tollere Chriſte potes.

Aliter.

ueris an externæ fidei virtute leueris
A culpa, pro te cum pia turba rogat.
on niſi credenti poſſunt peccata remitti,
Externa ad veniam eſt nomen inane fides.
ui ſua, cunq; animo peccata agnoſcit, & imo
Praua ſuæ vitæ pectore facta dolet,
egitimoq; petit veniam teſtante miniſtro,
Et firmat certa pectora mœſta fide,
ratuita Chriſti fruitur pietate receptus,
Et veniam erratis impetrat ille ſuis.
ic iterum turpi produnt ſe labe Sophiſtæ,
Crimina qui Chriſtum poſſe abolere negant.

Esse Dei norunt æternam afferre salutem,
Non norunt Christi munus id esse Dei.
Christus at ostendens sanctæ miracula linguæ,
Omnia qui possit, se docet esse DEVM.
Gratia magna Deo, grates cui soluimus omnes,
Humana generi qui bona tanta dedit.

Dominica 20. & 21.
deficiunt.

DOMINICA. XXII.
post Trinitatis, Matth. 18.

De rege exigente rationem à seruo suo.

QVisquis es, humanæ quoniam sic omnia vitæ,
Vt reprobri ante homines simus & ante Deum.
Vt veniam possis culpæ impetrare dolendæ,
Non opus humani ponderis illud erit:
Non opere hic vllo, non hic rationibus vllis,
Te delicta Deo posse piare putes.
Desine ab iniustis, alijs ignosce, benigno
Crede Deo, & veniam quam petis ille dabit.
Nam Deus ignoscit, nil tale merentibus vltrò
Omnia qui rectè solus & vnus agit,

Muneris

Muneris & tanti memores nos viuere, & ipsis
Ad veniam faciles hostibus esse iubet.
Hinc quicunq; alijs errata remittere nescit,
Propicium culpæ non habet ille DEVM.

Aliter.

Creditor accitis compellat nomina seruis,
Debitor irati quis feret ora Dei?
Debita lex repetit vultu metuenda minaci,
Nosq; reos vrgens ante tribunal agit.
Qui non soluendo est, æternæ obnoxius iræ
Immemori pœnas pro leuitate luat.
Mors manet à tergo, legi officiosa iubenti,
Quid fiet miseris? soluere nemo potest.
Sed bonus est iudex, alieni & creditor æris,
Nec miseri dura negligit aure preces.
Parce Deus misero, culpamq; scelusq; petenti,
Nomen ab immensa qui bonitate tenes.
Ipse fideiussor pro me tibi debita soluit,
Filius ingenti motus amore tuus.
Ipse mihi assistit vindex tua iura timenti,
Qui mea deleuit crimina morte sua.
Parce precor misero, culpamq; remitte fatenti,
Sum tuus hic libra, sum tuus ære Deus.
Audit, & admittit lacerato è corde sonantes
Munitasq; fide suscipit ille preces,

O benè quod culpæ molem delere nephandæ,
Agnoscente potest nixa dolore fides,
Nulla nec in terra, nec cœlo est tanta facultas,
Quæ satis hæc celebrat pro bonitate DEVM.

Aliter:

Ad veniam facilis, iusta cunctator in ira
Es pater erga homines plenus amore Deus.
Tu donas animo vitæ delicta dolenti,
Supplicis & patiens omne remittis opus,
Cur igitur pugnax hominis cur vana voluntas
Crimina non alijs donat amore tui?
Cur sumus offensæ vindictæ errore tenaces
Ante oculos, vitij nil nisi massa, tuos?
Tu scis quàm misere veteri turbante Dracone
Archetypi facies sit maculata tui,
Mens ignara sui & cæcis immersa tenebris
Laxa voluntatis non benè frena regit,
Inde volens cordi dictat mala multa voluntas,
Motibus hinc vetitis cor sine lege ruit.
Denique mens temerè fertur, ceu viribus impar
Indomitum sessor non benè frenat equum.
Pelle DEVS tenebras, erroris nubila tolle,
Cor renoua flatu restituente tuo,
Sum tuus heu seruus, sum iusti debitor æris,
Cum licet infidus, sim tamen ære tuus,

Quem

Quem tibi sic iunctum voluisti vt filius esset,
Perfidia est factus debitor ille sua,
Nec tamen eiuro culpam, sed crimine fassus
In venia pono spemq; fidemq; tua.
Et quia soluendo non sum, ditissime rerum
Tu mea de tabulis nomina deme tuis,
Fac pura te mente colam, tibi fœdera mecum,
Inde fides, illic testificetur amor.

Aliter.

Exigit à seruo sibi debita nomina Princeps
Soluendo est Domino non tamen ille suo:
Sic etiam à nobis diuinæ concio legis,
Postulat hoc, nemo quod numerare potest.
Mox herus ærumnas serui miseratus iniqui
Debita propitio missa fauore facit,
Sic quoq; nos liberos alieno liberat ære,
Atq; eadem natos gratia sola facit.
Gratia fidenti per fratrem prodiga Christum,
Non dubia nobis accipienda fide.
Cur tamen indemnem seruus quam gratia fecit,
Conseruo nectit vincula dura suo?
Et tandem ob noxam comprensus iure nefanda
Traditur vt tristi carcere facta luat?
Proh dolor hæc species nostri est horrenda furo-
Quo sumus à vitæ semine quisq; nocens. (ris,

Viuifici

Viuifici reddit ſegnes obliuio verbi,
Contemtumq́ animis inſidioſa pariti
Inde comes culpæ miſeris diuinitus aſtat,
Ante Deum iuſto pœna luenda modo.
Ergo fide, & puro firmemus pectora ſenſu,
Propicio conſtans hæreat ille Deo,
Et finem faciens peccandi, & facta peroſus,
Impia conſortes diſcat amare ſuas.
Hoc caput, hoc meta eſt, verum quicunq́ ſalutem
Expetis, & læta viuere mente cupis:
Fide DEO, delicta caue, atq́ ignoſce nocenti,
Sic eris æterno carus vbiq́ DEO.

DOMINICA XXIII.
poſt Trinitatis, Matth. 22.

Date Deo quæ ſunt Dei &c.

QVi damnata cupis nigri commercia Ditis
Effugere, hæc vitæ dum peritura colis,
Pende DEO pendenda Deo, nec ſubtrahe ſceptro
Legitima populos quod ratione regit.
Nam quo metiris radio, experieris eodem
A iuſto reddi præmia menſa DEO.

DECALO-

DECALOGVS DE-
cem Præceptorum, Exod. 20.

I.

Ista DEI vox est de cœlo viua tonantis,
Qua iubet agnosci se Dominum q; coli.
Ipse ego qui vasta te dux robustus eremo
Eripui, ipse tuus sum sine fine DEVS.
Me penes est vnum diuina & summa potestas,
Me p̃ter non est ullus vbiq; DEVS,
Ne cole ficticio fucatos numine diuos,
Sed solum vera me pietate cole.

II.

Nulla superstitio cæco te cogat abusu
Ferre tui falso nomen in ore DEI.

III.

Diuino docilis tribuas sua tempora verbo,
Et peragas vero debita sacra Deo.

IIII.

Suscipe maiores, dulces venerare parentes,
Vt videas vitæ tempora longa tuæ.

V.

Ne te corripiat sæui comes ira furoris,
Vt sias odio, crimine, cæde, nocens.

VI.

Fœdera

Fœdera legitimi noli temerare cubilis,
Qua licet ardorem comprime lege tuum.

VII.

Mutua ne violes fœdo commercia furto
Detrahe. nil alijs, iusticiamq; cole.

VIII.

Semper amans veri, ficto nihil asſere fuco:
Sit procul à turpi vita ſeuera dolo.

IX.

Alterius reprimas cupidos à coniuge ſenſus,
Tecum illum ſimili viuere lege memor.

X.

Nec veneris opes eius vel fraude vel arte,
Nec rerum proprio ſub lare quidquid habet.

SYMBOLON
Apoſtolorum.

IN ſolo confido DEO, credoq; potentem
In nos propitium quem iuuat eſſe patrem.
Omnia qui verbo motum ſpirante creauit,
Quæ terræ & cœli claudit vbiq; ſinus.
Credo DEI genitum diuina ab imagine Chriſtum,
Quo redijt nobis vindice vera ſalus.

Qui

Qui ſpirante datus diuinæ numine mentis
Venit, & è pura virgine natus homo eſt,
Multaq; pro miſero tolerans ludibria mundo,
Victima pro noſtra cæſa ſalute fuit.
Dira ferens etenim ſub iudice flagra Pilato,
De cruce ſuſpenſus triſte pependit onus,
Et moriens cœlo vitalem reddidit auram
Sancta ſub indigno conditus oſſa ſolo.
Cæcaq; deſcendens damnati ad Tartara regni
Cum Stygio horrendam perdomat angue necẽ.
Hinc vbi luciſluas referens aurora quadrigas,
Protulerat nitida tertia luce diem,
In ſuperas viuus redicns à manibus auras
Præſentis, prio fulſit honore DEI.
Victor & abolita ducens de morte triumphum,
Conſpicua rediit clarus ad aſtra via.
Fulget vbi ad dextram patris omnipotentis, & illi
Imperium æterna par ratione tenet.
Inde ſed extremo mundi ſub fine redibit,
Imperij Iudex celſus honore ſui,
Et pariter viuis, pariter longè ante ſepultis
Iura ſacroſancta lege ſuprema dabit.
Credo patris natiq; ſimul de numine numen
Procedens animis ſemper adeſſe pijs.
Illic credo pij verè conſortia cœtus
Vox vbi de Chriſto vindice vera ſonat,

Omniaq;

Omniaq́ in ſolo fieri communia Chriſto,
Seruit vbi vero concio ſacra Deo.
Credo illis etiam, quos vitæ pœnitet actæ,
In Chriſto ſolui criminis omne nephas.
Credo recepturum motus atq́ organa vitæ
Funera poſt vitæ corporis huius onus.
Credo fide hærentes in amico iudice Chriſto
A meritæ vacuos nos fore labe necis.
Sanctaq́ perpetuæ victuros gaudia vitæ
Vnanimes viuum ſuauiter ante Deum.

PRECES A CHRI-
ſto præſcriptæ.

AVtor ô noſtræ Deus alme vitæ,
Qui pater gaudes hominum probari;
Quem penes ſolum eſt nitidi poteſtas
Maxima cœli,

Sicut agnoſci cupis & vocari,
Sic doce noſtros animos, tuumq́
Da colat vero celebrans honore
Gloria nomen;

Tu tuum in nobis, vitijs remotis,
Inchoa regnum, fideiq́ ceptæ

Spiritu

Spiritu lætas renouante mentes
Suggere vires.
Da, tibi parent veluti beati
Cœlites, noſtra tibi tota vitæ
Præſtet in terris ratio timorem,
Præſtet honorem.
Conſecra mitis bona quæ creaſti,
Indies quorum indiget vſus, & quæ
Optime rebus ſtudijsq; noſtris
Commoda noſti.
Pectori culpæ veniam dolenti
Da pater, fractum ſiquidem dolore
Vt iubes, noxas alijs remittens,
Crimina donat.
Ne ſinas aſtu veteris Draconis
Obrui noſtras ſubigiq; mentes,
Arte qui nobis laqueos doloſa
Tendit vbiq;
Sed memor curæ potius paternæ
Mitiga quidquid ferimus doloris,
Omnibus præſens miſeros periclis
Eripe vindex.

ORATIO DOMI-
nica iambico dimetro.

DEVS ſator mortalium,
Terræ potens & ſyderum,
Qui mitis in nos aſperos,
Grauiſq; culpæ conſcios,
Gaudes patris vocabulo,
Nutuq; ſeruas omnia.
Fac innoteſcat omnibus
Nomen tuum mortalibus,
Verbi tui ſuauiſſima
Sic inſtruat nos gratia,
Vt te colamus vnicum,
Sicut iubes per filium.
Accende mentes lumine
Tuiq; regni imagine,
Vt inchoent hic aurea
Vitæ perennis ſecula.
Regno tuo nocentium
Infringe vires hoſtium.
Fac noſtra ſemper vt tuis
Mens acquieſcat legibus,
Conſentiat cum cœlica
Terrena pax concordia,
Iuſtum miniſtret mens opus,
Curæ tibi ſit exitus.
Dum congregatim viuimus,
Largire nobis quæſumus

Externa vitæ commoda
Quibus vigent commercia,
Agnoscat ista charitas
Agatq; vere gratias.

Ignosce noxam sontibus,
Culpæq; vim dolentibus,
Delicta si nos hostibus
Non asperi remittimus,
Da pœnitere mens queat,
Vt te iuuantem sentiat.

Nusquam sinas nos obrui
Draconis astu perditi,
Captos sed hostis artibus
Tuis tuere viribus.
Fac militemus strenuè
Et compotes victoriæ.

Nos adseras ab omnibus
Calamitatum casibus,
Ducemq; mentem corporis
Ex mole duri carceris,
Cum postulabunt tempora,
Hinc transferas ad sydera.

AMEN.

PRECES CHRI-
ſtianæ orationis Dominicæ.

QVam Deus orandi ſeriem, quos adpbet vſus,
Hinc tecũ incipiã puerili exponere verſu,
Chara mihi arcana cœli ratione, Philippe,
Cui pater, afflictæ Camerarius Hellados ingens
Gloria & aſſertor, Graiæ dum munera linguæ
Ingenti ſtudio Germanis ſeruat in oris.
Ergò agè ſiue diem Muſis aurora reducit,
Siue quies rerum tenebris humentibus orbem
Nox tegit, & placidos affectãt membra ſopores,
Seu loca ſacra petis, patrias ſiue inter oliuas
Diuino accedis cumulatas munere menſas,
Has animo p̃ſente preces, hæc debita vota
Redde Deo, explicitis orans ad ſydera palmis.
Has tibi corde preces Deꝰ optime maxime fundo,
Tempore in extremo, dubio in diſcrimine mundi,
Impia dum Geticam ſumens in fœdera cornu
Beſtia, ſic veteris ſtimulante furore Draconis,
Exitium mundo molitur, & omnia turbat.
Hei quàm parua manus, numerus quàm paruus eorum eſt,
Ex animo cupiunt qui fratrem agnoſcere Chriſtũ,
Teq; patris coluiſſe loco. Sed reſpice partem
Hanc quamcunq; tuã, tua qui ſacra verba p̃feſſi,

Eſſe

Esse tui cupimus, nisi mens vitiosa repugnet.
Illa quidem antiquam iam pridem ab origine labē
Pressa trahens, oculis quædam vestigia cernit
Mandati veneranda tui, sed viribus impar
Nequicquàm propria virtute placere laborat,
At tu summe Deus, fons rerum & dulcis origo,
Mens æterna, potens, sapiens, sola omnia p̄stans,
Omnibus in rebus cuius vestigia monstrat
Autoris natura memor, qui solus & vnus
Omnia perpetua Dominus ratione gubernans,
Quæ cœlum, quæ terra tenet, quæ conscia fati
Consentire iubes terrenis sydera rebus,
Ne casu soluatur opus. Qui tempora certis
Distinguis vicibus, facis omnia, & omnia seruas.
Tu nos degeneres vultu miseratus amico
A nobis audire pater dignaris, & orbi
Sponte tuum mittis fraterna in fœdera natum,
Abluat vt sordes nostras, & crimina tollat,
Et reddat merita dulcem pro morte salutem.
Da pater vt possim te vero agnoscere cultu,
Et nomen celebrare tuum, veroq; timore
Te patrium sentire Deum. Da gloria sicut
Sancta tua est per se, vero sic semper honore
Luceat in nobis, tua qui nos membra fatemur.
Ne leuis ambitio, ne vani gloria mundi
Transuersos rapiat, rebus sed in omnibus vni

Semper honos, nomenq; tuum, laudesq; ferantur.
Impia corrupti cedant vestigia cultus,
Stultaq; fictilibus fidens reuerentia diuis,
Et pietas omnis fucatæ conscia curæ.
Me nutu dignare tuo, ne forte recusem
Imperio parere tuo, tua iura vereri.
Perge tuum late populis extendere regnum,
In quo non strepitus pomposæ splendidus aulæ,
Non aurum, non arma sonant, non quidquid inerti
Blanditur mundo, fucoq; arridet inani.
Sed colit vnanimis Regem concordia Christum,
Propagatq; pios simplex Ecclesia cultus
Angelicis adiuta choris. Da nescia frangi
Pectora, da vires animis tua dona professis.
Et flammis accende tuis, vt fortiter ausi
Vera repugnanti inculcent tua dogmata mundo.
Insidias phibe Sathanæ, compesce tyrannos,
Atq; suum turbam turpi quæ squalida luto
In gemmas ruit ecce tuas. Dele omnia vitæ
Exempla impuræ, sacra cordibus instrue templa,
Quæ resonent Christi noctesq; diesq; triumphos,
Expectentq; simul rediturum, atq; omnia mundi
Censurum scelera, & meritis noua regna daturum.
Et quoniam affectus nobis natura reliquit
Principio corrupta malos, nec nostra voluntas
Per se grata tibi est, semper contraria cœlo

Et

Et verbo aduersata tuo: tua sancta voluntas
Nos regat, & facto primũ spectetur in omni.
Fac nihil incipiam, nisi quod confidere possim
Ante tibi placitum, dignumq́ fauore videri,
Sint tibi sacra Deus cunctarum exordia rerum
Euentusq́ simul, qui primum exordia rebus
Principio ipse carens fecisti, & omnibus idem
Das finem, qui fine cares. Da vincere morbos
Hærentes animis, læsæ & contagia mentis.
Da velut agnoscunt tua iussa, tremuntq́ verendũ
Imprium vnanimes, & sanctum numen adorant.
Qui sociata colunt cœli commercia ciues,
Siue chori angelici, siue è tellure recepti,
Sic quoq́ nos misera mundi qui in valle tenemur,
Spemq́ animis alimus cœli, regniq́ paterni
In te compositi vnanimes viuamus, & vno
Consensu tua verbi pij, tua iussa colamus.
Omnibus in te sit pietas, amor omnibus idem.
Da pater hæc etiam vitæ quorum indiget vsus,
Dimensum da cuiq́ suum, quo corpus alatur.
Qui volucres pascis magnum per inane volantes,
Qui flores etiam decoras, & lilia campi.
Hei pereant, quos vrget amor sceleratus habendi,
Quos iuuat artifici passim dites cere fraude,
Qui specie sua furta tegunt, alijsq́ rapaces
Inuigilant opibus, quam quas Deus omnib° offert.

Da victum nos posse tuo sperare fauore
Officij memores, iussos pstare labores,
Et curam mandare tibi, tibi reddere grates.
Hoc etiam ex animo petimus, da libera verbo
Incrementa tuo, da qui syncera professi
Dogmata nos doceant, rectaq; ad sydera ducant.
Ipse magistratus pfens, tua munera, serua,
Iusticiæq; illis veræ & pietatis amorem
Inspira. Placidæ da nobis tempora pacis,
Vt vigeant artes de te instrumenta docendi.
En Deus infecti peccantis ab vbere matris
Quotidie iniustam nos te irritamus ad iram,
Respice nos bonitate tua, qui mitis in omnes,
Et solem, & pluuias, iustisq; malisq; ministras.
Nostra trahens quoties veteris contagia culpæ
Deficit à recto studijs mens lapsa sinistris,
Degeneris miserere Deus, succurre labanti,
Affectus compesce malos, siue ira furorem
Præcipiat, roditq; niger præcordia sanguis,
Seu dolor inuidiæ, seu nos vindicta lacessit,
Siue odio ardentes ferimur, seu dira libido
Ingenium à vero cœpta in contraria versat.
Da veniam miseris, nec noxam iure coërce.
Quod si ex iure manu consertum poscere mens est,
Nos causſa cadere & lõgè ante perire necesse est.
Ignoscas miseris, vt nos ignoscimus illis,

A quibus

A quibus offenſis nobis iniuria facta eſt.
Hei nimium meritæ ſecuri in tempora pœnæ,
Quorum ſunt veniam p̃cordia clauſa precanti.
Ille ſuis veniam nec quidquam erroribus orat,
In quem ſic hebetis cadit obduratio mentis,
Neſciat vt læſus lædenti ignoſcere culpam.
Hanc Deus ô procul hinc dignere auertere peſtẽ.
Da veniam danti veniam, neue amplius erret
Corruptæ vitium dignere extinguere mentis.
Ecce cateruatim nos vndiq; & vndiq; tentat
Inſidijs coluber, primum non paſſus Adamum
Conditione frui, quam te donante tenebat.
Quos non ille dolos, quas non excogitat artes?
Vt genus humanum tenebris inuoluat, & omnem
Eripiat lucem miſeris, & numina verbi
Noticiamq; tui, quæ non incendia miſcet?
Quas ſcelerum cauſas non inuenit? ille rapinas,
Ille mouet lites, peſtes, homicidia, morbos.
Vt lupus eſuriens, ventris ſtimulante dolore,
Per nemora & ſaltus, per flumina, iugera, rupes
Sæuus abit, ponitq; vago veſtigia luſtro,
Donec oues tandem pleno depndit ouili.
Tum furor exacuit dentes, & duplicat iram,
Irruit in numerum graſſator, & omnia turbat.
Sic, ſi immane libet paruo componere monſtrum,
Spiritus immundus mille ingenioſus ad artes,

Mille opifex fraudũ, ſcelerumq; magiſter & auc-
In nos graſſatur, tua qui mandata profeſſi (tor,
Te colimus, natumq; tuum, numenq; fatemur,
In prædamq; inhiat, voluit caligine mentes,
Seducitq; homines non hæc ad munera factos.
Hîc vires effunde tuas, hîc pectora firma,
Angelicas hîc excubias, hîc fulmina verbi
Certa tui largire DEVS, quibus obruat hoſtem,
In te noſtra fides, & vinci neſcia virtus.
Non ego dura pati diſcrimina mille recuſo,
Dum tua conſtanti tuëor mandata labore,
Sed ne deficiam, ne ſæuo vincar ab hoſte,
Tu mihi præſto veni, tu ſuffice robora preſſo.
Deniq; ab aduerſis nos eripe & aſſere rebus,
Omnibus huius habet ſeries quas impia mundi,
Nos nutu defende tuo, ſeu nominis hoſtis
Degener ille tui mendax homicidaq; mentes
Obruit inſidijs, ſcelerumq; in retia verſat,
Seu nos ſollicitat pietati inimica tyrannis.
Ecce fremunt, & bella petunt funeſta tyranni,
Inuſum quibus eſt fidei & damnabile nomen,
Qui faciunt turpes vera è pietate cothurnos
Quando libet, ſoloq; colunt tua dogmata fuco.
Ecce ruit, fœdatq; tuas ſus horrida gemmas,
Illa infada, procax, meretrix Babylonica, cõiunx
Horrendi Sathanæ, qui ſeptem guttura pandit

Et

Et totidem capita, hei diris ſuffuſa venenis
Monſtrum immane, ingens, pietatis lumine caſſũ,
Quodq; ſua mundo mouet impietate ſtuporem.
Hei quas hoc furias ſecum trahit, omnia diro
Qua venit infeſtat vitio, labemq; nephandam
Euomit, infeſtum ſpirans ad ſydera virus.
Tu tamen hic aliquem pateris Deus optime talem
Quiq; tuo è populis de nato dogmata tollit,
Quiq; ferox animo ſanctos ſibi ſumit honores
Qui tibi debentur, falſoq; ſuperbit honore?
Seq; ſupra Reges extollit, & omnia mundi
Imperia, & faſtu tumidus latè omnia complet,
Vnanimo rupto diuellens fœdere Reges,
Inſpiratq; illis rabiem mortiſq; furorem,
Orbis & afflicti rabido ſitit ore cruorem,
Imperio infeſtus, pacis violator, & hoſtis,
Illius inſidias, funeſtamq; illius iram,
Blaſphemaq; dolos linguæ, technaſq; nocentes
A nobis te iuſte Deus profitentibus arce.
Aut ſua cum tandem mors iura nouiſſima poſcet,
Deuicto hoc monſtro, ſuperato Dæmone, & omni
Curarum ingluuie, da mollem in funera ſomnum,
Compoſito da fine mori, membriſq; ſolutus
Hac reddam patriæ vitæ miracula cœlo.

Talia vel certè non his diuerſa Philippe
Orandus Deus eſt, ſaluantis nomine Chriſti,

Diuina

Diuina æterna genitum quem mente voluntas
Donauit terris, vt pondera tanta ſubiret
Humanæ noxæ, perituri & crimina mundi
Ablueret non ipſe nocens, non ipſe piandus.
Tantæ molis erat lapſam reparare ſalutem.
Ille igitur mortis domitor vitæq́ redemptor
Ad patrem aſsiſtens æquali numine, nouit
Qua miſeri careamus ope, qua mole premamur,
Ille intercedens offenſum crimine noſtro
Conciliat placatq́ patrem, nil denegat illi,
Per quem cuncta facit pater et Deus ipſe creator.
O quicunq́ cupis traducere molliter æuum,
Menteq́ tranquilla cœleſtem accedere vitam,
Fide Deo, & contra mundum feruentius ito,
Orandi ſtudium ne deſere, fungere iuſſo
Officio, feret hæc plenos tibi regula fructus.

PRECES MATUTINÆ.

OMnipotens, æterne Deus, mens edita nullo
Principio, mens ſine carens, mens omnia
complens,
Omnia quæ verbo motum ſpirante creaſti,
Alme pater triplici ſimplex in numine numen,

Qui

Qui culpam humanã & caſum miſeratus acerbũ,
Mente tua genitum Chriſtum, cordiſq; paterni
Effigiem, miſero placidè largitus es orbi,
Vt Deus accipiens humani corporis artus
Victima pro noſtra caderet non noxia culpa,
Illum etenim mittens cœleſti voce dediſti
Signa animi manifeſta tui, cum clanguit æther,
Hunc audite, mihi dilectus filius hic eſt,
In quo lætitia eſt, in quo mihi ſancta voluptas.
Sancte DEVS, ſapiens, fortis, mitiſſime iudex,
Caſte, potens, liber, qui p̃ſtas omnia ſolus,
Vt tua non aliquem bonitas habet inclyta finem,
Sic precibus ſic p̃ſto meis. En omnia culpæ
Agnoſco monumenta meæ, pœnasq; paueſco,
Et doleo peccaſſe miſer, cupioq; renaſci,
Reſpice me miſerum, culpam miſerere fatentis,
Tu ſiquidem es viua miſeris ſic voce locutus,
Viuo ego viuo Deus, lapſi non expeto mortem,
Sed volo conuerſum ſalua reſipiſcere vita.
Quinetiam ille tuus, qui tecum tantus & idem,
Proſtrator mortis Chriſtus, mitisq; Sacerdos,
Per nomen tua dona ſuum nos poſcere iuſſit.
Hunc propter miſerere mei, mea pectora purga
Vi ſpirante tua, labemq; abſterge nocentem,
Vt ſint pura tui templa & domicilia verbi.
Tum linguam regere atq; animũ dignare vagantẽ,

Ne

Ne velit illa loqui, tua quod diuina voluntas
Non ꝓbet, & meritam quod te ſuccendat in iram,
Neue hic degeneris ſecurus in ocia vitæ
Lapſus, ab angusto deflectat tramite veri.
Collige, redde, foue, rege, reſpice, flecte, guberna
Exiguum hunc cœtum, qui vero agnoſcere cultu
Te didicit, natumq; tuum ceu debet honorat.
Hæc etiam ſtudia & dextras quas diſcimus artes
Fac tueare Deus, quibus inſtrumenta docendi
Perficit, & leges viuendi ſuppetit vſus.
Inde tuum verbum rectè tractare facultas,
Inde tibi æternas reſonans Eccleſia laudes.
Gaude animæ vis tota meæ, mihi ꝑbuit aures,
Qui neſcit duro fidentem fallere vultu.
Iamq; opus incepto mihi rideat omne labore,
Totaq; lux abeat fauſtis feliciter horis.

ALIAE PRECES
Carmine Elegiaco.

Conditor ô rerum, rerum ſeruator ab æuo,
Extra quem non eſt vllus vbiq; DEVS.
Quod redeunte fruar poſt actas luce tenebras,
Gaudeo, & agnoſco munus id eſſe tuum.

Tu genus humanum primum ſine labe creaſti,
Vt ſancte vultus viueret ante tuos.
Quàm malè deſciuit, quàm turpiter excidit illud,
In mortem propria dum leuitate ruit.
At bonus es ſolus, iuſtamq; vt concipis iram,
Sic illam patria pro pietate premis.
Ergò admiranda natum pietate dediſti,
Innocuus noſtrum ferret vt ille ſcelus.
Qui pœnſa fuit pro noſtra victima culpa,
Et vetus à nobis abluit omne nephas.
Ingentes igitur toto tibi pectore grates,
Perpetuus doni debitor huius, ago.
Teq; precor ſupplex dilecti nomine nati,
Me rege, me totum numine flecte tuo.
Auſpice principium te ſpectet, & auſpice finem,
Quicquid agam, vitæ dirige cœpta meæ.
Ipſe magiſtratus etiam, cœtusq; piorum,
Vt tua conſeruent dogmata ſancta, rege.
Da pacem victumq; tuis, compeſce tyrannos,
Vt maneat verbi gloria iuſta tui.
Hac ego ſpe fretus, quod vitæ poſtulat vſus,
Suſcepti aggredior dulce laboris onus.

PRECATIO
veſpertina.

Iam

IAm mea declino nocturno lumina somno,
Omnia mox rigido membra sopore premar.
Nec scio num possim redituram cernere lucem,
An mihi sit somni mors obeunda soror,
Sed tibi summe Deus, Deus inuictissime grates,
Quas toto possum pectore gratus ago.
Incolumem qui me voluisti hac luce tueri,
Ne vitam premerent vlla pericla meam.
Quique repressisti grassantis Dæmonis iram,
Qui rabido populos circuit ore tuos.
Nunc quoque dum iaceo veluti morientis imago
Mi Deus hæc nutu membra tuere tuo.
Ne lasciua meos perturbent somnia sensus,
Organa tu mentis dirige crassa meæ.
Fac tuus immanem procul angelus arceat hostem,
Cui proprium est regni lædere membra tui.
Crastina sic cernens redeuntis tempora lucis,
Grata tibi memori carmina mente canam.
Iam cessant curæ, placidi requiescite sensus,
Tu mihi iam Christo somne fauente veni.

PRECATIO PRO *Ecclesia Dei, ex verbis Esaiæ, Cap. LXIII.*

Conditor

Conditor ô cœli, ſubiecti conditor orbis,
Ante creata Deus, ſine origine, viuꝰ et vnꝰ,
Fine carens, ſoluſq; potẽs, atq; omnia pſtans,
Qui pater es, gaudesq; patris pietate probari,
Qui patrio fidi gentem Iſraëlis amore
Ipſe gubernaſti, Pharij cum tela tyranni
Effugeret, medias illæſa per æquoris vndas,
Tuq; patris fili, diuinæ mentis imago,
Chriſte DEVS, miſeris ſed homo dignate vocari,
Dum mortem meritis precioſa morte ſalutem
Et vitam reddis, mediator & optime teſtis
Ante patrem veniæ, patria qui mente verendus
Ceu dextra trepidũ comprendens vindice Moſen
Agmina Erythræas duxiſti tuta per vndas,
Stante graui ceu mole freto, ponentibus Euris,
Et ſiccis pedibus populo calcante profundum.
Tuq; patris natiq; ſimul ſpirabile numen,
Quod mentes hominum diuino accendis amore,
Pectoraq; inſtauras, & vires cordibus addis,
Spiritus alme, tuo populis qui robora flatu
Aſpirans, motus faciles, viresq; dediſti,
Cum vada purpurei penetrarent inuia ponti,
Et ſimiles ſtarent æternis rupibus vndæ,
Impiaq; immanem fallens audacia regem
Arma virosq; imi raptaret gurgite fundi,
Hoc etiam ſummo miſeri in diſcrimine mundi

Parua ſub ingenti dum preſſa Eccleſia motu
Fluctuat, & regum manifeſtam ſuſtinet iram,
Summe pater mentes populiq; ducumq; guberna.
Nate potens agmen poſitæ dux eripe fraudi,
Spiritus adflatu da motum, & ſuffice vires.
O æterne DEVS, Dux vnice & vnice victor,
Affer opem tanto quaſſatis turbine rebus,
Et cauſam defende tuam, tua gloria vincat,
Dum tua ſincerè populo mandata pfeſſo
Non vnus Pharao ferrum minitatur & vndas.
Da vires animis, da neſcia pectora frangi,
Arma fide ſuperare doce, pietate tumultus,
Vt queat inſanis Eccleſia preſſa tyrannis
Impoſitum pferre iugum, victrixq; ferendo
Pace colens aliqua diuini oracula verbi
In patriam ſæui reuocare catharmata mundi,
Et tandem ad cœlum ſpretis euadere terris
Ante patrem æternum Chriſto ducente triumphũ.

ESAIÆ I.

VEſtra licet ſupent ipſum delicta ruborem,
Purpura quem cocco tincta madente refert,
Imbre tamen dulci diuinæ ſparſa ſalutis,
Sithonia fient candidiora niue.

DE

DE VI ET EFFI-
catia orationis.

Quisquis in hoc vario vitam discrimine rerũ
Carnifici lugens hospes in orbe trahis:
Si modo non animum despondes, si modo vero
Agnoscens gemitu numina vera colis,
Nulla adeo est atrox vllo violentia casu,
Quæ rebus veniat pernitiosa tuis.
Fide Deo & contra fortunam audentior ibis,
Omnibus oppressos liberat ille malis.
Quid quod & inuitat? quid q̃ sese omnibus offert?
Et patrio cunctos motus amore vocat?
Quisquis in aduersi iactaris turbine fati,
Et malè difficili tempore pressus habes,
Ad mea suspira sublato numina corde,
Ipse tibi p̃sto tutor & vltor ero,
Ipse ego te ereptum medijs seruabo periclis,
Omnibus ærumnis, me duce, liber eris,
Sic ait, æquæui facunda per organa flatus
Ipse boni & veri fons & origo DEVS.
Quæ vox? q̃ harmonicis chelys argutissima neruis?
Quis sonus hoc poterat dulcior esse sono?
Ecce cruoriuori premeris sub lege tyranni,
Vincula vel sæuo captus ab hoste geris,

Aut tibi ieiunas ſtringit penuria menſas,
Aut vaſtat patriam peſtis acerba domum,
Aut menſuræ expers, immanis bellua, bellum
In tua non merita tegmina clade ruit:
Aut tibi ſubiectis tollunt bona patria flammæ,
Impius aut partas miles ademit opes,
Protinus auxilium, ſolatia, robur habebis,
Orabis puro ſi modo corde DEVM.
Dum loca bis quatuor Moſes per inhoſpita luſtris
Iuſta Deo addicto milite bella gerit,
A populo quoties pœnam ruditate merenti
Deflexit precibus dira pericla ſuis?
Angelus Achacidæ precibus legatus in hoſtem
Agmina diuina delet iniqua manu:
Fauce ſiti preſſa precibus fortiſſime Samſon
Es ſubiti puras fontis adeptus aquas.
Obruit ignita tres in fornace precantes,
Sæua ſed illæſos perdere flamma nequit.
Aſſeruere preces fœuorum ex ore leonum
Innocuum vatem Mede Darie tuum,
Saphatidi Syriæ nec quicquam vincla tyrannus,
Dum facit is puro pectore vota, parat.
Liberat è Cete fidentem oratio Ionam,
Dum firmo in medijs pectore fidit aquis.
Per mare iactatus, terræq; pericula Paulus
Ad Dominum fuſa vincit vbiq; prece.

Fracta

Fracta cadunt manibus confiſo vincula Petro,
Dum læto auxilium prædicat ore DEI.
Quid tamen exemplis opus eſt? exempla petenti
Quælibet oſtendit millia multa dies.
Nonne Deus nobis menſas ſpectantibus auget?
Conſecrat adpoſitas cum pia lingua dapes.
Nonne hominũ numerus ſata grana æquare vide-
Quæ pius agricolæ miſit in arua labor? (tur
Plena tamen mirè diſtendunt horrea meſſes,
Præſentemq́ docet copia larga Deum.
Quod ſi idem fieri Geticæ cauſabere genti,
Aut ſi qua eſt alibi gens aliena Deo,
Næ data præſentis dum carpit commoda vitæ
Ante Deum æternis eſt caritura bonis,
Vt caſta vult mente coli precibusq́ vocari,
Sic negat oranti munera nulla Deus.
Tu modo ne tempus votis præſcribe vocato,
Sæpè Deus differt, quæ citò facta nocent.
Ipſi tota tuæ ratio eſt notiſſima vitæ,
Arbitrium voti finiet ipſe tui.
Nec peregrinanti vox irrita mente feratur,
Nec ſonet ignaro pectore lingua preces.
Heu cæcos animis, ſuaq́ in mala ſponte ruentes,
Quos res à memori diſtrahit vlla prece.
Aut qui dum fuſè, ſic re cogente, precatur,
Tam ſanctam trepidi rem dubitanter agunt.

Ethnicus ignotis ſic diuis concinit Orpheus,
Sic hymnos dubio ludis Homere ſono.
Vox concors cũ corde ſonet, mens pura precetur,
Et veniam in ſolo quærat, opemq́ Deo.
Mens humilis, culpæq́ dolens, fidensq́ ſalutis,
Ardua perruptis nubibus aſtra ſubit,
Per mediatorem firmans veſtigia Chriſtum,
Non aliter compos, quod cupit, illa feret,
Ipſe Deo præſto eſt, & proximus omnibus illis,
Qui vera faciunt agnitione preces,
Illum adeo vero quicunq́ verentur amore,
Omnia gauiſi quæ voluere ferent.
Vt ſe ſaluifici patefecit munere verbi,
Sic ſibi vult proprio ſolus honore coli,
Nec cultum agnoſcit quem Chriſti gloria neſcit,
Illius oratus nomine cuncta dabit.
Ergo ſuis ſubeat ſua fata furoribus orbis,
Quem iuuat à vero ſemper abeſſe DEO,
Cladibus inuoluant inſanæ hæc tempora mentes,
Omne auſit regni dira cupido nefas,
Te pater inuicti ſacro cum numine Chriſti,
Mente fide plena te voco viue DEVS.
Qui te ſaluifici manifeſto munere verbi
Perſpectum populis omnibus eſſe cupis.
Et velut è ſpeculo, tua quæ ſit vera voluntas,
Præcipis ẽgnati diſcere morte tui.

A te

A te vera ſalus, tu tanto in turbine rerum
Auxilio ſerua meq́ meosq́ tuo,
Neue animum rapiat ſecum ſentina malorum,
Da mala pacata publica mente pati.
Et caput diro pugnat cum corpore fato,
Et rapit infantes ſæuus in arma furor.
Paruulus iſta tuus trepidè grex prælia ſpectat,
Et fieri in pœnas talia cuncta dolet.
Heu multos belli vis impia raptat eorum,
Qui ferro certè non meruêre mori.
Vt volutans rupto violentus ab aggere torrens
Cum pecore innocuas flumine tollit oues:
Sic latè extendens crudelia brachia bellum
Verſat in innocuas publica damna domos,
Ah quam ſancta tui fœdatur gloria verbi,
Dum dicta mauors facta nefanda facit,
Aure DEVS placida gemitus admitte tuorum,
Et dubijs certa conſule rebus ope.
Obiectas arce nebulas, & nubila pelle,
Quæ verbo inducit vis manifeſta tuo
Impia mordaces conantibus injce frenos,
Nominis extinguant ne monumenta tui.
Ne cogant propriam nos abiurare ſalutem,
Quæ ſola gnati morte parata tui eſt,
Sed tu iam Chriſti famulatrix Muſa potentis,
Siſte querelo ſum, fineq́ claude melos.

Cor ſine ſpe plenũ expectet, quod lingua precatur,
Sic DEVS oblato munere largus adeſt.
Fiſa DEO cupidum firmet patientia pectus,
Omne malum in Chriſto, ſi patiare, leue eſt,
Chriſte potens mundi domitor, rex maxime regũ,
Auxilio foueas meq; meosq; tuo.
Tu potes in medio pacem donare tumultu,
Vt nuſquam mentis ſentiat arma quies.
Naufraga delirans ſubeat ſua tempora mundus,
Sacra mihi præſens anchora Chriſtus erit.
Hoc duce ſæuorum Pelagus ſuperabo malorum,
Iam valeat mundus, tu mihi Chriſte faue.

DE EFFICATIA
fidei Chriſtianæ.

IN dubio pugnans dum mens diſcrimine quærit
Sit ne ipſi curæ, ſit ne relicta DEO.
Iamq; DEVS lucem verbi ſubducit & aufert,
Iam reddit varias continuatq; vices,
Et de more patris, timida cum prole iocantis,
Cor tremere ambigua ſpeq; metuq; facit.
Non alia eſt ratio, contra quæ viribus armet,
Quam valida ſupplex vox repetita fide.

Mi

Me licet occidas, tua ſum, tua dicar oportet
Per gnatum ſoboles morte redempta tuum.
Verus in hoc vitam mihi p̃ſidiumq; dediſti,
Promiſſi nequeunt fallere pacta tui.
Fons vt es immoti, virtus vt viuida veri,
Sic oris neſcit fallere lingua tui.
Omnia vt opponas, fidei te robore vincam,
Sæpius hac etiam victus es ante Deus.
Hæc vbi non dubio depromi pectore ſenſit,
Incipit ad pugnam ſegnior eſſe Deus.
Et quaſi iam victus fidentis robore cedit,
Crede mihi, hæc vis eſt vnica grata Deo.
Sic pugnante fauens cedit Cananitide Chriſtus,
Et firmam pleno p̃dicat ore fidem.
Dixerat huic, canis es, turpe eſt, nec more receptũ,
Erepto pueris paſcere pane canes,
Illa ſed audenti fidei certamine pugnans
Strinxit in aduerſas reddita tela minas,
Ecce micas etiam trito de pane catelli,
Copia quas menſi ſpargit herilis, edunt.
Sim canis, at liceat paſſim fragmenta catellis
Debita quærenti ſumere Chriſte cani.
Huic DEVS applaudens, tua me fiducia vincit,
Fiat, vt ex animo conſcia credis, ait.
Sic qu c inq; malis, quicunq; doloribus æger
Difficili certam tempore poſcis opem.

Exue qui mentem vitiat, precibusq; profundis
Non dubitam casto pectore iunge fidem.
Iude Deo quamuis duro constanter adhære,
Fidentem nescit deseruisse Deus.
Ipse fidem firmat, nutu volet ipse volentem,
Quoq; queat vinci præcipit ipse modum.
Nonne vides paruo de semine surgere plantam,
Quæ sæpè ingentes tollit adulta comas?
Sic crescit teneræ surgens fiducia menti,
Dum Deus adflatu cor fouet ipse suo.
Ergo Deum precibus superare assuesce, fideq;,
Non alia iratus vincitur arte Deus.

PRECATIO REgis Ioſaphat ex libro II. Paralipomenon capit. 20.

DVm nos aucta malis miseros atrocibus vrgent
Tempora plena dolis, tempora plena minis,
Siue manet pressis diri violentia belli,
Quæq; abolet pacis vis inimica decus,
Seu crudele grauat falsa nos lege tribunal,
Damnat & immeritos vox violenta reos.
Siue leues atris exurit febribus artus,
Seu terit exanguis viscera sicca fames,

Mitis

Mitis ab his terris gemitus pater accipe noſtros,
Mandati ſonuit vox vbi clara tui.
Hic quoniam longo tua gratia munere fulſit,
Factaq́ per nomen vota fuere tuum.
Da DEVS in te vnum ſyncero pectore fixi,
Intrepidè faciem ſtemus vt ante tuam.
Et niſi nos merita tua gratia deſerat ira,
Stabimus, inq́ tua vota feremus ope,
Fundemusq́ preces fido clamore ſonantes,
Vt tanti auertas triſtia fata mali.
Et tu reſpicies miſeros, dubijsq́ benignam
Rebus opem, patria pro pietate feres.
Ecce dies & tempus adeſt, quo feruidus hoſtis
Irruit, & ferro viſcera noſtra petit,
Deleat vt grata pulſos è ſede colonos,
Munere quam tenuit noſtra propago tuo.
Ne patiare Deus graſſare impunè tyrannos,
In nomen ducunt qui fera bella tuum.
Et quia tanta nequit noſtro vis Marte retundi,
Et ſuperat noſtras copia tanta manus.
Dum mens noſtra graui caligine merſa laborat,
Nec bene quid deceat pectora cæca vident,
Ad te oculos fixos animo fidente leuamus,
Tu gemitus audi votaq́ noſtra Deus,
Tu rege conatus, tu robora mentibus adde,
Vt tibi, quod facimus, omne probetur opus.

CARMEN

CARMEN SAPPHI.

cum pro remiſſione pec-catorum.

Mollibus nati pater vt labellis
Oſculum figens, animum calentem
Pandit, & dulcem ſimul afflat alti
Cordis amorem.

Sic tuam in Chriſto ſobolem redemptam
Et foues mitis Deus, & paternæ
Mentis aſpirans animam benigno
Numine ſeruas.

Illud, æternum patris atque nati
Robur exercens recreata verbo
Erigit, fulcit, renouatq; ſancto
Pectora motu.

Neſcit humanum genus omne, neſcit
Eloqui mundus tua quam ſit ampla,
Et ſinu terræ bonitas, & alto
Maior olympo.

Candidè iuras, ego triſte nolo
Funus errantis, redeat ſed vltrò
In viam, & veræ placido fruatur
Munere vitæ.

En ego infectæ vitiosa matris
Vlcera, & sæui sanuem Draconis
Pertraho mecum, propriaq; mersus
Sordeo culpa.
Audio sanctæ pia iussa legis,
Cæca sed torpet mihi mens, voluntas
Frena formidat, tumido repugnat
Viscere pectus.
Et tamen riuos lachrymor fluentes,
Percitus vero quatior dolore,
Pœnitet culpæ, veniamq; toto
Pectore ploro.
Cede virtutis sapientiæq;
Dignitas omnis, opera & labores
Factaq; Heroum, tumidæq; Regum
Cedite vires:
Tu mihi dextram pelago natanti
Porrigis, mortis domitor, tibique
Christe fidenti veniam & salutem
Suggeris vltro.
Cum voles ergo moriar triumphans,
Et tuis hærens humeris beatæ
Regna conscendam mihi parta vitæ,
Christe redemptor.
Nunc mihi claudant oculos amici,
Nunc meos condant cineres sepulchra,

Nunc

Nunc mori dulcis fuerit voluptas,
Mors mihi lucrum, Amen.

PRECATIO PRO
Conseruatione verbi diuini.

SErua Deus verbum tuum,
Et frange vires hostium,
Qui Iesum filium suo
Turbare conantur throno.

Ostende nunc potentiam
O Christe Rex regum tuam,
Defende paruulum gregem,
Qui te fatetur Principem.

Viuificator Spiritus
Concordiam da cordibus,
Ades periclitantibus,
Cum morte conflictantibus.

Alia.

Da DEVS lætæ bona sanctæ pacis,
Quæ vacet vitæ studijs honestæ,
Debito semper tibi quæ timore
Seruiat vni;

Pax

Parce fœcundè recoluntur artes,
Et vigent vrbes, populiq́ leges,
Omnis & virtus pietasq́ vero
Claret honore.
Pax vbi non est, ibi nil honesti
Sed iacent leges, silet inter arma
Quicquid est sanctum pietas, & omnis
Languet honestas.

Alia. Erhalt vns HErr etc.

Asfere nos verbumq́ tuum Deus optime serua
Et rabiem Turcæ, pontificumq́ preme.
Qui tecum æquali regnantem fœdere Christũ
Conantur patrio p̃cipitare throno.
Da pacẽ, defende tuos Deus, tibi semper vt omnis
Posteritas laudes hîc & vbiq́ canat.

PRECATIO AD *Deum Patrem in tempestate fulminum*

Conditor rerum, sapiensq́ rector
Vindicis nostri pater alme Christi,
Cuncta qui nutu patrioq́ præsens
Numine comples.

Densior

Denſior fumis gelidisq́ nimbis
Reddit incluſo ſonitum vapore,
Et Notho miſcens tonitru ſequaci
Fulminat aër.

Quis fragor? Quo nam veniens Magiſtro
Maius humano imperium furore
Monſtrat, & reges trepidos, & altas
Territat vrbes?

Tu moues fulmen ſimul & coherces,
Imperas ventis DEVS, & gubernas
Quicquid & tellus, gremiumq́ terræ
Suſtinet aër.

E tuis actis homini negatis
E micat virtus tua & altitudo,
Et tuam ex ipſo validam notamus
Fulmine dextram.

Vidimus Salam trepidi retortis
Rura ſorbentem violenter vndis,
Vidimus fuſco ſemirupta telo
Tegmina lambi.

Sic pater proli ferulam merenti
Monſtrat, vt viſo reſipiſcat ictu,
Signa commoti tremimus parentis,
Parce precamur.

Parce delictis vitijsq́ noſtris
Durter læſus moderare pœnam,

Cæca ventoſæ grauiter dolemus
Crimina culpæ.
Spiceis ſurgant ſegetes ariſtis,
Vineæ læto tumeant falerno,
Et tuæ teſtis bonitatis, omnis
Rideat hortus.
His bonis grato ſtudio vt fruamur,
Tu regas cœtus miſeros, tuiq;
Diuitem aſpires cupidis amoris
Cordibus auram.
Non agri tantum pabulo feracis
Viuimus, verbo ſed & efficaci
Quod tuo miſſum omnipotens creator
Exit ab ore.
Vim tui verbi placidè ſonantis
Hauriant aures, teneantq; mentes,
Et tibi viuo fidei facultas
Ferueat æſtu.
Da probos mores docili iuuentæ,
Da pijs Muſis generoſa pacis
Tempora, vt vero tibi vera conſtet
Gloria cultu.

QVERELA PIO-rum de Tyrannis, qui trucidant pios Sacerdotes.

Omnia perpetua qui maiestate gubernas,
Cuius ad incessum cuncta creata tremunt,
Qui sola populos hac conditione creasti,
Vt te non ficta religione colant,
Qui populos habitans inter tua verba pfessos,
In te fisa pia corde tueris ope,
Innocui p̃sens qui deniq; sanguinis vltor
Ferre diu nescis impia facta DEVS,
Aspice quæ iactent adflictos fata ministros,
Tradimus inuicta qui tua verba fide.
In nos consurgunt gaudentes cæde tyranni,
Vt verbi impediant dogmata vera tui,
Incensiq; odio, sæuaq; libidine cæci,
In nos horrendi tela furoris agunt,
Hic gladio, hic laqueo, sæuis hic suffocat vndis,
Et nostræ non est vna figura necis.
Nec satis est iugulare, sed est mactare voluptas,
In moremq; abijt cæde lauare manus.
Ecquid adhuc lentus iustam non surgis in iram,
Et potes hæc in te ferrea corda pati?
Ecquid adhuc memor es Deus expectate tuorum,
An tuus hic in nos languet & aret amor?
Non ita sed iusto circumspicis omnia vultu,
Et te quod fallat nulla tyrannis, habet,
Iusta rebellantes tua conterit ira tyrannos,
Vt pedibus figulus terrea vasa terit.

Tu

Tu trepidos iusta fudisti cæde Philistros,
Impia qua populis arma tulêre tuis.
Mersisti tumidis cæcum Pharaona sub vndis,
Traijcerent populi cum vada sicca tui,
Es quoq; Arimotheos lapides iaculatus in hostes
Quos Iosue forti contudit ense tuus.
Impius occubuit gelidis Maxentius vndis,
Putribus Herodes lendibus esca fuit.
Persica Iuliadem blasphemum sica pemit,
Constricto pœnas Commodus ore dedit.
Tu nostris animis inuictos inseris ignes,
Cordaq; das omnes vincere docta minas.
Te duce ridemus rigidæ tormenta catastæ,
Te duce supplicij spernimus omne genus.
Tu facis vt medio mortem aspernemur igne,
Vt leue sit nobis, quicquid vbiq; graue est.
Da vires animis, da nescia pectora frangi,
Vt nusquam libeat cedere magne DEVS,
In cœlo recipit fuso pro sanguine vitam,
Militat inuicta qui tibi Christe fide.
Ilia blasphemis rumpantur vt ipsa tyrannis,
Vt sine fine odij sæuiat iste furor.
Illuc sola fides postrato corpore migrans,
Fida comes mentis non morientis abit,
Tartara Pontifices, crudeles tartara Reges
Accipient, iustos cœlica regna manent.

Sic volo, sic iubeo, Deus inquit, & ista tyranni
Nullo adeo ferro verba abolere queunt.
Totius exitium subitura est machina mundi,
Non est veridici vox peritura DEI.
Quid vos vlterius iuuat insanire tyranni?
Respicite, à tergo pœna luenda venit.

ΕΥΧΑΡΙΣΤΙΚΟΝ PRO LIberatione ex tempestate marina ex 2. Cap. Prophetæ Ionæ.

ANxius in dubio Dominum mœrore vocabã,
Admiserum vultum rettulit ille preces,
Clamabã rapidæ vasto de ventre Carybdis,
Accepit placida supplicis aure sonos.
A te summe Deus tumidas deiectus in vndas,
Iactabar medijs naufraga præda vadis.
Me super horrisoni miscebant plia fluctus,
Quassabatq; graues murmure ventus aquas,
Ipse mihi irasci tua numina sancta putabam,
Velle nec vlterius te meminisse mei,
Spem mihi sancta tui repetendi limina templi
Non aliqua hîc ratio, quæ peperisset, erat.

Vndiq

Vndiq; me tumidum p̃cinxerat agmen aquarum,
Vel abatq; meum muſcus & alga caput,
Nunc me credebam ſub fumida tartara mitti,
Nunc tolli nitidi rurſus ad aſtra poli.
Iam loca diſruptæ delapſus ad infima terræ,
Non aliquid vacuæ rebar adeſſe viæ.
Non erat auxilium, non ſpes erat vlla ſalutis,
Viſa ſed ante oculos mors volitare meos,
At tibi non viſum eſt vt præpete morte perirem,
Omnia qui ſeruas, magne, creata, DEVS.
Hanc mihi ab iuſtanti ſeruaſti funere vitam,
Optatæ reſerans molle ſalutis iter.
Non ꝑperare tui voluiſti fata miniſtri,
Impediens auidæ lugubre mortis iter.
Vox mea celſa tui penetrans ſacraria templi
Te miſeris mitem ſentijt eſſe DEVM.
At nimium vani quicunq; pericula vitæ
Humana tolli poſſe putatis ope,
Rebus in aduerſis hominum vos robore freti,
Creditis haud aliquem qui iuuet eſſe DEVM,
Nil vobis dextrè ſuccedit, & omnia turbat
Vos quoq; in extremo linquit agone DEVS.
At tibi ſacra feram gratam teſtantia mentem,
Perſoluamq; tibi debita vota DEVS,
En tibi ſancta tuas p̃conia faſſus ad aras,
Perpetuus meriti debitor huius ero.

MEDITATIO
paſsionis Chriſti.

(ſci,

NAte Dei, humano dignitate in corpore na-
Dū mea, dū mundi crimina Chriſte geris,
Has tibi nūc lachrymas lacerato è pectore fundo,
Hos tibi nunc gemitus corde dolente fero,
Dum cruce pendentis tua me pterret imago,
Horrida dum mortis cogito ſigna tuæ.
Nam quia tu plagas p me mortemq; tuliſti,
Sim lapis, hic ſi non me premat iſte dolor.
Ah doleo, & ringor, me ppter talia paſſum,
Me propter diram te ſubijſſe necem.
Ipſe tibi inflixi colaphos, tibi vulnera feci,
Ipſe fui mortis pxima cauſa tuæ.
Ipſe ego ſic angi merui, cædiq;, moriq;,
Ipſe meo perdi crimine dignus eram.
Quo miſer effugiam, pollutæ crimine vitæ
Degener, inq; ipſum beſtia ſæua DEVM?
Ecce Deus, viuo qui condidit omnia verbo,
Quæ natura ſuo continet ampla ſinu,
Qui fouet immenſi ſtellata volumina cœli,
Atq; opus hoc nutu maximus omne regit,
Obrutus impuri ſcelerato crimine mundi,
Infami patiens de cruce pendet homo.

Proh

Proh dolor, huius ego pars non pauciſſima culpæ,
Quo miſer exitio tale piabo nephas?
An precor, vt ruptæ rapiant me tartara terræ,
Aut miſerum pota ſorbeat amnis aqua?
Deleat aut rupto vitalem è pectore fontem,
Aut iugulum ſtricto ſoluat vt enſe manus?
O miſerere Deus miſeri, fons viua ſalutis,
O nunquam immenſa fons bonitate carens,
Ne pculirato damnatum proïce vultu,
Ne ſine cor propria labe perire meum,
Proditor auerſo deſperet pectore Iudas,
Suſtineat dubitans ſponte pire Cain,
Ipſe tui imploro veſtigia pronus amoris,
Spero voloꝙ etiam perditus eſſe tuus.
Cede furor, flagrum ſtimulantis cede doloris,
Cede procul quidquid cor dubitare facis,
Tu quoꝙ quæ pprijs confidere viribus audes
Plena ſuperſtitio crimine, cede procul.
Fixa mihi in ſolo eſt conſtans fiducia Chriſto,
Quo ſine peccati nil niſi maſſa ſumus.
Pœnitet ex animo, notæꝙ renuncio culpæ,
Et cupio motu cor renouante frui.
Fixus & ex humeris ſaluantis pendeo Chriſti,
Solus is è cœlo venit, eòꝙ redit.
Me tua ſine carens bonitas, mellita voluntas
Fraternusꝙ tuus Chriſte redemit amor.

Tu me faſce leuas, tu fontem crimine ſoluis,
Tu regni hæredem me facis eſſe tui,
Hinc lachrymas dolent lætæ mihi gaudia mentis,
Viuo tua pectus luce nouante meum.
Viuo, nec horreſco minitantis ſpicula mortis,
Nec metuo infeſto tutus ab angue mihi,
Sed tecum lætus ſuperata morte triumpho,
Et tecum victo regno Dracone Deus.
Da Deus hoc etiam, quoniam via pna cadendi eſt,
Vt poſsim immota mente manere tuus.
Ne natura pcax, vani aut petulantia mundi
Per loca me turpi deuia fune trahat,
Cur valet heu hominum tam firmis viribus hoſtis,
Ille vno miſcens tempore mille dolos?
Qui velut eſuriens clauſum lupus ambit ouile,
Circuit, & ſicca ſæuit vbiq; fame.
Hunc animis contra quo poſsim ingentibus ire,
Lux mihi ſit verbi ſemita certa tui.
Da veluti ternis amplexibus annulus hæret,
Quem tamen in ſimplex forma cathenat opus,
Sic eadem cum mente mihi, cum corde voluntas,
Fiſa tibi, ſtabili ſeruet amore fidem.
Da tua non dubio teneam veſtigia paſſu,
Et crucis vt fiam dulcis imago tuæ,
Sponte malũ fugiam, quod longo errore vagatur,
Et ſanctos etiam fallere ſæpè ſolet.

Et ca

Et caueam cauſas peccandi, & quicquid agendū
Officij, pagam pro ratione libens. (eſt
Condonemq; alijs temere exercentibus iram,
Et nulli illicita ſim leuitate grauis.
Sic tuus hoc miles Veſani in turbine mundi
Euoluam vitæ tempora certa meæ.
Exuuias donec deponens corporis huius
In tua ſaluificæ regna quietis eam.
Tunc veram cernens ſenc cum Simeone ſalutem
Lætus eam cygnus funeris ipſe mei,
Et vitam æterni donatam in munere regni
Chriſte tua tecum luce ſuperſtes agam.

AD IESVM CHRIſtum pro ægrotante filiolo.

CHriſte puer naſci noſtra dignitate figura,
Nobiſcum gaudes qui Deus eſſe puer.
Qui regnum pueris cœleſte infantibus offers
Corq; adeo nullum, ni pereſcat, amas.
Ecce meus mecum te poſcit Honorius infans
Languidus, humana non recreandus ope.
Ille tuum vt vero nomen celebraret honore,
Hoc tecum ex icto fœdere nomen habet.

Ægra laborabat vicini tempora partus,
Militiæ coniunx fida minis̄tra ſuæ.
Spemq; metumq; inter palmas ad ſydera tendens,
Fundebam crebras corde tremente preces.
Inq; vno nutus cœleſtis amore quieſcens,
Vltima claudebam talibus ora ſonis:
Haud nobis Domine, haud nobis debẽtur honores,
Perpetuo eſt dignum nomen honore tuum.
Te mihi dante recens qui nunc naſcetur, honori
Debebit ſpecimen nominis omne tuo.
Hæc ita dum meditor, læto noua gaudia nutrix
Nũciat, es nato ſuauiter auctus, ait
Fontis aqua viua verbi virtute lauandus,
Offertur vigili dum tibi Chriſte fides,
Nomen & inde bonum ſuſcepit Honorius omen,
Vt caneret vero nomen honore tuum:
Quid meritus miſer eſt, ſpacium quod parcius aui
Quam pueris alijs debeat eſſe meo?
An mortem ætatis primo ſub flore ſubibit,
Me reus immundo quod patre natus homo eſt?
Ecce omnes maſſa vna ſumus, quoſcunq; parentes
In lucem humano pgenuêre modo.
Vaſa tamen veniæ, vitæ ſibi diligit autor,
Officio quorum gaudet vbiq; Deus.
Organon hic etiam diuino p̄ſtet honori,
Cur hominum toleras plurima monſtra Deus?

Viuat

Viuat & ore pios celebrans & pectore cultus,
Omne tuum discat Christe docere decus.
Quod si aliter statuit iampridem augusta voluntas,
Qua patrem & matrem mutuus vnit amor:
Non ipsi inuideo cœlum, quod possidet ante
Iure tuo, fratrem quo facis esse tuum,
Fiat, quod voluit, qui terram & sydera fecit,
Vera salus, quidquid vultq; facitq; Deus.
Da Deus hoc vnum, vt nunc in amore quiescens.
Tranquilla sileat cor tibi mente meum.
Cur anime horrescis? non oppugnaris ab hoste,
Et mouet, & ludit, dum mouet arma, DEVS.
Vt pater, adfligis Deus, at non pdis alumnos,
Ringeris, & nunquam desinis esse pater.
Quod dolet exiguum est, plus est quod tristia lenit,
Temporis ira tui est, gratia sine caret.
Te quoq; à morte puer nup reuocante reuixit,
Qui nunc ægroto corpore strata premit.
Vera tibi dicant gratæ pconia gentes,
Tu vitæ imperium, tu quoq; mortis habes.
Et sumus, & tecum tua pars sine fine manemus,
Seu tibi nos placeat viuere, siue mori.

ORATIO IN ITI-
nere facta inter equitandum.

Dum

Dvm peregrè hinc abiens nõ vana negocia ſe-
Me p̃ſens oculo dirige Chriſte tuo, (ctor,
Et dulcem ſobolem chara cum cõiuge ſerua
Filiolos pariter, filiolasq; duas.
Quanto etenim cœli ſuperant faſtigia terram,
Aëre quæ medio penſile fertur onus:
Tanto maior amor tuus eſt, quàm cura parentum,
Quo tibi complecti dedita corda ſoles.
Ecce licet tenebris mihi mens infirma laboret,
Non tamen infirmus te ſimulanter amo.
Non ego cum Roma defunctos inuoco diuos,
De venia dubitat quæ tremebunda tua.
Irrita nec ſtultis ſuffragia colligo votis,
Non opere affecto poſſe placere meo.
Sed culpam agnoſco, morbumq; euellere pugno,
Cumq; boni multum diſputo, p̃ſto nihil.
Ergo tuum arripiens ardenti pectore verbum,
In merito pono ſpemq; fidemq; tuo.
Teq; ſcio ſolum miſeris p̃ſtare ſalutem,
Et veniam culpæ ſub cruce quæro tua.
Solus enim mortem domuiſti, acrumq; Dracone
Hæc ꝓpria, hæc meriti gloria vera tui eſt.
Natus homo, vt p̃ſto miſeris mortalibus eſſes,
Placaſti iratum victima grata DEVM.
Tartara duxiſti pulchro captiua triumpho,
Inuictum referens victor ad aſtra decus.

Exu

Exuuias mortis, ſpoliatiq; arma Draconis,
Ponis ad æternum parta trophæa patrem.
Participesq; cupis tanti nos eſſe triumphi,
Donaq; militiæ ſpargis vbiq; tuæ.
Languet vt attritus plagis pulſantibus anguis,
Trita tuo verrit ſub pede colla Sathan.
Aret vt anoſæ ſalicis ſine robore truncus,
Mors languet ſtimulis excoriata tuis.
Cumq; voles prſus moriens occumbit vterq;,
Vt tu ſis viuæ fons mihi ſolus aquæ.
Hæc diſcit ſoboles pſitere & optima coniunx,
Hæc quia ſunt mentis dogmata vera tuæ.
Tolle gradum ſaltu, leuis altam traijce foſſam,
In gyrum celeres verte caballe pedes.
Ilia vel rumpant Sathanæ, plures mihi pſto
Sunt comites circum qui ſua caſtra locant.
Tu Deus auerſa non negligis aure precantem,
Fidentemq; tua me bonitate regis..
Qui peccare timet, lapſusq; reſurgit & orat,
Huic Deus optato numine ſemper adeſt.

PRECES AD Chriſtum.

SVm miſer, & non vlla dolens ſolatia noui,
Sumq; adeo culpæ nil niſi maſſa meæ.
At tu ſolus habes, mihi quæ ſolatia præſtes,
Qui datus es maſſæ portio Chriſte meæ.

Mors

Mors tua Christe mihi vita est, victoria regnum,
Labe mea morior, sanguine viuo tuo.
Tu mihi rex pariter, pariter mihi Christe sacer-
Pro me namq; volēs, munus vtrumq; geris. (dos,
Destruis omnipotēs veteris scelus omne Draconis,
A quo omnis nostri manat origo mali.
Iratumq; tua placas pietate parentem,
Qua tuus in nobis crimina delet amor.
Ergo animam seruato meam, quam morte redem-
E vita gaudes germen habere tua, (ptam
Viuo tibi, moriarq; tibi, tibi deniq; viuam,
Te quia iustifica Christe prehendo fide.

Aliæ.

Solis vt exoptans gemitu desiderat ortum,
Qui facit in tenebris nocte viator iter.
Sic ego turbatæ per tot discrimina vitæ
Te solum cupido pectore Christe voco.
Tu mihi per tenebras mundi succurre vaganti,
Tu mihi fraternam porrige Christe manum.
Res rege Christe meas, quas iusta pfessio poscit,
Ingenium laudi seruiat omne tuæ.
Da placeant casti tibi puro in pectore motus,
Quæq; tibi acceptum cor facit esse, fides.
Dehinc vbi supremam mihi mors adduxerit horā,
Mors placida in gremio sit mihi vita tuo.

LOCI

LOCI SA-
CRAE SCRI-
pturæ.

Hiob. I. Cap.

NVdus in hãc terrã matris ſum lapſus ab aluo,
Quo terra excedam, tempore nudus ero.
Quid grauibus curis ſtudijs quid inanibus angor,
Iam veniet tacito mors quoq; nuda pede.

Eſaiæ I.

NOſtra licet ſuperẽt ipſum delicta ruborem,
Purpura quẽ cocco tincta madẽte refert,
Imbre tamen dulci diuinæ ſparſa ſalutis,
Sythonia fient candidiora niue.

Eſaiæ 69.

Ore Sion querulo ſic eſt formoſa locuta,
Cum quærente Deum mœſta pauore foret,
Ergo reliquiſti me tot mala dura ferentem,
Et memor afflictæ non es vt ante DEVS?
Huic DEVS. An poterit curam deponere plis
Vlla parens partum non miſerata ſuum?

Si tam

Si tam dura tamen, tamq; implacabilis vlla est,
Vt possit sobolis non meminisse suæ,
Ipse tui nunquam mutabo oblitus amorem,
Tu dilecta mihi filia semper eris.
Ecce manu descripta mea tua mœnia seruo,
Vt firma incolumem te statione tegam,
Ecce oculis te gesto meis mihi cuncta videnti
Proxima ceu nunc es, proxima semper eris.

Esaiæ 65.

VT sua qui lustrat prudens vineta colonus,
Dum piger autumni perdidit annus opes,
Cum videt intactum cœlo supesse racemũ,
Vnde queat musti pars quotacunq; premi,
Parcite ait famulis, prouentu numen in illo est,
Hinc aliquis vini sic quoq; gustus erit.
Sic ego qui viua Deus omnia mente guberno,
Cui dolet humani causa pudenda mali,
In morem agricolæ parcens, non omnia perdam,
Iure tamen perdi quæ potuere meo.
Si quis adhuc restat, quamuis vitiosus & æger,
Propitio curæ quem iuuet esse DEO,
Hunc ego seruabo, raram ceu vinitor vuam,
Perpetuò regni pars erit ille mei.

Ex Ecclesiastico Cap. 30.

Nè

Nè teipſum excrucias meditando incõmoda vitæ?
Nec temerè nimio corda dolore coquas.
Namq; hominis vitam blanda dulcedine miſcet
Cor vacuum curis lætitiæq; potens.
Viue tibi potius, longumq; è pectore pelle,
Mœſta graui quidquid corda dolore facit.
Heu perimit multos mens neſcia cedere curis,
Quæ niſi quod doleat nil rationis habet.
Ira necem accelerat, mens impia deterit æuum,
Ante diem canos anxia cura facit.
Mens contenta ſuo, mens non obnoxia curis
Viuit, & hæc dici iure beata poteſt.

Ex eodem Capite 25.

TEr tria ſunt, toto quæ pectore laudibꝰ orno,
Et decimum memori ſemper in ore feram.
Felix qui ſobolem genuit virtutis amantem,
Qua florente animi gaudia vera capit.
Quiq; adeo placidæ traduxit tempora vitæ,
Hoſtibus vt videat fata parata ſuis.
Felix ille etiam prudens cui contigit vxor,
Omnia ciuili quæ ratione gerat.
Quiq; regit certo facilem moderamine linguam,
Vt nihil effutiat quod nocuiſſe queat.
Et quem conditio non cogit ſordida vitæ
Indigni Domini triſte ſubire iugum.

Felix in dubijs qui certum rebus amicum,
Pectore cui toto fidere posſit, habet.
Et qui iudicio rerumq; edoctus ab vſu,
Et cauet, & ſuadet quod ſapientis erat.
Et qui ſic leges viuendi tradit, vt ipſum
Qnælibet in populis auris aperta ꝓbet.
Deniq; quàm felix, quàm magni nominis ille eſt,
Ex merito titulum qui ſapientis habet.
Sed quicunq; Deum timet, & confidit in ipſo,
Hunc laudum titulis vincere nemo poteſt.
Omnia diuini ſuperat reuerentia verbi,
Quiq; DEO vero ſeruit honore, timor.
Hunc qui non dubio complexus pectore ꝑſtat,
Cum quo conferri maximus ille poteſt?

Lucæ 21.

Cœlum & terra tranſibunt &c.

Totius exitium ſubitura eſt machina mundi,
Non eſt veridici vox peritura DEI.

Ioannis 3.

Qui credit in Filium &c.

Hoc caput, hæc ſumma eſt qui nouit fidere Chriſto
Ante DEVM æterna luce ſuperſtes erit.
Fidere qui neſcit non vitæ munus habebit,
Hunc premet irati ſed grauis ira DEI.

1. Cor.

1. Corinth. 15.

Quemadmodum in Adam omnes moriuntur &c.

Vt mors ſæua venit damnati ex fraude Draconis,
Cuius es inſtinctu factus Adame nocens:
Sic abolet mortem victoris gratia Chriſti,
Hinc mihi mors lucrũ eſt, tu mihi Chriſte ſalus.

Ex Eccleſiaſte Capite 3.

Cum DEVS aſsiduo formarit tempora motu,
Omnia quo fiant ordine tempus habent.
Sic pater omnipotens rebus præfixit agendis,
Duceret alternas certus vt ordo vices.
Quæ quia ſæpe malo puertis more iuuentus,
Quid quereris celerem temporis eſſe fugam.
Magna ſui præſtat precioſum impendia tempus,
Qui minimum ex illo perdidit, ille ſapit.

PROVERBIORUM 20.

Vt auris audiat, vt oculus videat
Dominus facit vtrunq;.

Vnde alios doceant homines, diſcantq; viciſſim,
Hoc oculi, hoc aures dantq; iuuantq; decus.

Vt videant oculi, cupidæ moueantur vt aures,
Conditor hoc tribuit munus vtrunq; DEVS.

DICTVM TERtulliani, *Cruor Sanctorum Semen Ecclesiæ.*

HÆc est ingenui natura arcana cruoris,
Impia quo sancti martyres arma lauant,
Plenius hoc Christi felices irrigat hortos,
Quo velut effuso largius imbre fluit.
Inde pijs animis Christumq; animosa professis,
Messe venit surgens vberiore seges.
Dum mactare pios gaudet furiosa Tyrannis
Sæua pios etiam carnificina facit.

DICTVM HILARII.

Cum simus patientes in ignorantia sensuum non conuenit nos esse impatientes in ignoratione DEI.

SI ferimus placidè quod plurima scire nequimus,
Obuia quæ voluit sensibus esse DEVS,
Cur non ferre pia moderati mente velimus
Si decreta DEI nos quoq; multa latent.

MYST-

MYSTERION TRI-
nitatis in Creatione.

Pater condit, Filius exornat, S. Sanctus viuificat & fouet.

Omnia qui verbo motum ſpirante creauit,
Omne Deus ſapiens ordine fecit opus.
Orta pater primis rerum primordia cauſis
Condit, & in nato creſcere gaudet opus.
Nam patris eſt ſoboles, patris eſt ſapientia verbū,
Quod factum eſt hominis patre volente caro.
Hæc pater ô rerum tecum ſapientia vixit,
Prorſus adhuc eſſent omnia quando nihil.
Hæc tecum artificem mundi meditata laborem
Numine adhuc terræ luditin orbe tuo.
Illi homines inter verſari eſt plena voluptas,
Quos regno adiecit membra renata tuo.
At tu miſſe patris natiq; à lumine flatus,
Omnia viuifico mota vigore foues.
Tu cœlum & terram ſparſis amplecteris alis,
Naturæq; tuo dona fauore tegis.
Ergo pater condit, ſed condita filius ornat,
Totum operis ſeruas ſpiritus alme decus.
Da DEVS vt tanta rectè bonitate fruamur,
Nominis in laudem ſedula turba tuam.

SYMBOLVM
Christianorum militum.

CHRISTO SOLI LAVS ET HONOR.

Quantis

CHara Redemptoris Iam Signa Tenentur O-
Reddita quo nobis est duce vera salus
Omnis victori cedat victoria Christo
Nunc tua regna iacent impia, cede BaaL.
Omnis honor Christo, nam iusto tradidit ignI
Hic TE pternens heV anathem A BaaL.

Ezechiel. 33.

SIc ego ppetuo viuarum in numine numen
Imperio æternum viuo vigente Deus.
Non ego delector pereuntis cernere mortem,
Quem facit admisso crimine culpa reum.
Sed volo vt emendans peruersus crimina vitæ,
Imposita melius sub cruce discat iter,
Et mecum viuens æterna luce fruatur,
Qua colit æthereas turba beata plagas.

Ioan.

CHriſte ſalus mundi, qua te pietate canemus,
Paſtorem humano Chriſte pfeſſe gregi.
Nos miſeras dignatus oues, erroribus actas,
Colligis in regni paſcua vera tui.
Primum educis oues tetri ex caligine ſepti,
Hasq; facis cœlo liberiore frui.
Mox gregis eductum tuus ardor obambulat agmẽ,
Singula quo turbæ membra vagantis amas.
Vox tua balantes iucundo colligit œſtro,
Et iuſto optati tramite ducit agri.
Viua tuo feſſis de corpore pabula pbes,
Sanguinis & potas fonte fluente tui.
Sufficis æternæ ſclicia pabula vitæ,
Quin vita paſcis nos quoq; Chriſte tua.
Nec numero ex omni quidquam decedere paſſus,
Opponis vitam p grege & ipſe tuo.
Vtq; piarentur noſtræ mala turpia culpæ,
Factus es irato victima cæſa Deo.
Non opis eſt noſtræ meritas tibi ſoluere grates,
Hei par eſt merito gratia nulla tuo.
Quos dignaris oues, hos tu rege Chriſte redemptor,
Vt iuncti æterno ſimus amore tibi.
Vt nos nota tui ducant veſtigia verbi,
Ne quà abeat rapido pda relicta lupo.

Ecce velut facto campestres agmine turmæ
Vnanimi cunctas fundimus ore preces.
Pastor ades, baculoq; gregem verboq; tuere
Nil deerit nobis tu quia pastor ades.

AD DICTVM CHRISTI, *Quærite primum regnum cœlorum &c.*

DIsce Deum toto venerari corde Iuuentus,
Illius & vero iussa timore sequi.
Cura sit inde tibi ciuilis proxima vitæ,
In patriam inq; homines quæ iubet esse pium.
Sic tibi, quæ cupies, feliciter omnia cedent,
Omne erit & duri dulce laboris onus.
Quære Deum primum, sic omnia diues habebis
Ante homines voti compos & ante Deum.

AD DICTVM *Christi, Ne sitis solliciti, Matth. 6.*

QVam sit p̃sidium humanum sine robore, & (omni
Quæ timida à longe pectora firmet, ope,

Hic

Hic docet hoc ſapiens arcano dogmate Chriſtus,
Sollicitos homines dum vetat eſſe DEVS.
Namq; pater, vigili qui pſpicit omnia cura,
Fidentes alia nos ratione iuuat,
Mente DEO fiſa, tu iuſſo munere fungi
Aſſueſce, Euentum pudus ille dabit.
Hoc illi pprium eſt ſoli, quod mundus & omnis
Ex ſeſe vt capiat ſculpere neſcit homo.
Ille fidem occulto creſcentem numine donans
Auriferi ſimilem fluminis eſſe facit.
Ergo fides animi Chriſtum comprendere docti
O homo ſit vitæ regula certa tuæ.
Nulla tibi deerunt ſic gratæ commoda vitæ,
Nam bona quæ neſcis, ſponte dat ipſe Deus.
Lilia qui nitidis regaliter ornat in hortis,
Et decus ignaris floribus eſſe facit.
Ille bonis omni ſibi ſuccedentibus hora,
Fidentem patria te cumulabit ope.
Hoc ſupra captum eas hominis, ſed diſce vocantè
Fidere, ſic omni tempore diues eris.

DE ORDI-
NATIONE MAGI-
ſtratus & ſubditorum Elegia.

VNde ſacerdotũ genus, et genus vnde potentũ
Quod deceatq; frequens iſtud, et illud opus.
Tum genus unde rudis populi, & ſeruilia corda,
Mobile qua vulgus debeat arte regi.
Sic ego iam pridem non docto carmine ludo,
Dum peragro populos terra Britanna tuos:
Qui legis aut ſordes Bauij, aut mendacia Moeui,
Iactura exigua forſan & iſta leges.
Iam noua principijs facies concreuerat orbis,
Inq; ſuis florens gratia rebus erat.
Ipſe ſua mundus ſub pubertate vigebat,
Omneq; lætitiæ luxuriabat opus.
Progeniesq; ſuas animantia producebant,
Fœmina nec ſterilis, mas erat ullus iners.
Nec ceſſarat Adam proli ſuperaddere prolem,
Inq; ſuo miles munere fortis erat.
Iam noua quærebat ſubeuntinomina proli,
Iam natos numero rettulit Eua ſuos.
Iam qnantum Sobolem, tantũ increbreſcere curas
Ingemuit triſti plena dolore parens.

Vix

Vix tria lustra ierant puerilia tempora mundi
Orta bis octaui tempora veris erant.
Infandum memori uersans sub pectore lapsum,
Sæpè viro inuito tristis Adamis erat.
Sæpè auibus circum, brutisq; dolentibus vnà,
Audita est misera talia voce queri:
Nata mori, longæ quid adhuc traho tædia uitæ?
Lenta trahunt aliquam cur mea fata moram?
Tam temerè æternam quæ amisi stulta salutem,
Supplicij æterni digna dolore fui.
Cur veniam merui? cur post errata nephanda
Me non extinctam prima recepit humus?
Sic ne ego luce fruor, pariã vt mea pignora morti?
Heu potius nulli flebilis opto mori.
Cum subit illius mihi deceptoris imago,
Præbuit infesto qui mihi poma dolo.
Incidit horrendi quoties mihi mentio lapsus,
Perdita nunc dubito sospes an esse velim.
Aspicio quoties numerosi germina partus,
Omnia sunt oculis plena dolore meis.
Heu mihi qualis erat facies post secula rerum,
Acceptum seruant vix tria lustra decus.
Tota perhorresco quoties mea fata reuoluens
Cogito de sobolis posteritate meæ.
Quis dabit huic certas animorum vincula leges,
Quis morum censor, quis reprehensor erit?

Iam

Iam diſcunt ſimulata loqui, iam nectere fraudes,
Hoc modicè monitus pignora noſtra ferunt.
Et tanquam nequeant ſatis hoc adferre doloris,
Accedit curis maxima cura Cain.
Euentu careant, fallantq; ea ſomnia ſenſus,
Quæ doleo media ſæpe videre die.
Fallar, & hoc omen celeres labatur in auras,
Impinget generi dedecus ille ſuo.
Omnia quæ tamen hoc moneat ſuperanda ferendo
Ponitur in ſolo ſpes mea fixa Deo.
Tu Deus hanc nobis vitam, mentemq; dediſti,
Munera quæ mentis ſunt ſimulachra tuæ?
Tu mihi promiſſo releuabis ſemine culpam,
Et pietate tua crimina noſtra premes.
Tu dabis imperij formam, ſanctumq; ſenatum,
Tu facies populis iura, ducesq; tuis.
Hoc etenim memini te nomina dicere nobis
Cum tua dixiſſet, creſcite, lingua potens.
Creſcimus, ipſe tamen vires creſcentibus addas,
Ne ceſſante tua deficiamus ope.
Talibus orabat votis operata pudicis,
Confirmans ſola pectora mœſta fide.
Audijt iſta Deus, nec ſe immemor eſſe parentem,
Ah vbi non meminit ſe Deus eſſe patrem?
Subiectas ſtatuit cœlis iuuiſere terras,
Cordaq; ſollicito mœſta leuare metu.

Feſtus

Festus erat celebris ventura luce futurus,
Qui solet à sexto septimus esse die.
Crastina fixurus montana ad prandia Damas
Alta pharetratus tesqua petebat Adam.
Eua domi interea sua pignora pectit & ornat,
Ad sacra placando ritè ferenda Deo.
Iam labente die, nec enim dum lauerat omnes,
Vicini vt peteret gurgitis ibat aquas
Cum Deus ingrediens medij per deuia campi,
Tendit ad herbosæ tegmina parua casæ.
Hospitis aduentu turbata recessit Adamis,
Causaq; lætitiæ mista timore fuit.
Nec mora verso intro quos lauerat ordine sistit,
Quaq; Deum excipiant relligione docet.
At reliquum vulgus quod adhuc squalebat, et ora
Horrebat multo puluerulenta situ,
In fœno, & sparsæ stipulis abscondit auenæ,
Et iubet ad vultum delituisse Dei.
Iam Deus ingreditur fumosi limina tecti,
Angelus huic comites vnus & alter erant.
Excipit amplexu vultu testata pudorem,
Et præsente Deo pulchrior Eua fuit.
Pone vt erant iussi, subeuntes ordine nati,
Excipiunt flexo poplite quisq; Deum.
Ille dat & dextram teneris, dat & oscula natis,
Et placido humanum consecrat ore genus.

Assidet

Assidet hinc matri, lachrymis ea squalida fusis,
Effari potuit nil, nisi parce Deus.
Parcere se retulit, nec quemquam perdere velle
Pectore qui veniam non dubitante petat.
Et licet ipsorum meritis hoc accidat ipsum,
Vt minus ex animo cedere fata velint,
Se tamen ærumnas, omnesq; leuare dolores,
Et mitem miseris omnibus esse patrem.
Talibus adflictæ memorans solatia matri,
Impubem placido conuocat ore gregem.
Stare iubet grandes, rudiores excipit vlnis
Plena erat angelicis concio tota choris.
Stabat Abel uultu cœli testatus amorem,
Diuinumq; oculis se genus esse probat.
Huic Deus vt recitet mandat precepta parentum,
Incipit hic, linguis cætera turba fauent.
Esse Deum credo, rerum super omnia magnum,
Qui merito nomen mite parentis hebet.
E quo principium, natiuaq; semina ducunt
Omnia, quæ mundi lux spatiosa videt,
Omnia perpetua qui maiestate gubernat,
Quæ rerum tanta machina mole tenet.
Miraq; proponens nobis discrimina rerum,
Omnia qui possit se docet esse deum.
Flumina qui cursu procedere, sydera motu,
Omnia qui certis legibus ire iubet.

Qui ſua temporibus dedit interualla, vicesq́
Omnibus incolumis rebus vt vſus erat.
Qui varias vires diuerſis inſerit herbis
Et varios lætis frugibus ornat agros.
Qui noſtris animis vitales indidit ignes
Exemplum mentis, notitiamq́ ſuæ.
Tanta quibus ducibus per dona agnoſcimus illum,
Perpetuum immenſi numen habere Dei.
Heu mihi cur noſtri violata lege parentes,
Vindictæ irato cauſa fuêre Deo.
Paruerint illi, quam nunc pulcherrimus eſſet,
Humani generis lugubris iſte ſtatus.
Æternæ fuerat fiducia quanta ſalutis,
Quiq́ Deum cupiat noſcere, quantus amor?
Ante Deum læti vita frueremur, & omnis
Conſcius à pauido cederet ore pudor.
Non aliqua adfectus fraudaret iniqua voluptas,
Expers vita omnis criminis iſta foret.
Verum labe carent quæ ſunt diuinitus orta,
Ipſe Satan ſtructor criminis huius erat.
Illius ah quanta eſt, quamq́ inuidioſa tyrannis,
Sæuitiæ finem non habet ille ſuæ.
Sæuiat uſq́ licet, certè eſt robuſtior illa,
Et finem pietas neſcit habere Dei.
In ſolo defixa Deo ſpes noſtra quieſcit,
Sponte ſua miſeris ille recepit opem.

Quos

Quos queat æternum meritis adfligere pœnis,
Hos olim immunes maluit esse Deus.
Seminis ille dedit nostræ promissa parentis,
Triste quod à nobis auferat omne scelus.
Hoc se non meritis cruciatibus offeret vltrò,
Vt pœnas nostra pro leuitate luat.
Et mortem nostram rediuiua morte domabit,
Proq́ fide mercem cœlica regna dabit.
Afficiet pœna, longoq́ dolore Draconem,
Quo suasore parens est mea facta nocens.
Ille fremens, frustraq́ furens ingentibus iris
Insidias odij ponet vbiq́ suo.
Et licet insidias variasq́ excogitet artes,
Non animos aliqua supprimet arte pios.
Ergo furens odio sæuaq́ tyrannide rumpat
Nos erimus summo turba redempta Deo.
Acceptoq́ Dei coalescent pectora verbo,
Inq́ hostem vnanimi fœdere bella gerent.
His Deus inspirans diuini numinis auram,
Victrices vires, armaq́ iusta dabit.
Et licet hic aliquo mutentur corpora casu,
Et pereant fato membra soluta suo:
Certè animi æternæ lucrantes gaudia vitæ
Militiæ tantæ præmia iusta ferent.
Talia sic iussus memorat formosus Abelus,
Ipse Deus nutu singula verba probat.

Hæc

Hæc eadem fratres, eadem retulère Sorores,
Ordinis & ſenſus totius vnus erat.
Tunc Deus à numero quos norat abeſſe requirens,
Turba quid à numero cætera, dixit, abeſt.
Eua petens veniam, ſubito confeſſa rubore
Sordibus his, inquit, ſplendide parce Deus.
Atq; ita ſtraminibus quantum licet expedit illos,
Et properat laceras compoſuiſſe comas.
Increpat & fraudes, & curam obiurgat inanem,
Et Deus ad vultus, inquit, adeſte meos.
Stans Cain impexos fœno impediente capillos
Præſentem intorto ſuſpicit ore Deum.
Lacte rigent manicæ, luent quoq; ſordib. vngues,
Immunda gliſcunt ora punctа manu.
Quem Deus aſpiciens age tu quoq; ruſtice, dixit,
Imbiberis fidei quæ documenta, refer.
Ille diu torquens titubantia guttura, tandem
Non contexta tamen, ſed mutilata refert.
Eſſe Deum credo, qui mundi conditor huius,
A nobis certa vult ratione coli.
Oblatoq; aris placatur munere, curat
Quos amat, & punit quæ malefacta putat.
Ille quidem in ſegetes fœcundos depluit imbres,
Et liquido cultos rore ſerenat agros.
An tamen errores, delictaq; noſtra remittat,
An facili noſtras hauriat aure preces,

Vix ſcio, perpetua poſt hanc de luce videbo,
Extremum cogar claudere quando diem.
Increpat oblitum fidei, temereq́ loquentem,
Et iubet hæc certa diſcere mente Deus.
Tum verò veſtra quoniam de ſtemmate mundus
Impleri, populus debet & eſſe frequens..
Eſt opus vt populos ratio diſcernat & ordo,
Quisquis vt officium norit agatq́ ſuum.
Vt bene diuini ſeruentur dogmata cultus,
Quæq́ mihi iuſtos vos facit eſſe, fides.
Eſt opus in vobis vt ſint qui dogmata tractent,
Et doceant animos de pietate rudes.
Vt ſua diuerſis conſtet concordia rebus,
Vt placido ſemper fœdere mundus eat.
Eſt opus ingenuos vt ſint qui tradere mores,
Et leges alijs iuraq́ ſancta queant.
Sic ait, & Setho cum fratre adpellat Abelum,
Et nudum teneras ſiſtit vtrunq́ comas.
Imponensq́ manus illis, vos conſecro reges,
Et ſanctum vobis inſero numen, ait.
Veſtrûm erit acceptum fidei illuſtrare nitorem,
Et verum cultum notitiamq́ Dei.
Iura dare ac leges, patriæ defendere fines,
Pœna arcere malos, pace fouere bonos.
At Cain impatiens, & qui naſcentur ab illo,
Agnatæ hæredes ruſticitatis erunt.

Horu

Horum munus erit parere, ac iura timere,
Et vestras leges seruitiumq; pati.
Atq; opera vestra diuinum agnoscere verbum,
Præcipuè hoc illos, uos decet istud opus.
Sic ait, angelicis concentibus annuit aër,
Harmonicis resonant terra polusq; sonis.
Inde salutata placido sermone parente,
Cœlesti repetit lucidus astra choro.
Historiam ex illo seri meminêre nepotes,
Forsan erit versu nunc quoq; nota meo.

CARMEN PA-

negyricum de Iohanne Baptista.

ARduus æstiuæ peragrans confinia metæ,
Extendit uitido Phœbus ab axe diem.
Et lux agnifero redijt celeberrima vati,
Cœlica cui nomen gratia mite dedit.
Qua pia conueniens numeroso concio cœtu,
Pectora diuina pascitur historia.
Lætaq; pconem renouantis secula Christi
Intima, quo debent, nomine templa sonant.
O mihi si tardam dignetur soluere linguam,
Blanda salutifluo vis agitata Deo.

Quam cuperem ingenij totas extendere vires,
Exprimerem vt tanti facta decusq; viri.
Nam quo te ore canam, Christi sanctissime vates,
O Iuuenis Domini pco verende tui.
Tu puer vt posses tanta ad certamina nasci,
Natura est alias ferre coacta vices.
Induit arcanam longæua senecta inuentam,
Ignotisq; homini viribus aucta fuit,
Tu sacra venturi sensisti robora Christi,
Matris adhuc grauidæ cum rude pondus eras.
Te prius ætherea quam posses luce potiri,
Obuia pſentis sanxit imago DEI.
Tu prius in miserum missus, quam natus, es orbem,
Venturum vt fieres nuncius ante DEVM.
Tu tuba viua DEI, mortales inter alumnos
Te peperit maius fœmina nulla decus.
Sed neq; tu laudes, nec pmia nostra requiris,
Doctrina est vitæ tota imitanda tuæ.
Ergò bonis veris, ergò cœlestibus armis,
Ergò DEI sola fortiter auctus ope.
Fallacem casto domuisti pectore mundum,
Et quicquid vitij lubrica corda fouent.
Monstrastiq; viam vitæ grauitate seueræ,
Quæ ppius certo ducat ad astra gradu.
Et pprias homini docuisti agnoscere sordes,
Quærereq; ex viuo fonte salutis opem.

Traditu

Tradita de ſolo renouaſti dogmata Chriſto,
Quæ fuerant operum nube ſepulta prius.
Diſcite iuſticiam, atq; erroris linquite morem,
Præſentemq; humili mente timete Deum,
Ecce venit cœlo mortis deſtructor & Orci,
Supplice quem toties voce petiſtis, adeſt.
Ille ſua, veluti patiens qui cæditur agnus,
Delebit veſtrum victima morte ſcelus.
Excipite hunc animis, & tota agnoſcite mente,
Et donum hoc firma dulce fouete fide.
Talibus Abiada natus genitore ſonabat,
In rectam reuocans pectora cœca viam.
Nec mora p̃conis confirmans nuncia Chriſtus
Clarus in humano corpore p̃ſto fuit.
Quà loca ſaxoſis Libani de ſaltibus ortus,
Iordanes placidis ambit amœna vadis,
Hîc ſacer affuſo tingebat flumine vates,
Iunxerat æterno quos noua vita DEO.
Poſſit idem Chriſtus, ſic lex diuina ferebat,
Præſentis monitis paruit ille DEI.
Nec mora, diuini patefactum voce parentis
Eſt populo aſperſis teſtificatus aquis.
Stabat in herboſæ plebs ingens margine ripæ,
Denſus & in circo littoris orbis erat,
Qualis vbi electo dantur ſuffragia regi
Compleuit populi, denſa theatra, globus.

Summa dehiſcentis tum templa patentia cœli,
Mirandum aërea lumen ab arce dabant.
Simplicis & numen ſpecie cœleſte columbæ,
Ad caput eſt viſum, maxime Chriſte, tuum.
Mox patris æterni charum mittentis alumnum,
Audita eſt dulci vox geminata ſono:
Hæc dilecta mihi ſoboles, hic filius ille eſt,
In quo ſunt & erunt omnia grata mihi.
Huic præſtate pias attentis mentibus aures,
Vox huius viuæ plena ſalutis erit.
O decus excellens, & inenarrabile donum,
Quo dare quid maius noluerat ipſe Deus?
Scilicet externis adfecti corpora morbis,
Solliciti medicæ quærimus artis opem.
Qui ferat æterna damnatis morte ſalutem,
Pandat & indignis ſydera, ſponte venit.
Et quotus huc talem venientem agnoſcit, vt vltrò
Suſcipiat quali pectore dignus erat?
Dum terimus vanam falſa inter gaudia vitam,
Et leuibus curis otia magna damus.
Dum iuuat immemores patriæ vitæq; beatæ,
Naturam autori ꝓpoſuiſſe ſuo.
Quinetiam è medio fatis tolluntur acerbis,
Simplice qui prauos pectore recta monent.
Vt cum populea fati ſecura ſub vmbra,
Daulias artifici concinit ore melos.

Occupat

Occupat insontem vicinus in aëre Nisus,
Et curuo lacerans impius vngue necat.
At nos magnanimi moueat constantia vatis,
Impia cui mortis fœmina caussa fuit.
Non illi effregit pectus sublime Tyrannis,
Assereret forti quo minus ore Deum.
Fertur vt ad patrij vada vitice densa Caystri,
Argutum moriens fundere carmen olor.
Sic vocem sonuit suprema in morte pfessam,
Vnius æterni iussa colenda Dei.
Qui dum pacificum errantes inuitat ad agnum,
Ad cœlum recta sic iubet ire via.
Vt veniam inuenias, culpæ resipisce dolore,
Atq; vni toto pectore fide DEO.
Tum vitam regere, & mores formare memento,
Tota sit vt fidei consona vita tuæ.
Æmulus hæc magni vates ita sparsit Eliæ,
E patris æterni dogmata pmpta sinu.
Quæ seruari aliqua non deprauata necesse est,
Occiduo mundi rumpat vt axe globus.
Felix hæc faciles quicunq; admittit in aures,
Et docilis fida mente recepta tenet.
Non illum ærumnæ, non vlla picula terrent,
Æternæ nescit fata timere necis.
Ergo abeat pigrum pcul omne à pectore frigus,
Ingenuus cœli corda perurat amor.

Et iuuet intrepido ſaluantem pectore Chriſtum,
Cuncta p undoſi ferre picla maris.
Vt deſint vires, vires audentibus addet,
A quo omnis virtus, robur & omne venit.
Ille dat & neruos, conſiſæ & robora menti,
Inter & incolumem mille pericla tegit.
Temperat æſtiui rapidos vt ſyderis ignes,
Lenis ab Arctoa quæ venit aura plaga,
Semina ne ſiccis vrens abſumat in agris,
Cum terram & gelidum torreat igne ſalum:
Sic etiam adflictæ p tot diſcrimina vitæ,
Dum mentes agitant aſpera fata pias,
Mitigat ærumnas diuini flatus amoris,
Et ſeruat cœtus ſemina ſancta ſui.
Tantum ſaluifici normam ne deſere verbi,
Orcifragi miles, qui cupis eſſe Ducis.
Hæc tibi contempto ſeruetur teſſera mundo,
Hæc ſit militiæ lex veneranda tuæ.
Sic DEVS ærumnis tecum lucebit in ipſis,
Tutus vt in media viuere morte queas.
Sydera ſic patrij tranſlatus ad ardua cœli,
Victori pones grata Trophæa DEO.

HYMNVS, DE PVE-
ro Ieſu, quare dicatur Emanuel.

Bruma

Bruma gelu candens feſtum ſolenne reducit,
Quo canitur nato gloria vera DEO.
Chriſte tuus natalis adeſt, quæ lingua docebit
Munera quam meriti ſint celebranda tui?
Non operæ humanæ eſt, res fando euoluere tantas,
Quas notas dulci cum patre ſolus habes:
Attamen è mundi lachrymoſa valle gementes,
Qui tua ſcrutantur facta ſtupenda, pbas.
Scilicet, vt ſobolem his ipſis auctura diebus,
In medijs pendens fluctibus Halcyone,
Nacta locum nidi, quamuis ignara canendi,
Teſtatur gemitu ſe celebrare Deum.
Sic gemitu agnoſcens natalem Eccleſia Chriſti,
Hoc celebrat verum tempore grata Deum.
Et licet acre gelu multorum pectora claudat,
Certa tamen Chriſto turba placere ſtudet.
His pueri præſepe huius venerabile regnum eſt,
His ſummum eſt Chriſtū noſſe & amare bonū.
Felices populos, quorum Reſpublica nouit
Hunc puerum, & notum non ſimulanter amat.
Quos pius inuitat ſua per veſtigia Princeps
Vno vt in hoc cupiant noſſe Deum puero.
His vera eſt inuenta ſalus, hos pnior audit,
Neglecto hoc puero ſurdus vbiq; DEVS.
Plaudat Iò tellus, clangoribus inſonet æther,
Omnia lætitia ſint animata noua.

En puer Emanuël Deus alto missus Olympo,
Accepto nasci corpore gaudet homo.
Qui patris est verbum, p quem pater omnia fecit,
Gaudet in humana viuere carne Deus,
Natus vt abstergat polluto crimina mundo,
Quàm nitet augusto splendidius ore puer.
Ex oculis bonitas diuinos spirat amores,
Et mera de tota gratia fronte fluit.
Mitis in illustri maiestas lumine, spondet
Præsentem miseris omnipotentis opem.
Quis tamẽ hic puer est, quo sanguine cretus, et vnde
Imperium mundi cardine maius habet?
Absorptum vitijs, peccati & sordibus haustum
Humanum vrgebat mors subeunda genus.
Nullus homo ante Deum spem vitæ nouerat vllam,
Quando reus mortis viueret omnis homo.
Caussa mali, à recto declinans sponte voluntas,
Officium veris ausa negare bonis,
Ausa sequi instinctum colubri fallacis, & artem
Hostis abhorrentis nomine regq; Deum.
At Deus æterna lapsos bonitate misertus,
Plasma nece extinctum noluit esse suum.
Quin sese inspiciens æterno in numine viuum,
Et gaudens ppriæ cernere mentis opus,
Mente satum, haud vlla natalis origine, corùm
Aspicit, æterno cum patre numen idem,

Interce-

Intercedit amor, natiq; patrisq; voluptas
Pro genere humano gratia fœdus init.
Ius tegit omne fauor, pœnam clementia tollit,
Stat renouare hominum, stat retinere genus.
Vade, ait, ô fili domitor fortissime mortis,
Et victor Satanæ vade age, victor abi,
Eripe damnati miseros de faucibus hostis,
Quotquot agit mortis culpa nephanda reos.
Agnoscant vitium, culpam doleantq; fleantq;,
Et cupiant motu vertere corda nouo.
Teq; fide amplexi credant delere luendo
Peccati è miseris cordibus omne malum.
Vtq; hominũ quondam prima æua & sanctior ætas,
Agnouit verbi te ratione mei:
Sic coràm fandi, sic coràm causſa videndi
Te notum faciat fratribus esſe tuis.
Namq; meus veluti natus, sic frater es illis,
Noscere qui pura te didicêre fide.
Te solum agnoscant Gratis donare salutem,
Me quoniam laus hæc tota volente tua est.
Dixerat hæc genitor, mora nulla, obedire parenti
Hinc patris hinc hominum gestit amore Deus.
Auolat hinc sanctus diuini flatus amoris,
Cum nato pariter, cum patre numen idem.
Vtq; comes verbi est, sic verbo illapsus, alumno
Hospitium pectus virginis esſe facit.

Concipit

Concipit illa Deum, paritura hominemq; Deumq;.
Sic Deus ex ipsa est virgine natus homo.
Salue sancte puer, tibi cœlum & sydera rident,
Læta tibi plausu terra sonante salit.
Tu patris vt vox es, qua se mortalibus offert,
Sic quoq; nobiscum viuere semper amas.
Diligis humanos cœtus, gaudesq; vocatus
Colloquijs p̃sens semper adesse pijs.
Tu puer alloquio patres dignatus es olim,
Venturum memori qui statuêre fide.
Tu puer vt mundum verbo spirante creasti,
Omnia sic verbo viuificante foues.
Namq; tibi pprium est munus, seruare iuuando,
Pectoraq; afflatu sanctificare tuo.
Nec tantum seruas motus & semina rerum,
Omniaq; arbitrio condita vbiq; tuo,
Influxus Lunæ varios, Solisq; vigorem,
Et terræ gratas Oceaniq; vices,
Sed verè accendis cœlesti pectora luce,
Et flammam fidei iustificantis alis.
Eripis æternæ vindex iam debita morti
Mancipia, & culpæ non finis esse locum.
Quin & in hac vita sæuis obiecta periclis,
Militiæ seruas dedita membra tuæ.
Tu pfugum Mosen duri Pharaonis ab ira
Eripis, astricti per vada cœca maris.

Te

Te ſequitur ſpretus pegrinis exul in oris
Quærere ꝑmiſſos iuſſus Abramus agros.
Ad tua felicem ꝑgit veſtigia curſum,
Diluuio merſum dum vehit arca Noam.
Dirigis ad pugnam gladium Gedeonis & haſtam,
Ieſſidæq; armas ad pia bella manus,
Te velut ergo pia eſt ꝑmiſſum aꝑhenſa vetuſtas,
Inq; tua ſperans tuta quieuit ope,
Sic nos exhibitum merito celebramus amore,
Membraq; nos ſcimus corporis eſſe tui.
Natus enim es nobis, vt nos auferre doceres
E gremio æterni gaudia miſſa patris.
Gaudia damnatis dulcem reddentia vitam,
Cuius es, ô dulcis, fons & origo, puer.
Natus es vt fieres ꝑ mundi victima culpa,
Et pœnam noſtra ꝑ leuitate dares.
Omne tuo patiens peccatum ſanguine deles,
A patre non meritam iuſſus obire necem.
Morte tua abſorbes æternæ ſpicula mortis,
Cuius erat Iuri traditus omnis homo.
Deſtruis infeſti pugnax opus omne Tyranni,
Abſtrahit à vero qui pia corda DEO,
Nec moriens moreris, ſed victa à morte reſurgis,
Et tua ſublimis victor in aſtra redis.
Victor in aſtra redis, tecum captiua triumphans
Agmina, cum toto carcere rapta trahis,

Inde

Inde etiam ſpolia ampla pijs mortalibus vltrò
Diuidis, & meriti præmia iuſta tui:
Iam patris ad dextrã, ſceptra omnipotentis et arma
Ante tibi priſcò debita iure capis.
Hic ſolio fulgens, & maieſtate verendus
Sub ſolio tutos nos tegis ipſe tuo.
Ius tibi defendis, quod proximus aſſeris hæres,
Et ſeruas regni ſingula membra tui.
Quinetiam iratum facilis placare parentem
Dulce ſacerdotis munus obire ſoles.
Aſſiduasq; preces noſtro pro crimine fundis,
Adflatuq; cies pectora noſtra tuo.
Ne perdat ſua culpa reos nil tale timentes,
Iuſtifica viuant ſed tibi corda fide.
Sic puer Emanuël nobiſcum viuere gaudes,
Et Deus & noſtræ conditionis homo.
Das vitam æternam, vitæ fons vnicus illis,
Qui ſcelere æternam commeruêre necem.
Et ceſſamus adhuc cupidis te amplexibus vltrò
Excipere, & teneris oſcula ferre genis?
Oſcula quæ ſapiens pater exigit ipſe moncndo,
Ne noſtro ad pœnam commoueare mora.
Huc ades ô dilecte puer cœtumq; guberna,
Participem regni quem facis eſſe tui:
Sis agè nobiſcum, ſinibuſq; allabere noſtris,
Cordibus in noſtris fac tibi templa Deus.

Sis

Sis bonus ô felixq; tuis, tibi pectora ſerua,
Quæ tibi pura humili iunxit amore fides.
Ecce tibi ſeruanda iacens Eccleſia Virgo,
Auxilium implorat flensq; dolensq; tuum,
Hæc etenim extremo perituri tempore mundi
Angitur, innumeris languida facta malis.
Tot videas hoſtes minitari extrema dolenti,
Quot capiti fecit vulnera ſpina tuo.
Attamen in medio fidens tibi turbine rerum
Quottidiè tali te vocat ore gemens.
Chriſte tui cœtus cuſtos, & maxime vnicæ
Reſpice me, quantis ſim cumulata malis.
Aſpice vt extremo rabies Mahometica fato
Parte mei fracta me potiore premat,
Dum veluti lento languens Europa veterno
Dedidicit forti ducere bella manu:
Dum vel mota geri non iuſto bella labore,
Otia vel duci luxurioſa placet:
Ille gradu tuto longis progreſſus ab oris,
Vltima longinquo compede regna premet.
Iamq; adeo domito diris conatibus Iſtro
Imminet imperio Theutona terra tuo.
Quæ tibi ſpes reliqua eſt, pprio dum fracta furore
Turpiter es priſcum Martis oblita decus?
Pro charis nunc bella focis, templisq; decebat
Ipſo à diuino numine iuſſa, geri.

Interea

Interea ſegnis, quod ſolum ad ſydera ducit,
Vix retines ſumma parte manente, bonum.
Parte alia oppugnat ſæuæ me beſtia Romæ
Papa, vicem Sathanæ viq; doloq; gerens.
Quos non ille dolos, quas non ciet impius artes,
Vt laceret corpus, Chriſte benigne, tuum?
Bella, fames, cædes, incendia, furta, rapinæ,
Sunt ꝓprium excelſi Flaminis huius opus.
Quid memorem varias ſectas errore vagantes,
Quæ verbi lacerant ſenſa ꝓfunda tui?
Dum ſibi quisq; nouum conatus fingere ſenſum,
Corde magis cenſet dogmata, mente minus.
Dum verum ambitio violat, dum falſa tuetur,
Dedita non veris gloria falſa bonis.
Namq; aliquis vano cur audet dicere ſenſu
In vitijs noſtris verum habitare Deum?
Cur aliquis terrarum orbem, velut Arrius olim,
Dogmatibus falſis illaqueare ſtudet?
Dum ſenſu exponens tua ſacramenta ſiniſtro,
Corpore p̃ſentem te negat eſſe Deum.
Pone modum iuſtis Eccleſia mœſta querelis,
Iampridem gemitus audijt ille tuos,
Audijt ille, omnis toto cui gloria cœlo
Plaudit, & ad cuius fulmina terra tremit,
Qui fulgente tenens ſceptra irradiantia ferro,
Omnipotens regum corda ſuperba domat,

Ille

Ille tibi hæc fando ſperanti oracula reddit
Aſſenſu æterni firma fauente patris.
Fide animo dilecta mihi, mea cura, meum cor,
Fungere militia virgo animoſa tua,
Non ego te linquam, firmi violator amoris,
Sum tecum, & mecum tu quoq; ſemper eris.
O quicunq; meo multum pro nomine paſſi
Editis exempli teſtificantis opus,
Macte animi, præſtate viros, confidite læti,
Ipſe meo mundi ſub pede regna premo.
Quos quaſi depoſitum genitor mihi credidit ipſe,
Ex manibus poterit tollere nemo meis.
Non ego vos orbos lachrymoſa in valle relinquam,
Certa mihi in vobis manſio ſemper erit.
Paſtor vt obſeruans gregis eſt, nec fundere vitam
Addubitat, preſſas dum modo ſeruet oues:
Sic ego ſic fido vos ſeruaturus amore,
Vsq; meo paſtor pro grege fidus ero.
Grex meus agnoſcit vocem paſcentis, & audit
Verba mea, & gaudet me monitore ſequi.
Ipſe etiam noui numerum gregis omnis, & vnam
De numero amitti non ſino paſtor ouem.
Sed vitam æternam conſiſis largior vltrò,
Lætor & has mecum diuite pace frui.
Felices vos nulla meo mors eximet æuo,
E manibus rapiet vos quoq; nemo meis.

Hæc ita qui loquitur verbis ſolantibus ægros,
A vero neſcit verba aliena loqui.
Vtq; idem vitæ fons eſt, & regula veri,
Sic ea quæ loquitur pondus habere facit.
Ergo Deus viuo ſi nobis numine p̃ſtò eſt,
Quæ poterit nobis ſæua nocere manus?
Sic age perge puer, Deus expectantibus adſis,
Et pia militiæ membra tuére tuæ.
Da nos vera fides vero coniuncta timori
Nominis accendat cognitione tui,
Illa regat motus cordis ſua damna dolentis,
Et doceat tota ſidere mente tibi.
Hic fidei cuſtos, te vero obſeruet amore,
Et doceat caſto corde placere tibi.
Vera tibi tribuat te dignas gloria laudes,
Omne aperit cœlum qua tibi templa DEVS,
Impleat aſſenſu lætas pax aurea terras,
Quæ vacua abiecto corda dolore facit.
Agnoſcens hominum donum cœleſte voluntas,
Vnanimi verum te canat ore DEVM.

AD IMAGINEM
Chriſti crucifixi.

Qui spectas lacerũ miseranda in imagine Christi,
Dum miser infami de cruce pendet homo.
Disce animo tanti causſas agnoscere probri,
Quo pater hunc voluit talia ferre DEVS.
Omnis homo verè est peccati massa pudendi,
Ferre dolens iusti quam nequit ira DEI.
Hinc genus omne hominum peccati peste laborans
Æterna meritum morte perire facit.
Nec poterat iustæ pœnam psoluere legi,
Grata nisi irato victima pura DEO.
Gratia diuini cladem miserata fauoris,
Iusticiæ duras vicit amore minas.
Summaq; Maiestas nostros descendit in artus,
Corpus vt humanum seruet amore genus.
Obtulit effuso medium se sanguine Christus,
Supplicio soluens crimina nostra suo.
Hic propria iratum placauit morte parentem,
Dum cadit irato victima cæsa DEO.
Abluit hic nostras effuso sanguine sordes,
Astuti infringens omne Draconis opus.
Victor & humani peccati pondera delens,
Aurea saluatos duxit ad astra choros.
Nunc sedet ad dextrã patris omnipotentis, vbi ipse
Omnipotens etiam cum patre regna tenet.
Gratia Christe tibi, qui nostros morte reatus
Tollis, & electos ducis ad astra choros.

PRECATIO AD puerum Ieſum pro Filiolo Ægrotante.

CHriſte Dei fili, qui viuo in numine præſens,
Nobiſcum gaudes viuere & eſſe puer.
Quem tuus è vero Salamonis ſpiritus ore,
Nobiſcum hoc terræ ludere in orbe, docet.
Certè noſtra tuo aſſueſcens infantia verbo,
Te duce p̃ſentem diſcit amare Deum.
Quinetiam pueros trahis ad te ſponte, tibiq́
Offerri ſtrepitu non phibente iubes.
Atq́ illis aditum regnum ad cœleſte recuſas,
Qui pueri in morem non ſapuêre ſenes.
Ipſe ego qui nil ſum niſi terræ maſſa pudendæ,
Ipſa ætate ſenex, ſimplicitate puer.
Fido tibi nam Chriſte puer tu viſq́ poteſq́
Quod rogo, ſed cordi plenius adde fidem.
Ecce mihi ſoboles dulciſſima, paruulus infans,
Hei malè Ioannes quàm Fridericus habet?
Dum grauis exili pugnans in corpore morbus
Obiecit irati triſtia ſigna DEI.
Hic puer eſſe velis puer ô amiciſſime Chriſte,
Et puerum puero reſtituiſſe mihi.

Sit

Sit puer hic patriæ te ꝓpiciante ſuperſtes,
Non fuerit populo dedecus ille tuo,
Sed viuet laudiq; tuæ, propriæq; ſaluti
Ipſa ætate ſenex, ſimplicitate puer.

DE CAVSA HV-
manarum miſeriarum.

QVæris vbi, & quæ ſit tantorum cauſſa malorum,
Quæ ſolet adflictus ferre dolenter homo.
Ah miſer & nulli miſerabilis obuia vitæ;
Qui mala in autorem reijcis vlla Deum.
Ipſe ſibi fons eſt ꝓpriorum & cauſſa malorum,
Ad ſcelera innato fomite pronus homo.
Mens bona diuini ſic numinis omnia fecit,
Vt bona ab autoris conditione forent.
Sponte ſua illectus ſed homo Cacodæmonis aſtu,
Triſte malum elegit deſeruitq; bonum.
Prima Deus cauſſa eſt cunctarū atq; vnica rerū,
Perpetua p̄ſens quas ratione regit.
Hinc aliæ certo dependent ordine cauſſæ,
Arbitrio ducit quæ tamen ille ſuo.
Ipſa ſuas Natura vices exercet, & vſum
Ordine quem voluit conditor eſſe DEVS.

Multa ſolent etiam vario contingere motu,
Quæ ſinit aſpiciens, non phat eſſe DEVS.
Sicut enim meditans inclinat agitq; voluntas,
Sic ſolet euentus acta ſequi.
Aſpice Pompeium cum re tum nomine Magnum,
Iniuſtè queritur ſe mala tanta pati.
Hunc fatum & fato temerè ancillata voluntas,
Perdidit immerito ſic tulit ordo DEO.
Quod meruit fatum eſt, temerè quod contigit auſo,
Sponte ſua offendens mens vitioſa dedit.
Sæuijt in Solymas victor crudelius arces,
Quem poterat placido numine ferre Deus.
Sceptra ſibi inuaſit nullo cedentia iure,
Conſilio poſſet cum meliore frui.
Occidit & Cæſar fixi iuſto ordine fati,
Oppreſſo quoniam iure tyrannus erat.
Magna graues ſemp comitantur crimina pœnæ,
Et malè qui fecit peius habere ſolet.
Hoc veteres olim fatum dixêre Latini,
Fando quod æterno ſint rata cuncta DEO.
Ergo ſuo in rebus qui ſuſtinet omnia motu,
Omnia quæ fiunt ſcitq; videtq; Deus.
Attamen in tanto non adprobat omnia nutu,
Sed quadam fieri conditione ſinit.
Sæpè volens ſiſtit vergentes ordine cauſſas,
Mutat & arbitrio pendula fata ſuo.

Quæ temerè admittit pro libertate voluntas,
His ſinit effectu, non probat eſſe Deus.
Interea iuſto procedant ordine pœnæ,
Eſtq; ſui omnis homo proxima cauſſa mali.
Qui didicêre igitur ſic verè agnoſcere numen,
Vt mala delictis ſe meruiſſe ſciant.
Erroresq; dolent gemitu, veniamq; precando
Viue tibi addicto pectore Chriſte petunt.
Hos tegit eq; malis felici liberat aura,
Obuia præſentis cura paterna Dei.
Siue igitur merui, quod non nego, ſiue docendus,
Rectius vt ſaperem per mala multa, fui.
Lætus ago dulces toto tibi pectore grates,
Corde tibi aſſertor viue canente Deus.

IVSTIFICAMVR
fide non operibus.

CVm benè ſcrutamur Naturæ ſemina noſtræ,
Nil niſi peccati maſſa pudenda ſumus.
Huic tamen aſpirans diuinæ gratia mentis,
Materiam patrio formet amore rudem.
Sic homo qui nihil eſt, aliquid fit munere verbi,
Quod miſſum æterni ſpirat ab ore Dei.

Non hoc officium, meritis non incita virtus,
Sed promissa DEI gratia sponte facit.
Hæc nostro pperans occurrit larga dolori,
Peccati miseris cum dolet esse reos.
In solum erigimur cum toto pectore Christum,
Arripimusq; fide munera summa DEI.
Fit soboles noua homo, sequitur noua vita, placentq;
Pectora iustifica conciliata fide.

DISCRIMEN LEgis & Euangelij.

TErret & accusat trepidè lex corda pauore,
Quæ ppriè à vero sunt aliena DEO.
Monstrat & humanis diuinam mentibus iram,
Dum graue peccati duriter auget onus.
Sic macerat damnatq; simul, mortemq; minatur
Omnibus immensus quotquot hic orbis habet.
At tu Christe homines largo miseratus amore
Omne subis nostræ conditionis onus.
Horrida tu lenis terrentis fulmina legis,
Prompte tuo moriens sponte obedire patri.
Te ppter reputat iustum & pnunciat idem
In miseros asper qui nequit esse pater.

Tu

Tu facis vt turpem peccanti gratia culpam
Donet, & offensi cesset vt ira patris.
Hæc capit ipsa fides verbo stimulata sonante,
Peccatiq; graui mota dolore fides.
Hanc ciet, hanc tenui magnam de fomite gignit,
E patris eq; tuo numine missus amor.
Ergo ea pmissæ veniam ratione salutis
Accipit à solo munere Christe tuo.
Accipit assensu exultans motuq; recenti,
Facta facit viuo corda placere DEO.
Iamq; nihil dubitans, sed vera pace quiescens,
Omne Deo gratum sedula pstat opus.
Hinc melior vitæ series, operumq; bonorum
Functio, & officij puenit omne decus.
Vtq; bonus læta profertur ab arbore fructus,
Iustificam sequitur sic opus omne fidem.
Et quantum à causis distant quæcunq; sequuntur,
Tantum etiam à fidei lumine distat opus.

BREVIS DESCRIptio *Vitæ æternæ, qua fruitur Dux Saxon: Elector. Ioan. Fridericus.*

CONSTANS.

Est locus extra anni metas, extra omnia mundi
Climata, cœlesti qua viret hortus agro,
Illic alta quies animis & plena voluptas,
Veraq; perpetuò gaudia flore vigent,
Ante Deum vernant animæ, quas gloria Christi
Induit, & viui pascit amore Dei
Non fas huc aliquem recipi sine numine Christi,
Is tenet hic regni debita sceptra sui.
Exilium abiectos longis anfractibus arcet,
Noscere qui Christum non voluêre Deum.
Qualia Pontificum sunt agmina, qualia Regum
Quos aliud docuit sæua Tyrannis iter.
Hic reperit, CONSTANS, patruumq; patremq; (professos
Iustificam inuicta voce fideq; fidem.

IN PASSIONEM Christi.

Sic vbi detonuit cessantibus imbribus æther
Instaurat memori guttere carmen auis.
Penè oblita loqui, tandem obliuiscere curæ
Musa Deo poteris forte probante loqui.
Versibus inuicto præconia dicere Christo,
Muneris esse tui te meminisse decet.

Ecce

Ecce reuertuntur ſolennibus annua feſtis
Tempora, & in celebres lux micat orta dies.
Quo patris arcano iam pridem è pectore Chriſtus
Editus, & puræ virgine natus homo.
Virus vt eluueret ſæui mortale Draconis,
Et quidquid mortis nos facit eſſe reos.
Patris & offenſi iuſtam deflecteret iram,
Redderet & miſeris mentibus omne decus.
Horrendæ ſubiens immania pondera culpæ
Immeritus colaphos, vulnera, probra tulit.
Nec renuit, quoniam humanos aſſumpſerat artus,
Humano mortem more ſubire Deus.
Præbuit opprobrijs mites mendacibus aures,
Vnus qui veri eſt fons & origo boni.
Excepit patiens ſeruili verbera tergo,
Qui Dominus mundi totius vnus erat.
Deniq; ſuſtinuit crudeli occumbere morte,
Solius è cuius munere vita venit.
Illa futura omni fuerat mortalibus æuo
Lugubris, & merito ſemper acerba dies.
Qua caput hoc diræ miſit gens impia terræ,
Sanctaq; funeſto condidit oſſa ſolo.
Ni penes inuictum vitæq; necisq; poteſtas
Staret, vt in medio viueret interitu.
Sed voluit potuitq; ſimul pulcherrimus Heros
Morte mori, & propria viuere luce Deus.

Tertia

Tertia purpureos Aurora reduxerat ortus,
Clausum erat occulta triste cadauer humo.
Morte triumphator domita, victorq́ Draconis,
Deletor vitij Christus ad astra redit.
Pulchrior hoc ipso qui illuminat omnia sole
Extulit è gelido membra recepta solo.
Victor & humanas rediens rediuiuus in auras
Amissum secum rettulit omne decus.
Tunc meritis syncera fides accessit, & illo
Vindice fidenter viuere cœpit homo.
Hoc Natura nouo veris sub tempora vultu
Testatur mirum læta quotannis opus.
Omnia nam longa pridem torpentia Bruma
Quo viuant iterum, quo renouentur habent.
Miraq́ res certè est, nisi quæ corrupta sit ante
Materia ad frugem non venit illa suam.
Cernis vt incisa mutilentur in arbore rami,
Causa bonæ frugis res erit ista tamen.
Languida desecto lachrymatur palmite vitis,
Fundat vt uberius gemma renata merum.
Quam seruaret hyems clausis infracta latebris
Fontanas reperit Lympha recluſa vias.
Quæq́ iacent clausis ceu mortua semina sulcis
Hyberni rigido temporis usta gelu.
Illa videt plenis lactentia surgere culmis
Expediens solis lampade Maia caput.

ELEGIA

ELEGIA DE AE-

grotatione filioli Honorij laboran-tis ex papulis, qua celebratur bonitas & misericor-dia Dei.

CVra mei, fili, dulcissima cordis Honori,
Alter ego, ô animi pars animosa mei,
Quàm nunc triste iaces spectaclum? dum tibi tota
Humida mille notis pustula corpus arat.
Sic tamen ante Deum, morbi ceu massa pudendi
Omne hominum infectum sordet vbique genus.
Mille nec est vsquam vel de mortalibus vnus,
Quàm latè æthereus sol videt omne solum,
Cui non plura animo scateant delicta nephando,
Quàm nunc est maculis obrutus iste puer.
Tu tamen immensa plenus pietate fideq́,
Tu Deus haud aliquem morte perire cupis.
Sed trahis inuitos, & ducis sponte volentes,
Vt viuant nati conditione tui.
Ille suo à nobis damnatas sanguine sordes
Abluit, ille sua viuere morte facit.
O Deus huc etiam faciem conuerte benignam,
Hunc puerum placida respice fronte pater.

Nam

Nam pater es, natumq; tuum sic cernere gaudes,
Dum spectas verbo corda renata tuo.
Hic etiam puer est tibi vero oblatus honore,
Hæc etiam est soboles voce renata tua.
Quando tibi fœdus sacrosancto pacta lauacro
Obtulit hunc verbo firma potente fides.
Respice et hunc, quoniam plem sic respicis vnam,
In qua omnes sobolem nos cupis esse tuam.
En iterum hoc dico, genitor mitissime Christi,
In faciem Christi respice quæso tui.
Hic puer est facies Christi, quem nomine Christi
Suscipis, & patrio mitis amore foues.
Nunc quoq; conformis Christi vel corpore factus
Vlcera quàm paciens corporis ista gerit?
Qualis erat multo corpus vibice notatus
Immeritæ mortis iam subiturus onus.
Ex te qui nascens genitus sine tempore & ortu
Assumpto simul est corpore natus homo.
Tale puer specimẽ mihi patri hoc corpore præbet,
Te video culpa Christe perempte mea.
Et tamen vt misero mihi vitam morte parasti,
Sic puero per te vita relicta meo est.
Redde precor fracto vitale in corpore robur,
In vitam æternam fons salientis aquæ.
Viuat agnoscat te vitæ ante omnia fontem,
Et celebret meriti munus opusq; tui.

Dum

Dum loquor exaudit, qui quanto est altior vnus,
In miseros tanto pronior esse solet.
Laude tibi adplaudat terræ cœlumq; profundum,
In miseros asper non potes esse Deus.
Ecce suis cedens vitijs euanuit humor,
Incipit à morbo lætior esse puer.
Diffugiunt papulæ, noua toto corpore pellis
Nascitur, e vitio vis rediuiua venit.
Sic etiam ante Deum renouatis corpora formis,
Plena venustatis, plena decoris erunt.
Quando restauratis in vitam à morte parentem
Induet æternum gloria vera decus.
Laus tibi viue Deus toto sonet æthere, nam te
In terris celebrat non satis vllus honor.
At tu chare puer diuino crescе fauore,
Gratus & ô tantum discе timere Deum.
Iam tibi Pierides pulchra in certamina Musæ
Cum lauris hederas præmia viua ferunt.
Heroumq; aperit tibi campos mascula virtus,
Quæ pridem ex oculis lucet vbiq; tuis,
Ipsa æuum portis referant felicibus Horæ,
Quo sua virtuti præmia reddat honos.
Iamq; tibi ingeniô rarus formaq; decorus
Diuino nascens munere adhinnit equus.
Quinetiam gladios pridem meditata micantes
Maturat tepido terra metalla sinu.

Fama

Fama ſequax rerum, preſſa quaſi voce ſuſurrans
Hic feret ingenui nomen honoris ait.
Scilicet à ſolo diuinæ mentis honore
Dictus es, àq; DEI nomen honore tenes.
Ergo DEO diſces verum p̃ſtare timorem,
Atq; artes, recti ſemina ſancta, coles.
Virtutem exercebis amans, patriamq; iuuabis,
Pace bonus, belli tempore fortis eques.
Faxit Iò Deus hoc cui gloria vera ſit vni,
Ille etenim verè eſt ſolus v̄ biq; bonus.

AD CHYOMVSVM

Senem, Carmen quod complectitur Canticum Simeonis.

QVid tu ſancte ſenex Cygnæam docte Camænam,
Per pia ſaluifico ſuſpiria pſallere Chriſto?
Quid rerum geris? anne hominũ ptæſus & auræ,
Ad patrium toto contendis pectore cœlum?
Exercesq; pio iam cum Simeone ſupremum
Ad Cytharam carmen. Nunc hoc ex carcere vitæ
O æterne DEVS ſeruum dimitte paratum,
Ad regnum tranſire tuum, quia vidit, & ipſum
Agnouit vitæ Dominum fontemq; ſalutis,

Quem

Quem pater inſpiciens ante omnia ſecula natum
Miſiſti verbo viuentem, & dulce ſonantem
Auxilium miſeris ſua qui delicta dolentes
Erectiq; fide, delentem crimina mundi
Accipiunt, & corde tenent atq; ore fatentur,
Hunc docuit fido Chyomuſius ore pfeſſus,
Hunc etiam amplectens animo ſublimia cœli
Templa ſatiur vitæ ſuſpirat, & aſpicit altè
Iampridem medio fulgentem ex æthere Chriſtum,
Vt quondam iuuenis cœli per aperta ſerena
Vidit adeſſe Deum Stephanus, dum firmior ipſis
Iuit ouans ſaxis, omniq; potentior ictu
Te moriens vitam confeſſus Chriſte recepit.
In ſolo confide DEO, cane dulce ſenectæ
Solamen tremulæ, quod Cygni cantio dici
Poſſit, & ignaras exemplo accendere mentes,
Tu quoq; militiæ pars non extrema fuiſti,
Quam decorat Chriſtus, tibi pridem nexa corona eſt
Iuſticiæ, hanc tradet tibi tempore victor in illo,
Quo noua progenies de longo examine cœlo
Reddita perpetuæ traducet gaudia vitæ.

M SACRO.

SACRORVM EPIGRAMMA-tum Libellus.

IN IMAGINEM Fidei Christianæ.

CVr nomẽ tibi diua Fides, cur vultus in astra,
Et faciem mundum ceu fugientis habes?
Fidere quod Christo didici, diffidere mundo,
Certa comes Christi dicor vbiq; fides.
Cur humeros alis nexos, cur Syndone corpus
Intectum, & nudum pectus inermis habes?
Ad Christum nitidis animas ego subleuo pennis,
Non cultu aut armis, simplicitate potens.

IN VEXILLVM pij Principis.

VExilli species hæc est pulcherrima, quando
Pro populo Princeps tollit ad astra manus.

IN NOVVM Testamentum.

Res

REs gestas Christi, promissæ certa salutis
Munera, & in Domino gaudia plena DEO.
Æternumq́ bonum, patrij regna aurea cœli,
Afflictis animis nunciat iste liber.
Felix, qui cupida bona talia concipit aure,
Semper & infracto corde recepta tenet.
Illum perpetuò numen cœleste fouebit,
Præsentem viuat lætus vt ante Deum.

IN PSALTERIVM
Dauidis ad præsulem quendam.

NVlla adeò aduerso fertur fortuna tumultu,
Nulla homines adeò fata seuera premũt:
Nullæ adeò tristes arrodunt pectora curæ,
Nullum adeò infestum sæuit vbiq́ malum:
Quod non Dauidico possis compescere cantu,
Si tamen hîc animo, quo canit ille, canis.
Hei nimium insipiens, & spe fallente laborans,
Qui sacra scripta fide non comitante legit.
At tibi Sequanicæ præsul spes maxima gentis,
Cui cordi est soli posse placere DEO.
In speciem paruum Psalmorum dono libellum,
Qui tamen ingentes pondere vincit opes.

Diuitias alij tibi, & aurea munera donent,
Psalmorum maius munere nemo dabit.

IN DANIELEM
Prophetam.

HÆc quicũq; legis Danielis scripta Prophetæ,
Qui tibi de Christo nuncia vera canit.
Aspice regnorum seriem, & nutantia fata,
Quæq; abijsse diu, quæq; futura docet.
Aspice decidua vix stantem mole Gygantem,
Quàm titubat fragili morbidus ille pede.
Scilicet occiduo declinant omnia mundo,
Actaq; ad extremum fabula spectat opus.
O quicunq; cupis saluantem cernere Christum,
Iudicium expectans disce timere DEVM.

IN IMAGINEM
Sacræ scripturæ.

QVæ DEA? sacra vocor scriptura. Quis ille gementem
Qui trahit, & sæuis vnguibus ora notat?
Impius hic Papa est. Quid tanta incanduit ira?
Nequitiæ comitem me iubet esse suæ.

Que

Quæ tamen à tergo toruum deterrima vultum?
Tisiphone: furijs de tribus vna soror.
Cur leua tremulas signantem horoscopon vmbras,
Et dextra ignitas quassat anhela faces?
Obseruat gnomone dies, cum transijt hora,
Hunc facibus Stygios cogit adire lacus.

IN IMAGINEM
Adæ & Euæ.

Esse quid hoc dicam, peccarunt protinus illi,
Quos DEVS ad faciem condidit ipse suam.
I nunc, & propria compesce Tyrannide carnem,
Et fac, quæ nescis soluere vota DEO.

IN ARCAM
Noæ, Gene. Cap. 7.

Cvm Deus eluere pluuijs vltricibus orbem,
Omnis & immissis terra nataret aquis.
Iactatum rapidas cara cum prole per vndas,
Transtulit incolumem lignea capsa Noen.
Scilicet hac etiam promisit imagine Christum,
Omnia qui præsens, scitq́, videtq́ DEVS.

Nam velut arborea Noa conseruatur in arca,
Obuia nè rapidis præda feratur aquis:
Sic quoq; credentes Christo seruamur in vno,
In media per quem viuere morte datur.
Vt sonet infestis nimbosus flatibus Auster,
In nos vt totus confluat Oceanus:
Huc via certa pijs, hæc arca tuebitur omnes,
Sola etiam in Christo est gloria, vita, salus.

IN ICONA
Abrámi.

VNus erat teneris Abrámo Filius annis,
Quiq; senectutis dulce leuamen erat.
Hunc Deus explorans certum fidentis amorem,
Offerri sacros præcipit antè rogos.
Quid tibi tunc animi fuit ô Abrahame, futuri
Cui mundi sobolem sponderat ante DEVS.
Ibat & ingentes versabat pectore curas,
Sola fides animi triste leuabat onus.
Iamq; auferre manu caput à ceruice volentem,
Angelus arrepto retrahit ense senem.
Obijciens q; illi hærentem in Vepribus hircum,
Cæpta iubet structis soluere vota rogis.
Tunc DEVS excipiens toties velut igne probatum,
Diuino celebrem fecit honore senem.

Illius

Illius & nasci voluit de semine Christum,
Per quem damnatis reddita vita fuit.
En ità fortunam felix formatur in omnem,
Qui didicit stabili fidere mente DEO.
Ipse Deus, quamuis longum differre videtur,
Fidenti tandem numine dexter adest.

IN IMAGINEM
Diui Christophori.

TV quis es? ingenuè Christum pfitentis imago,
Cui nomẽ puer hic, quẽ fero, dulce dedit.
Quis puer hic? Christus, quæ moles tanta gigantis,
Exigui pueri cum leue portet onus?
Omnibus in speciem paruus puer iste videtur,
Quo tamen est toto maius in orbe nihil.
Hinc opus est animis vt sint & corpore fortes,
Qui Christum populi ferre per ora volunt.
Cur tamen ingrediens tumidi p marmora ponti
Arborea infectas mole repellis aquas?
Per mare quod calco peruersum intellige mundum,
Ille animis p̃bet sæua pericla pijs.
Arbore nil aliud nisi sanctum intellige verbum,
Rebus in aduersis quod pia corda regit.
Hoc etenim instructi ruimus per saxa per, ignes,
Qui Christi meritum grande docemus opus.

Dic tamẽ hoc etiam quid pendens mantica tergo,
Quid ſibi cum liquido piſce placenta velit?
Certa pijs nunquam deſunt alimenta miniſtris,
Quiq; DEO fidunt ſeruat alitq; DEVS.
Porro quis inſignis cana procul illa ſenecta,
Prævius accenſa qui face monſtrat iter?
Fax præmiſſa refert venturi oracula Chriſti,
Significat vates qui cecinêre ſenex.
Huc ades ô Hoſpes, tuq; ô puer optime Chriſte,
Mecum habita, tecum viuere vera ſalus.

IN IMAGINEM
Diui Georgij.

AEreâ pendens innoxia rupe puella
Errat in ignotis flensq; dolensq; iugis,
Hanc circum inſidias captans, aditumq; nocendi,
Inſequitur rabido feruidus ore Draco.
Acer at aduerſum pugnat cataphractus in hoſtẽ,
Proq; pia victor virgine bella gerit.
Sic pia ſaluifici lugens Eccleſia Chriſti,
Preſſa ſub ærumnis hîc & vbiq; iacet.
Quam miſeram adfligens Satan crudeliter angit,
Exercens varios nocte dieq; dolos.

At

At ſanctus cœtus & Chriſti membra tueri,
Principis officium nobilioris erat.
Hæc voluit quondam veneranda monere vetuſtas,
Pontificum nondum noxia facta dolis.
Sed noua dum noſtro miramur tempore tantum,
Negligimus quidquid tempora priſca docent.
Heu pereant illi, qui ſic vt Caſtora Graij,
Hunc equitem falſa relligione colunt.
At valeant viuantq; precor, quos excitat ille,
Vt pia pro veris cultibus arma gerant.

DE APE ET *Araneo in roſa pictis.*

PVblica pictorum dum nuper ſcrinia luſtro,
Sic oculos tenuit picta tabella meos.
Effigiem referens ſemper florentis amomi,
Alba roſa admixto picta rubore fuit.
Hanc apis & longa deformis araneus aluo
Sugebant, vno paſtus vterq; cibo.
Hunc Sathanas loro ducens, filo Angelus illam,
Pro pecore excubias egit vterq; ſuo.
Ipſe quid hoc ſtatuam certo portendere ſenſu,
Dum dubito, interpres ſic mihi certus ait.

Hæc rosa scriptura est, per se res optima, si non
Impius ingenuas vertat abusus opes.
Mella legens volucris cætum designat eorum,
Qui sacra iudicio vera probante legunt.
Hei mihi, quam parua est, quam spreta est turba piorũ
Hoc etiam exiguo corpore signat apis.
Sed diuina pios seruat custodia cœtus,
Nequa nocere illis vis inimica queat.
Arguit hoc iuuenis, niueis qui splendidus alis,
Per sua palantem pascua ducit apem:
Parte sed aduersa qui florem exugit eundem,
Diraq́ Arachnea fauce venena legit.
Romanum tali depingit imagine Papam,
Et quicunq́ tuas Papa sequuntur opes.
Qui vera faciunt è relligione cothurnos,
Et sacra p libitu vertere scripta solent.
Eq́ rosa sentes possint, è melle venenum
Reddere, & ex ipso falsa probare bono.
Hos Sathan instigat fraudem scelerumq́ magister,
Bellaq́ pro socijs nocte dieq́ gerit.
Sic ait: ah dolor est sic Romæ crimina pingi,
Sic dici ac cerni, sic & vbiq́ legi.
Nec tamen arceri, nec monstrum tale fugari,
Quid cessas? pœna vindice Christe veni.

AD CA-

AD CAROLVM
V. Imperator: Inuictum.

Iud: 6. & sequent.

VT Madianitidos Ioa satus agmina gentis,
In celerem iusto verteret ense fugam.
A Domino iussus cultum delere Baalis,
Et nemora iniustis ritibus apta, fuit.
Tum concessa ratis commisit prælia signis,
Et palmam cæso victor ab hoste tulit.
Sic quoq; cui gladius diros Gedeonis in hostes
Est datus, ô cœli Cæsar & orbis amor.
Promissum Scythico referas vt ab hoste triumphū
Quod cupis, vt reddas aurea Secla pijs,
Est opus inceſti tollas scelera impia Papæ,
Imperium ecce Baal dissipat iste tuum.
Ille tuum infesto pridem sitit ore cruorem,
Quid patiente tuum ius bonitate regis?
Nulla tibi in Geticū reliqua est fortuna tyrannū,
Dum poteris Papæ facta nephanda pati.

IN ROMANVM
Pontificem.

PApa quid ægroto sua fata precare Luthero,
Nil melius, viuat, seu moriatur habes.

Is tua

Is tua dum viuit peſtis te adſtigit & vrit,
Mors tua tunc certé cum morietur erit.
Dira lues peſtis, ſed mors eſt durior illa,
Eligé nunc vtrum perfide Papa velis.

IN CANONEM *Papiſticum.*

Caras

MVrmurat impurus canonem dum Flamĕ ad
Aufuge, non falſo qui cupis eſſe pius.
Aufuge conſpecto media ceu Dæmone nocte,
Qui lingua haud poterat deteriore loqui.
Namq; quod impurus Chriſtū abnegat, atq; ſalutĕ
Munere dum proprio tentat ad aſtra viam.
Totum morte ſacrum ſic patre volente peregit
Chriſtus, & à nobis abluit omne nephas.
Nec quidquam precij meritis pro talibus optat,
Quam cupias ſola gratus vt eſſe fide.
Quiq; fidem ſequitur pſtes conſtanter amorem,
Qui ſimul eſt homini debitus, atq; DEO.
Iſte Deo Chriſtum poſitam commendat ad Aram,
Oblato empturus pane ſalutis opem.
Intima nec reputat ſancti myſteria verbi,
A quibus vna fides pendet, & vna ſalus.
Sed proprijs meritis, propria virtute ſuperbus,
In ſua ſic audes poſcere vota DEVM.

Hoc

Hoc erat innocuum Christi damnare cruorem,
Hoc erat illius non coluisse patrem.
Et dubitas Cæsar tales explodere pestes,
Nec tibi adhuc Romæ bestia nota satis?
Ite leues Lemures, crudeles ite Papistæ,
Ante fores pœna vindice Christus adest.

IN HORTVM
Lutheri.

QVa dom⁹ Aonidū Borealem Leucoris arctō
Conspicit, & fines Marchia clara tuos.
Area sanctiloqui musis sacrata Lutheri,
Floret ad irriguas hortus amœnus aquas.
Ille nec Alcinoi, nec cedat Adonidis hortis,
Nec vigil Hesperidū quos Draco seruat, agris,
Illis tot videas quot habet natura colores,
Gratia non aliquo blandior vlla loco est:
Hîc mihi sum visus teneras errare per herbas,
Dum video posito somnia blanda toro.
Visus eram varios florum numerare colores,
Et laudare sonos dulce cadentis aquæ.
Vera fides, stantem vidi per somnia diuam,
Illa mihi tali est visa tenore loqui.
Edite mortali mortalis & ipse parente,
Nate neci, vitæ sed moriture nouæ.

Quid

Quid numeras flores, teneras quid colligis herbas,
Craſtina quæ cernet languida facta, dies.
Aſpice iucundo ridentia lilia vultu,
Carpe, ſed vt carpas ſobrius iſta vide.
Aſpice odoriferi molliſſima gramina campi,
Hîc vitæ in viridi fonte quieſce memor.
Aſpice vernanti prætextum gramine riuum,
Hinc ſitiens lymphas cum ratione bibe.
Quod ſi perſpicies viuaci ſingula ſenſu,
Hîc ſpeculum vitæ dixeris eſſe tuæ.
Puber adhuc flores, & defloreſcis adultus,
Has quoq; habent in ſe lilia blanda vices.
Prima ætate vires, annisq; ſenilibus ares,
Sic viret in tenero gramen & aret agro.
Defluis, & vitæ rapidè p̃terfluis annos,
Sic celer in molli gramine riuus abit.
Ergo age lætitia p̃ſentem tranſige vitam,
Atq; time, facinus qui videt omne, Deum.
Sis hilaris, patriamq; tuam cœlum eſſe memento,
Et gaude vitam ſic properare tuam.
Sic ait aufugiens, ſomno mox excitor alto,
Et vitam ex illo tempore lætus ago.
Summe Deas, reliquæ verſum dum tranſigo vitæ,
Omnibus in rebus fac tua iuſſa colam.

AD

AD REGEM
Angliæ.

EXulat ingrato patiens hoc tempore Christus
Confectus, macie, tabe, dolore, fame.
Pontificumq; nephas, sæuamq; tyrannida questus,
Ne sua dilanient viscera poscit opem.
Poscit opem frustra, nec sunt qui talia curent,
Omnes hîc surdis auribus esse iuuat.
Quinetiam huic quidã minitantur vincla tyranni,
Sæuaq; crudeli toxica fraude parant.
Hunc attollere humo, veroq; agnoscere cultu,
Officium veri nobile Regis erat.

IN MAR-
tialem.

VItam quæ faciunt beatiorem,
Nugaciſsime Martialis hæc sunt.
Delicti agnitio, pauorq; cordis,
Erroris dolor, alta pœnitudo,
Sola & saluificæ fides salutis.
Nam quicunq; fide nutante nusquam
Adprehendit penitus, quod ipse Christus
Humanam induerit Deus figuram,

Et nobis

Et nobis miſeriſq́ perditiſq́
Mortis, ſupplicioq́ deſtinatis
Æternam reparauerit ſalutem,
Exercetq́ fidem, pioſq́ fructus
Adfert in medium, ſuæq́ vitæ
Inuitat pietate molliores
Ille inter meruit beatiores,
Heroas ſtatui, fruiq́ cœlo.
Sunt hæc Barbara verba forſan inquis,
Nec ſic ſunt ſoliti loqui Quirites,
Vitam quæ faciunt beatiorem
Nugaciſſime Martialis hæc ſunt.

IN LIBELLVM
D. M. L. de poteſtate Pontificis.

SI quis adhuc magni faſtidis ſcripta Lutheri,
Arguis & certam non meruiſſe fidem,
Friuolaq́ excuſas falſæ mendacia Romæ,
Deſine, Plus nimio crimina veſtra patent.
Hoc primus vidit cœlum venale Lutherus,
Turpibus exponi proſtituiq́ lucris.
Vidit & hoc doluit priſco pia turba ſub æuo,
Antea cui cœli cura Deiq́ fuit,

Vidit,

Vidit, at iniustæ suppressa Tyrannide Romæ
Priuata potuit non nisi voce queri.
Id quod vt haud culto breuius hic sermone libellus,
Sic ipsa veri simplicitate docet.
Quisquis es ergò negas qui vera monere Lutherum,
Nec potes in media cernere luce diem,
Quisquis es infesti non vltimus asseclа Papæ,
Nos qui Euangelio teste carere putas.
Sensibus hæc imis quæ sunt tractata repone,
Dispeream nisi mox tu quoq; noster eris.

DE CASSITA redeunte initio veris.

VT rediens ramumq; ferens frondentis oliuæ,
Nuncia lætitiæ prima columba, fuit,
Cum seruata vehens humanæ semina gentis,
Notas Armenijs constitit arca iugis,
Sic mihi principiū nunc primum audita sub anni,
Lætius ô vtinam tempus Alauda feras.
Obuia tu cœtus Christum venerantis imago,
Vere, Deo gratum, iam redeunte, canis.
Blāda operū inspectrix spacioſa per arua vagaris,
Atq; operis gaudes ruris ad esse comes.

Manè ſonans, homines mandati ad cœpta laboris
Munia iucundè continuanda vocas.
Et ſtudia & curas cantu ſolaris amico,
Donec abit ſparſo lumine longa dies.
Occiduus repetit vada cum Mauruſia phœbus,
Tu feſſis etiam vota quieta canis.
Nec prius in latebras agri te ſera recondis,
Munificum celebret quàm tua lingua Deum.
Ergo laboriferi rediens tu nuncia veris,
Grata Deo laudes dicere corda doces.
Sic, vt grata Deo laudes Eccleſia cantet,
Perpetuo patriæ faxit amore Deus.

DE AMORE DEI
erga genus humanum.
Marci 10.

Suauiter [illegible]ntes dum tollit ad oſcula Chriſtus
Mitis & amplexu pignora parua fouet.
In genus humanum diuinum oſtendit amorem,
Qui patris è prono corde volentis abit.
Tu quoq; mortalis cui contigit eſſe parentem,
Dum figis ſoboli Baſia blanda tuæ.
Crede Deo, cuius maior te amplectitur ardor,
Quam tuus in ſoboleм maximus eſſe poteſt.

Et cauc ne ſtolidè tantum auerſeris amorem,
Quem qui ferre poteſt omnia ſolus habet.

CHRISTVS PASTOR & CUSTOS ECCLESIÆ.

Contegit vt tepidis pullos gallina ſub alis,
Mater & aſsidua fida tuetur ope:
Sic ſibi fidentem præſenti numine cætum,
Et fouet, & duro tempore Chriſtus alit.
Nec ſinit huic mundi graſſantis obeſſe furorem,
Sed tutum in medijs ſeruat vbiq; malis.

POSOPON
violæ.

Prima ego purpurei mittor præcurſor veris,
Cui violæ voluit nomen inesse Deus.
Tempore quo immeritæ Chriſtus ſacra victima
Eſt datus, è terra profero nata caput. (morti
Tempus vt ad moneam properantibus ire diebus,
Reddita quo miſeris eſt meditanda ſalus.
Puniceum refero tunicæ decorata colorem,
Qua fuit indutus Chriſtus homo atq; Deus.

Sic certis homini monſtro veſtigia ſignis,
Saluifici vt cupiat ſanguinis eſſe memor.
Adde quod inuerſo refero dum flore cucullum,
Iudæum æterno damno dolore ſcelus.
Nec violæ nomen teneo violando quod obſim,
Sed paſſim pedibus quod violanda terar.
Sic probo proiectũ paſſum mala plurima Chriſtũ,
Plurimaq́ infido ſemper in orbe pati.
Hæc mea crux, alijs etiam ſua functio reſtat,
Sicq́ creatori ſeruio grata meo.
Diſce meo exemplo mandato munere fungi,
Acceptus placido qui cupis eſſe Deo.

PROSOPOPOEIA concinentium volucrum.

QVi nemora hæc tranſis & culta virecta viator,
Atq́ hæc herboſi cana ſalicta ſoli:
Garritusq́ audis auium, linguasq́ ſonoras,
Et ſparſum docto gutture dulce melos,
Contemplare animo, quid ſimus, & vnde volucres,
Hinc aliquid mentem quod iuuet eſſe poteſt.
Viuimus immunes curarum, & neſcia culpæ
Turba, pijs volucres, innocuumq́ genus.

Cantando

Cantando extrahimus, quantum Deus annuit æui,
Et celebrat verum vox quoq; noſtra Deum.
Sic erit æternæ ratio placidiſſima vitæ.
Ante Deum electis gaudia plena ferens.
Aurea ſimplicitas dulces meditabitur hymnos,
Præſenti gaudens dicere grata Deo.
Vita fouens alacres lætando innoxia mentes,
Iuſticiæ æternæ regula ſemper erit
Vera Deum pleno ſpectans ſapiéntia fructu,
Gaudebit ſummum docta tenere bonum.
Grata Deum dulci concentu Eccleſia laudans,
Perpetua æternæ gaudia pacis aget.
Hoc tibi dum noſtri monſtramus imagine cantus,
Auribus an duræ poſſumus eſſe tuis?

LITERATI ET *vere pij, licet undiq; premantur: tamen habebunt aliquam ſedem.*

CVm muſis vates, cũ vatibus exul Apollo eſt,
Quid faciã? in Chriſto mãſio tuta mihi eſt.
Hic qui doctrinam verbum ad vocale requirit,
Ingenijs nullum non ſimt eſſe locum.

DE VINDICTA diuina Contra Blaſphemiam Cherinthi Hæretici.

IMpia Cherinthus ſancto conuitia Chriſto,
Dum facit & ſtulta garrulitate furit.
Obruit ac rapido laſpernum contudit ictu,
Collapſæ ſubito facta ruina domus:
Sic tu qui triſti miſeros hoc tempore rides,
Qui mala pro Chriſti nomine multa ferunt.
Vt tibi Pegaſeis corpus libretur ab alis,
Vt tibi Dædaleum penna miniſtret iter.
Non tamen effugies tibi pœna à fronte parata eſt,
Iam tibi Cherinti fata ruina dabit.

IN DICTVM PHILIPPI Melanthonis, Lectio & inuocatio ſunt vberrima Commentaria in Pſalmos.

NVlla ſacros melius docet enarratio Pſalmos,
Quàm repetēs ſolidas lectio crebra preces.
Sæpè lege, & precibus feruentibus erige pectus,
Vt tibi quæ neſcis ſuggerat ipſe Deus.

Quod

Quod nequeunt longis dare commentaria verbis,
Hoc tibi cum precibus lectio iuncta dabit.

IN LOCOS THEOlogicos D. Philip. Melanth. præconium.

PInguis vt aërij de vertice lapsa Sionis,
Irrigat humentes copia roris agros:
Altus vt egrediens stagnantia littora Nilus,
Fœtificat largo rura propinqua sinu:
Sic hoc sparsa libro veræ doctrina salutis,
Æternis implet pectora sancta bonis.
Explicet inuicti quod sic oracula Christi,
Nullum hoc in terris sanctius extat opus.

FERENDVM & sperandum.

QVi sapere & durum traducere molliter æuum,
Et vacuum sceleris pectus habere cupis:
Res age Iusticiæ memor, & qui cuncta gubernat,
Omnia præsenti crede regenda Deo.

Discito fortunam placidè superare ferendo,
Atq; animum sortis spe melioris ale.
Suggerit ingenuas animo tolerantia vires,
Vincere felici spes ratione docet.

DE EXVLIBVS.

Num. 35. Resipiscenti veniam dat Deus.

VT veritam pfugus frustra suspirat ad vrbẽ,
In turpem pepulit quẽ sua culpa fugam:
Sed iacet obscurus, vel syluis tectus opacis,
Vel timidis nulla passibus errat ope.
Si tamen optati vestigia regis adorat,
Quem læto expectat ciuica pompa sono.
Inuehitur simul, & nullo phibente receptus,
Et veniam externi munus amoris habet:
Sic longè excluſi pmiſsi à limine cœli,
Mersa licet pprio crimine turba sumus:
Si tamen amplexi te Christe tenemus euntem
Ad patrem, inq; humeris figimus ora tuis,
Te propter genitor iam pœnæ oblitus & iræ,
Suscipit æterno nosq; fauore fouet.

DE MISERIIS Hominum.

Pulsa

Pvlsa diu ventis post mille pericula tandem
Sistitur optata naufraga puppis humo.
Iamq; pcelloſos abiurat & execrat vndas,
Lætus & attactam nauita laudat humum.
Ecce prius nulli tanto obſeruata timore,
Corripit adſertam ſubdola flamma ratem.
Nauta iterũ hoſtiles quas fugerat, expedit vndas,
Sed ſeruata ratis fluctibus, igne perit.
Scilicet adflictæ ſic viuitur alea vitæ,
Et ceſſamus adhuc velle placere DEO.

DE POENA MALE Conſciorum.

Qviſquis onuſta gerit mordaci pectora culpa,
Ille loco nullo delituiſſe poteſt.
Arguit hunc tandem vel longi temporis ætas,
Vel ſoboles pœnas illius orba luit.

SIMILITVDO,

Naſcentis roſæ, ſumpta ex Mantuano, contra eos qui negant Chriſtum humanam naturam aſſumpſiſſe.

VT cum de viridi gemmantis frutice plantæ,
Verna renascentes suscitat aura rosas,
Gluma capax primum teretem coalescit in orbem,
Membraq́ carnoso fert cumulata sinu.
Dein hinc animata cauo turgens sub cortice proles,
Irriguis sensim viribus aucta latet.
Accedunt Zephyri, & blandi cum Pleiade soles,
Sæpè salutares addit & imber aquas.
Tunc matura nouo nitens erumpere fœtu,
E tunica plenas mittit hiante comas.
Et gaudens oculis spacioſum exponere florem,
Omne nitens foliis pandit adulta decus.
Densaq́ miranda spectanti fronte renidet,
Et dulci longas complet odore vias.
Sic quoq́ virgineo clausum sub pectore numen,
Edita præsentis numinis aura fouet.
Et sensim humanos virtus crescentis in artus,
Non homini nota se ratione mouet.
Temporis accessu viuax formatur imago,
Fit caro diuini vox agitata patris.

DE VINDICTA
diuina aduersus contemptum Dei, ex Solone.

Vernus

VErnus vt insurgens hœcdis orientibus Eurus,
Incautas subito concutit imbre rates:
Præcipitesq; volans alis humentibus haurit,
Moxq; leui penna rursus ad astra redit.
Opprimit offensi sic numinis ira nocentes,
Et secura graui vulnere corda ferit.
Dumq; dolor verus culpam comitatur & ictum.

DE PRAEMIIS BOnorum & pœnis malorum.

EXercent varij mortalia pectora casus,
Cumq; malis versat sors odiosa bonos.
Verum alacres tandem iusti sua præmia spectant,
Et pœnas scelerum qui meruêre ferunt.

IN EVENTVM BELli Iohannis Friderici Ducis Saxoniæ, & nati Electoris.

MVlta dat Euentus, multa adfert mobile tẽp⁹;
Multa dies mater multa nouerca mouet:
Conijcit in varias mortalia pectora clades,
Casus & ambiguæ vis inimica Deæ.

Sed

Sed tandem euadunt, quos recte facta tuentur,
Et sua sperato gaudia fine ferunt,
Arripit iniustos & munera fraude tenentes
A tergo tacito pœna secuta gradu.

FIDE IN CRHI-
stum beatè morimur:

CErtemus moriendo, ipso certemus agone,
Gratior vtra Deo sit pars, res ipsa probabit,
Tu dubitabis adhuc metuendũ accedere Christũ,
Ni meritis ambire Deum, ni poscere diuos
Præsidium possis, precioq; parare salutem,
Hos inter gemitus, inter lugubria vota
Despondere animum, atq; ignaua morte perire,
Finis erit tanti postremaq; meta laboris.
Ipse dolens ægro natiuos pectore morbos,
Deplorans q; grauem culpam, quam vita cauendo
Hæc misera effugere haud potuit, lacerataq; mor
Corda terens, solo sperabo in fonte salutem, (su
Qui fluit adfixi lacerato è pectore Christi,
Spem capiam fidens, promissis dulcibus hærens,
Immotus, veniamq; ipsa bonitate volentis
Nactus, ab his tenebris in lucida regna receptus]
Consequar æternæ cœlestia gaudia vitæ.

Ex

EX GRAECO GRE-
gorij Nazianzeni, ad verbum.

Vſpice mens cœlum, ſceleroſam deſpice terrã,
Nec te cogat iners ad mala carnis amor.
Et breuis & miſera eſt hæc vita, ſimillima ſomno,
Quam ſors ancipiti cœca fauore regit.
Vna ſed æternæ ratio firmiſſima vitæ,
Præſentem in cœlis viuitur ante Deum.

Aliud.

Reſpice mens ſurſum terreſtres abijce curas,
Nec trahat in fœdum te caro cœca ſcelus.
Exiguum eſt vitæ quod viuimus, ac quaſi ſomno
Ducitur, atq; aliter fata trahunt alios.
Solius eſt vitæ ſimilis ſibi vita beatæ,
Quam ſolam longè viuere p̃ſtiterit.

Aliud.

Reſpice mens ſenſu, miſeræ obluiſcere terræ,
Nec rapiat ſenſus cœca libido tuos.
Et breuis hæc vita eſt, & triſtis, vt obruta ſomno,
Et varie mentes ſors odioſa trahit.
Solius æternæ eſt ius immutabile vitæ,
Quam ſolam ſummum viuere poſſe bonum eſt.

DE HAL.

DE HALCYONE

Halcyone cœtus Christum profitentis imago,
Dum pace ponti frementis incubat,
Virgineo gaudens etiam de sanguine nasci,
Amore nostri natus est homo Deus.
Hoc meritò dulcem celebramus tempore Christū,
In quò parit fœtus suos Ecclesia.
Omnibus omissis hoc ergo rebus agamus,
Vt his diebus gaudeamus vnic[illegible]
Sic tamen agnoscant vt tantum gaudia munus,
Et in salutem perstrepant lætantium,
Interea clausæ seponat flumina linguæ,
Præstetq; nobis Tullius silentium.
Spes miseris finibus tu Christe allabere nostris,
Tuoq; adflatu corda nostra suscita.
Vt tibi neglecto gauisi fidere mundo
Sequamur in sinum patris te vindicem.

VITA HOMINIS
meditatio mortis est.

Mors tua, mors Christi, fraus terræ gloria cœli,
Et dolor inferni sunt meditanda tibi.
Viue diu, sed viue Deo, nam viuere mundo,
Mortis opus, viua est viuere vita Deo.

Quicquid

Quicquid erit tandem mea ſpes eſt vnica Chriſtus,
Huic viuo, huic moriar, cætera curo nihil.
Quid valet hic mundus, quid gloria, quidue trium.
Poſt miſerũ funus puluis et umbra ſumus. (phus?

TENTATIONES
Diaboli leniuntur diuina conſolatione.

TETRASTICHON.

VT grauis arcetur Boreali Sirius aura
Ne ſata lactentes ſæuus vrat agros.
Sic premitur Stygius diuinis viribus anguis,
Ne vomat in Chriſti dira venena gregem.

Aliud.

Vt canis Æmonia componitur æſtifer aura,
Ne rapidus nimium ſolibus vrat agros.
Sic quoq; compeſcit Sathanam diuina voluntas,
Agmina ne poſſit perdere ſancta Dei.

Aliud.

Vt premitur Boreæ ſitibunda canicola flatu,
Ne flauos nimium findere poſſit agros.

Sic

Sic inhibet Stygios diuina potentia fratres,
Ne perdant cœtus agmina parua pios.

Aliud.

Sicut Hyperboræa mulcetur Syrius aura,
Arida ne flammis fauciet aura ſuis.
Sic vires Stygij frangit Deus ipſe Tyranni,
Ne membris noceat Chriſte benigne tuis.

Aliud.

Vt canis Icarius Boreali flectitur aura,
Prægnantes radijs ne male findat agros.
Herculeus Stygiam ſic Chriſtus deprimit hydram,
Ne vomat in Chriſti dira venena greges.

Aliud.

Vt ſitiens Getica placatur Syrius aura,
Ne campos rapido ſæuus igne coquat.
Sic pie Tartareum depellis Chriſte Leonem,
Ne tibi donatas perdere poſſit oues.

Aliud.

Sedatur ceu ſtella canis Borealibus auris,
Ne nimis altrices ſæuius vrat agros.
Sic Sathanam diuina manus compeſcit hiantem,
Ne cœtus auido deuoret ore pios.

Aliud.

Aliud.

Æstiferum Riphæa canem ceu temperat aura,
Ne premat accensa dirius aura face.
Dextera sic Domini Sathanam fortissima frangit,
Ne furat in populum sæuius vsq; DEI.

Aliud.

Vt premit aura canem septem dimissa Trione,
Vndiq; ridentes ne malè ludat agros:
Sic vetat humani generis Deus optimus hostem,
Ne citò sanctorum deleat omne genus.

Aliud.

Icarij Boreas veluti canis alleuat æstum,
Ne succum campis hauriat igne suum,
Sic Deus auertit furiosi spicula Ditis,
Ne lædat gnati pignora chara sui.

Aliud.

Syrius vt Scythica feruens phibetur ab aura,
Ne flauos sitiens flamma perurat agros.
Sic Deus auertit Stygij conamina Saulis,
Dauidis tangat ne leuis hasta pios.

DEVS FIRMA Anchora.

DISTICHON.

Nosse Deum & pura patefactum mente vereri,
Omnibus opposita est anchora firma malis.

LIBERAT DEVS *suos ex omnibus periculis.*

Sicut in ambiguo gliscentis sydere Brumæ,
Sicca pruinosis sepibus hæret auis.
Non illi vt nuper quæsitam sufficit escam,
Obruta dum niueo terra vapore iacet.
Sæpè etiam laceras rupto quatit ordine plumas
Frigidus hyberno flatus ab axe volans.
Perdurat tamen, & dubias seruatur ad horas,
Et sibi quo vitæ flammula constet habet.
Donec ab Austrino radios Sol axe reflexos,
Spargit ad Arctoæ climata celsa plagæ,
Tunc lætum instaurat dulci modulamine carmen,
Producitq; suum prole recente genus
Sic quicunq; Deum rectè cognouit, & illi
Ex animo posita fidere fraude potest.
Non illum poterunt duri peruertere casus,
In medio rerum turbine tutus erit.

Et licet

Et licet hac capiet mordaces parte dolores,
Qua propriè est munus natus ad istud homo.
Attamen hac victor durabit parte superstes,
Proxima qua veri viuit imago Dei.

DIABOLVS FRANgitur vno verbo.

Mille sit vt Protheus hic lubricus artib:, vno
Deiectus verbo colla manusq; dabit.

EXEMPLA DIVInæ liberationis.

Dum loca bis quatuor Moses per inhospita (lustris,
Iusta Deo addicto milite bella gerit.
A populo quoties propria ruditate vaganti,
Deflexit precibus dira pericla suis.

4. Regum. 19.

Angelus Achazidæ precibus legatus in hostem,
Agmina diuina delet iniqua manu.
Fauce siti pressa precibus fortissime Samson
Es subiti miras fontis adeptus aquas.

Danielis 3.

Impia vis flammæ tres in fornace precantes
Obruit, illæsos perdere non potuit.

Danielis 6.

Asseruêre preces sæuorum ex ore Leonum,
Innocuum vatem, Mede Darie, tuum.

4. Regum 6.

Saphatidi Syrus nequicquam vincla precanti,
Numine dum sacro cingitur ille parat.

Ionæ 2.

Liberat è Cœte fidentem oratio Ionam,
Dum firmo in medijs pectore fidit aquis.

In Actis.

Per mare iactatus terræq; pericula Paulus,
Ad Dominum fusa vincit vbiq; prece.

Act. Cap. 12.

Fracta cadunt manibus confiso vincula Petro,
Dum fido auxilium prædicat ore Dei.

DE VIRTVTI-
bus Disticha.

FIDES

FIDES.

Præcipuum decus est saluanti fidere Christo,
Quem penes hoc vnum est, omnia solus habet.

SPES.

Omne feret tempus magnæ solatia menti,
Quæ causam merito cur benè speret, habet.

CHARITAS.

Omnibus inseruit, temerè nil detrahit vlli,
Qui consisa DEO pectora iungit, amor.

IVSTICIA.

Dedita Iusticiæ mens, & sibi conscia recti,
Nulla Deo fati tela tegente timet.

PRVDENTIA.

Mente vigil rerumq; sciens & gnara futuri,
Et disco & doceo sors mea grata Deo est.

TEMPERANTIA.

Adde modum rebus, prius & metire quod audes,
Fructibus est virtus plena tenere modum.

Vir bonus & fortis si cui fortuna nouerca est,
Acta Deo credat fortibus ille fauet.

CANTICVM
Simeonis.

NVnc mihi longæua sit fas decedere vita,
Dextera nũc oculos claudat amica meos.
Quando voles Domine è viuis dimitte volentem,
Nec tibi sint serui vota molesta tui.
Nunc bene pacato superabo pectore mortem,
Et vitam moriens non moriturus agam,
Namq; oculis vidi, nam tota mente notaui
Hoc decus, vnde venit, gratia, vita, salus.
Vera loquar vidi manifesto in lumine lumen,
Gaudia quo gentes exoriente ferent.
Salue sancte puer, tibi terra assurgat & æther,
Qui cœlo es toto maior & orbe puer.
Lumen vt explosa dispellit nocte tenebras,
Gratáq; conspecta tempora luce facit:
Sic oriens toto passim fulgebis in orbe,
Et radijs facies pectora læta tuis.
Ad te conuersæ purgato pectore gentes,
Agnoscent meriti pondera magna tui.

IN

IN DEDICATIONE

templi, ab Illustrissimo Principe ac Domino, Domino Iohanne Friderico Duce Saxoniæ, Romani Imperij Archimarschalco, & Electore, Landtgrauio Thuringiæ, Margrauio Misniæ & Burggrauio Magdeburgensi &c. in arce Torgensi extructi.

CVm Deus humanis diuinum mentibus ignem
Inserat, vt per se recta videre queant.
Ipse etiam humani consortia mutua cœtus
Instituens, socium nos cupit esse genus,
Vt doceant alios alij de cultibus illis,
Quos pia scit soli vita placere Deo. (gus,
Nec tantum ad simplex hæc spectat functio vul-
Præcipuè Heroes sed decet illa Duces,
Quos idem ingenijs auctos præfecit, vt essent
Qui regere ad cœlum vulgus inane queant.
Hinc quoq; IOHANNES, Princeps Friderichus ab alto,
Nobile Saxonico sanguine stemma trahens.

Qui veluti ſcopulus mediis immotus in vndis,
Contra omnes ſeruat dogmata vera minas,
Poſſet vt hic etiam Chriſti doctrina doceri,
Hoc templum patria fecit in arce ſtrui.
Cum tredecim quintus cõplens trieteridas annus,
Clauderet à nato luſtra trecenta Deo.
Primus in hoc habito ad populum ſermone Luthe-
Expoſuit ſummi verba timenda Dei. (rus
Per quem vera Dei mundo doctrina renata eſt,
Verſaq́ Pontificis gloria falſa iacet.
Sit tibi laus patriæ pater optime, ad ardua cœli,
Et patriam & patriæ prouehis aſtra domum.
Hoc templum excellit totum delubra per orbem,
Vnum hoc pro cunctis fama loquatur opus.
Nam quanquã exploſo quædam inſtaurata Baale,
Cur Chriſto placeant & celebrentur, habent.
Illa tamen Papæ & Sathanæ ſunt condita primũ,
Qui duo ſunt Chriſto monſtra inimica Deo.
Degener hoc nunquam doctrinæ polluit error,
Vtq́ nouum eſt, pura ſic pietate notum eſt.
Hei valeant delubra procul, quæ p̃ſide Papa,
Vituperant ipſum nocte dieq́ Deum.
Non hîc res fœdæ, non hîc Idola coluntur,
Non facit hîc diras vendita miſſa preces.

Traditur

Traditur hic ſimplex veræ doctrina ſalutis,
Solius ingenuo fulta timore Dei,
Totius hic vitæ monſtratur regula Chriſtus,
Quæq; Deo acceptos nos facit eſſe, Fides.
Deniq; Saxonica quod ſub ditione renaſci
De Chriſto voluit dogmata vera Deus.
Hac primum merito templum ſacratur in arce,
Quod Chriſtum vera relligione colat.
Adſere nos, verbumq; tuum Deus optime ſerua,
Et rabiem Turcæ Pontificisq; preme,
Qui tecum æquali regnantem numine Chriſtum,
Conantur patrio præcipitare throno.
Da pacem, defende tuos, tibi ſemper vt omnis
Poſteritas laudes, hîc & vbiq; canat.

IN OSIANDRUM.

Plaſma recens hominis pigræ de puluere glebæ,
Cum prouidus primum Prometheus fingeret,
Ignigenam nitido mentem furatus Olympo,
Fertur tenaci glutinaſſe corpori.
Quò non ingenium penetrat? ſapientior illo,
Nui Prometheus Oſiander ſeculi.

Namq; alia ſolers hominem ratione refingens,
Opus nouum dum fabricat ſcitiſſime.
Non cœlo flammas, ſed pura luce perennem
Ipſi Deo furatus eſt eſſentiam.
Illinit hanc homini tanta mordaciter arte,
Vt non homo poſthac, ſed alter ſit Deus.
Ergo quis inuideat? longè præſtantior illo eſt,
Sui Prometheus Oſiander ſeculi.
Caucaſiæ volucres vos huc quis ventus adegit?
Siue eſtis aquilæ ſeu rapaces vultures.
Parcite, namq; facit noſter quodcũq; Prometheus,
Opinione furtum non facto facit.
Sic ludunt dubio puerilia ſomnia ſenſu,
Quid hoc nocet? ceſſate quæſo volucres.

IN TOMOS
Mart. Lutheri.

Hic ſe prima aperit ſancti doctrina Lutheri,
Quæ ductu rediit Chriſte renata tuo.
Fontis vt exigui ſcatebris exilibus ortus,
Allapſa fluuius largius imbre fluit.
Vt procul albeſcens redituræ lucis imago,
Exorto reddit ſplendida ſole diem:

Sic

Sic Euangelij lux est, monstrante Luthero,
Exiguis paruæ viribus orta facis.
Et progressa Deo largum aspirante vigorem,
Mansit in hunc Satana tuta furente diem.
Hei quibus insidijs, monitor quibus ille periclis,
Qua fuit extra omnem fraude petitus opem.
Dum pugnant odijs, qui miscent sacra prophanis,
Ante homines ficta qui pietate tument.
Dum toties capiunt crudeliter arma Tyranni,
Dum toties Itala fulmen ab arce venit:
Ille sed intrepidus vel Regum ante ora potentum
Quod docuit coram fortiter asseruit.
Non alia est homini reparandæ caussa salutis,
Quà terræ & cœli machina tota patet:
Quàm mera per Christum cœlesti gratia patris,
Quæ recipit viua corda renata fide.
Hæc sola & propria est vnius gloria Christi,
Nil valet hic proprijs viribus omnis homo.
Hæc ita cum grauiter mundo stomachante docet,
Dogma Dei mundo res odiosa fuit.
At Deus adiuuit propriæ certamina caussæ
Asseruitq; suum fautor & autor opus.
Nunc radios spargit totum doctrina per orbem,
Et licet in tenebris attamen ampla nitet,

Qui

Qui lucem hanc renuit, non excusabitur ille,
Cum tremet æterni iudicis ante thronum.
O homo, disce Deum non falso agnoscere cultu,
Æternum poterit fallere nemo Deum.

DE VITA
Humana.

Hæc nisi sit certæ vigilans meditatio mortis
Vita, Deo gratæ nil rationis habet.
Viuimus & morimur, metâ adspiramus ad vnam,
Qui bene desierit viuere, victor erit.
Quale sit hoc aliquo qui secum cogitat vsu,
Hæc etiam fructu non pereunte leget.

IN FRANCISCVM
Stancarum Italum Blasphemum & hostem Christi.

Quid iste tandem Stancarus? quis est homo?
Non est homo, sed fœtor execrabilis.
Qui sic? malus dum concacat se spiritus.

Hic

Hoc ſtercoris deiecit in Germaniam,
Ex quo repentè natus eſt hic Stancarus,
Fœtore puras inquinans Eccleſias.
At multa garrit, hominem vt haud negaueris,
Quid quod minatur Turcicas ad beſtias
Se tranſiturum, turbaturumq; omnia,
Ni detur hic quem poſtulat ferus locum,
Damnatus vrget hanc loquendi amentiam
Sator necis mendacijq; Spiritus,
Hoc incitante, quando Chriſtum Stancarus
Orbum ſua diuinitate ſcilicet
Nudarit, & ſpoliarit & negauerit,
Et ſeruitute in infirma reliquerit.
Ad impios ibit Getas Apoſtata
Vnum Deum culturus, ignotum tamen,
O Chriſte vindex crimen hoc vlciſcere,
Inſtige plagas huic tuo plagiario.

DE VIRO SANCTO

Martino Luthero, puræ doctrinæ Euangelij inſtauratore, ex hac mortali vita ad æternam Dei conſuetudinem euocato.

Cum

Cvm veluti crassi premeretur nocte veterno,
Obrutus errorum sordibus orbis iners.
Oblitusq; Dei non sanctas nixus ad aras,
Pontificum falsam fraude sitiret opem.
Ipsaq; fidenti quæ cœlum sola recludit,
Esset vbiq; operum nube sepulta fides:
Te Deus è medijs inuicte Luthere tenebris
Sustulit, adflatu constituitq; suo,
Instruxitq; tubæ Paulinæ & fulmine linguæ,
Iussit & exploso vera docere dolo.
Nec mora, tu reparans amissæ vera salutis
Dogmata, magnanimus grande tueris onus.
Iam tibi cum toto surgunt certamina mundo,
Dum seris abiectam rursus in orbe fidem.
Dat tamen & vires & nescia pectora vinci,
Iustaq; pugnanti suggerit arma Deus,
Iam detecta iacet species, detectus abusus,
Fucataq; rudis relligionis amor.
Quæq; diu toto cœlum venale per orbem
Gesserat, est pugna bellua victa tua.
Turbaq; Pontificum pro veris falsa docentum,
Vindice te merito damna dolore tulit.
Te cœleste Dei verbum instaurante, refugit
Quidquid iners stolido pectore tradit homo.

Et diui

Et diuis ingratus honos, & prodiga carnis
Regula, & illicitas quæ facit ara preces.
At noua doctrinæ per te lux orta docentem,
Perq; alios radijs cœlitus aucta, nitet.
Quæ docet humanæ sordes agnoscere culpæ,
Auxiliumq; hominis viribus esse nihil.
Terreri vitijs, culpamq; dolore fateri,
Materiemq; odio semper habere mali.
Cordeq; contrito saluanti fidere Christo,
Qui graue fidentis suscipit vnus onus.
Hæc monstrante Deo constanti mente docebas,
Omnia quæ tenebris texerat ante Sathan.
Doctrinam grauitas, castaq; modestia vitæ,
Nominis illustri laude secuta fuit.
Vtq; ea certa fuit, tibi sic non vlla facultas,
Non virtus summi defuit vlla viri.
Omnia diues habet Pietas, hæc fecerat vni
Propria quæ multis singula dona putes.
Prospiciens mundi tu degenerantis in vmbras,
Dixisti irato sæpè futura Deo.
Offensumq; pios docuisti flectere numen,
Propitium cupiens omnibus esse Deum.
Hoc diuina Dei te donec ab orbe voluntas,
Sustulit in regni templa beata sui.

Iustus

Iuſtus vbi è nitido damnatam ſydere Romam
Proſpicis, Auſonij ſupplicium q̃ Papæ.
Iamq̃ Dei plenos poſt vnum mille Lutherum,
Iampridem in greſſus fortiter ire tuos.
Iniuſtumq̃ tuæ doctrinæ nomen & vſum,
Durare ad mundi fata ſuprema videſ,
Non igitur terris nimium deflemus ademptum,
Per quem læta dedit nuncia cuiq̃ Deus.
Vt tuus exceſſus moderata eſt mente ferendus,
Sic nobis vultu triſte carere tuo eſt.
Te fleat abreptum qui purum agnoſcere verbum,
Qui probior monitu noluit eſſe tuo.
Nos precibus petimus Deus vt cõfirmet, & auctũ
In nobis, per te quod dedit ipſe, velit.
Carmineq̃ extructam memori ſignabimus vrnam,
Doctrinæ referat quod monumenta tuæ.
Fort Is ât eXtreMæ VeraX ætat Is HeLIas,
CeLJa plVs CœLI tecta LVthere SVbIs.

IMAGO VITAE *Humanæ.*

VT leuis hærentem deducit aranea telam,
Et tamen hoc vanum pendula nectit opus.

Sic

Sic etiam nostros temerè consumimus annos,
Et merus est vitæ fabula tota labor.
Tu Deus ergo tui renoua nos lumine verbi,
Grata probet mores vt tibi vita suos.
Vita labor nostra est, releuas tu Christe laborem,
In te sit noster vita beata labor.

DE CONSTANTIA
Electoris Saxoniæ Iohannis Friderici.

ARdua diuino mens intus lumine fulgens,
Noticiam veri scitq́ tenetq́ Dei.
Eius & obseruans casto mandata timore,
Iudicio gaudet lucis amante frui.
Hinc & sponte volens, et agendo prompta volun-
Approbat ostensum constabilitq́ decus. (tas,
Et quasi cum Ducibus læto sub pectore nascens,
Conspirat tacito fœdere cordis amor.
Nec mora purgato pulsis in corde procellis,
Omne animi varij mobile vulgus abit.
Castra mouent, rigidiq́ metus, tremuliq́ dolores,
Et quicquid turbæ gaudia spesq́ cient.

Succedit nullosq; timens constantia casus,
Figit in excelso regna beata throno.
Hîc sedet, hîc regnat proprijs liberrima campis,
Propositi semper certa tenaxq; sui.
Non leuibus curis, non vano obnoxia mundo,
Sustinet officium deseruisse suum.
Non hanc ambitio regali splendida luxu,
Gloria nec populi sulta fauore mouet.
Diuinis animosa bonis dum cætera præstat,
Quæ decet, à solo pendet alumna Deo.

TRANSITVS
per mare rubrum, Imago est Baptismi.

VT Deus Israelidæ dubio ex discrimine gentem
Attonitum refluis per mare duxit aquis.
Ereptamq; truci minitantis ab ense Tyranni,
In sacra fœcundi transtulit arua soli:
Sic etiam infantes dum sacro fonte lauamur,
Per liquidas iterum dum generamur aquas,
Eripimur sæui reuocati ex fauce Draconis,
Qui scelerum & mortis pectora mole premit

Vt

Vtq; Deus dulcis ſaturauit corpora Manna,
Dum colit optatum gens Iacobæa ſolum.
Corpore ſic nobis paſtis & ſanguine Chriſti,
Æternæ vitæ pabula læta dabit.
Gloria Chriſte tibi, per quem pater omnia præſtat,
Per quem peccati triſte remittit onus.
Huc ades, & rubro merſos in turbine Ponti,
Iuſticia patri nos age redde tuo.

PRECATIVNcula.

NVnc te quo titulo, ſupplex, quo nomine dicã,
Creber inexhauſta fons bonitate Deus.
Solus es omnipotens, ſolus iuſtiſsimus, illud
Nemo alius tanto pondere nomen habet.
Quamuis ergo tuæ fugiant me nomina laudis
Es pater, hoc vnum ſit mihi ſcire ſatis.
Tu patefeciſti miſsi te munere verbi,
Pignore quo regni des mihi vera tui.

PRAEMIVM REte docentium.

CVm veluti lepores dare iura Leonibus audent,
Hi ſacra qui populũ verba fideq; docent,
Conanturq; truces ſine vi frenare tyrannos,
Contempti pœnas pro pietate ferunt.

Iohan. 3.

Hoc caput hæc ſumma eſt, qui nouit ſidere Chriſto,
Ante Deum æterna luce ſuperſtes erit.
Fidere qui neſcit non vitæ munus habebit,
Hunc premet irati ſed grauis ira Dei.

Chriſt iſt erſtanden etc.

CHriſtus ab innumeris cruciatibus ardua victor
Morte etiã abolita ſurgit ad aſtra Deus:
Hoc pia præcipuo lætentur corda triumpho,
Namq; Salus nobis vnica Chriſtus erit.

EX GERMANIca Cantilena.

SImundus hic Dæmonibus
Scateret ſicut vermibus,
Nil timeremus anxiè.

Princeps

Princeps mundi ſuperbiat,
Ringatur atq; inſaniat,
Nocere neſcit nebulo,
Cum victus ſit vel verbulo.

DEVS CVM CRVce dat euentum.

SIcut amans hominũ Deus eſt, ita ſemper aman-
Synceram patrio præſtat amore fidem. (tis
Non onus imponit maius mortalibus ægris,
Quàm modus & iuſtus temporis ordo ferat.
Dum primo explorat trepidas examine mentes,
Fert ſimul optato ſine doloris opem.

IN NATALEM Chriſti fragmentum.

FLauus in hybernos phœbꝰ decliuior Auſtros
Obliqua gelidam lampade ſtringit humum.
Humida nox lucem ſpacioſis occupat alis,
Et premit anguſtum longior umbra diem.

Aſtraq́, noctis honos, tremulis liuentia flammis,
Vix abeunt lento templa per alta gradu.
Preſſa coit tellus vrentis frigore Brumæ,
Acre tenet glacie flumina iuncta gelu.
Omnia dum timido frigent obtuſa veterno,
Otiaq́ hyberni ſegnia menſis eunt.
Incubat Halcyone mirandis pendula nidis,
Et pelago patiens ſtrata fouente parit.
Qui tegit innocuas Ponto famulante volucres,
Sæuaq́ ne merſas ſorbeat vnda cauet.
Idem inter lituos, & fœdi claſsica Martis,
Dum feruent crebris tempora noſtra malis.
Idem inter ſtrepitus, & vana negotia mundi,
Sancta fouet patrio numine corda Deus.
Atq́ aliquem in medio ſeruat diſcrimine cœtum,
Cui cordi eſt pura mente placere Deo.
Præbet & hoſpitium Muſis, tutosq́ receſſus
Hactenus ingenuis artibus eſſe ſinit.
Per quas æthereas via recta educit ad arces,
Pectora quæ veri ſunt ſtudioſa boni.
Ergo ſalutiferi cunabula dulcia Chriſti,
Annua dum feſto lux redeunte refert.
Quem pater humanos miſſum plantauit in artus,
Vt traheret noſtrum ſic quoque ad aſtra genus.

Noſtrum

Noſtrum eſt vnanimi naſcenti adplaudere voto,
Et tantum grata mente tenere decus.
Ede ſonum mihi tacta chelys, non Lydia qualem
Vox mouet, aut Phrygio Dorica iuncta ſono.
Sed qualem didicit non ipſo Eccleſia cantu,
Sed potius grata mente ſonare Deo.
Tuq; adeò flatu qui pectora noſtra paterno,
Atq; tuo pariter maxime Chriſte moues,
Tu tibi ab hoc promas acceptum pectore carmen,
Dum cano natali gaudia plena tuo.
Vana canant alij fatui deliria mundi,
In ſua dum feſſo cardine fata ruit,
Me iuuet humano diuinum in corpore numen
Suſpicere, & nati dona referre Dei.
Me iuuet & cauſſas & dulces pangere fines,
Noſtra quibus motus venit in oſſa Deus.
Magna loquor, ſed tu mentem, non flumina linguæ
Reſpicis, officium quod caret arte probas.
Sæpè etiam eſt infans tibi non ingrata locutus,
Congrua te doctus verba monente loqui.
Et mihi ſi paruam patrio de pectore flammam
Miſeris, incœptum rectius ibit opus.
Firma metum culpæ fiducia demit amanti,
Officium placeat quod pius audet amor.

Roma triumphatum dominata ſubegerat orbem,
Iuraq́ diuerſis gentibus vna dabat.
Preſſa diu bellis, longoq́ attrita tumultu,
Gens vetus à Iuda principe nata genus.
Romanas aquilas martemq́ experta latinum,
Iam dederat victas hoſtis in arma manus.
Pax erat, & belli finis ſecurior ætas,
Qua cœli rutilans vtraq́ porta patet.
Ruſticus in falcem rigidos curuauerat enſes,
Martiaq́ in ſtiuam verterat arma faber.
Priſca ſuperſtitio bifrontis limina Iani
Clauſerat, & rigida preſſerat arma ſera.
Aurea parturiens voluebat ſecula cœlum,
Secula Iudæo non benè nota gregi.
Res ita viſa Deo, tranquilla vt pace veniret,
Vnus qui pacis cauſſa perennis erat.
Iuſſerat in cenſum deferri nomina Cæſar,
Quàm latè Dominus ſupplicis orbis erat.
Confluit adueniens accitus in oppida ciuis,
Atq́ ingens quauis orbis in vrbe fuit.
Tunc quoq́ Mattiades nutans ætate Ioſephus,
Cuius erat Mariæ nupta pudica thoro.
Coniuge cum chara Nazarenis ibat ab oris,
In terram aſcendens Ephrata priſca tuam.

Iam

Iam propè luctisonæ ſuberant monumẽta Rache-
Percita cum ſubito virgo pauore fuit. (lis,
Penè genu labens Meſsiæ ad nomina perſtat,
Hæc tibi ſunt, inquit, fauſta futura, ſenex.
Venerat antiquæ Ieſſeia mœnia Bethles,
Ducebat patrij ſeminis vnde genus.
Mille domos adijt loca quærens hoſpita ſupplex,
Hoſpitium nuſquam mille dedêre domus.
Ah liceat tantum tuto ſuccedere tecto,
Hoſpitibus reliquis non oneroſus ero.
Me vel in extremas domus hæc exceperit oras,
Dum tegat à triſti meq́ meamq́ gelu.
Omnia complerant trabeati tecta potentes,
Turbaq́ quæ cordi mollibus eſſe ſolet,
Frigus erat, lucemq́ breuem nox denſa premebat,
Præbebat ſiccas languida Luna faces,
Suſcipit hoſpitio tandem vir pauper egenum,
Atq́ inopem melius fert miſeratus inops.
Vilis in extremo ſqualebat caula receſſu,
Cui paries ſepes, cannaq́ tegmen erat.
Et niſi quod ſtipulis denſoq́ erat obſita fœno,
Immiti Borea peruia prorſus erat.
Mittitur huc ſenior, quem frigore virgo tremen-
Subſequitur longæ feſſa labore viæ. (tem,

Non thorus hîc vllus, non iuncto ſponda grabato,
Non erat ad ſolitas menſa parata dapes.
Stipite defixo iubet acclinare maritam,
Et locat arſuro ligna cremanda foco.
Inde anima motis adponit fictile flammis,
Et modico tenues præparat igne dapes.
Tum ſua ſuppoſito componit ſtragula fœno,
Brutaq́ gramineum ſternit ad ipſa thorum.
Iam cœnam vocat ægra fames, corpusq́ ſoporem,
Ponitur ad ſanctas cœna parata preces.
Diteſcunt teretes epulas capientibus orbes,
Accipit & largos aucta patella cibos.
Lautior exiguæ ſurrepit copia menſæ,
Non animaduerſa ſuppeditata manu.
Et dulces vuæ, & lana canentia mala,
Mixtaq́ cœruleis Carica paſſa fauis.
Miratur caſtusq́ ſenex & ſancta virago,
Et bona præſentis ſentit vterq́ Dei.
Mox iterum precibus ſynceræ mente peractis,
Componunt humili corpora feſſa thoro.
Humida iam largo ſudarant corpora ſomno,
Et refluo vegetum ſanguine corpus erat.
Tranſierant altæ tenebroſa ſilentia noctis,
Parrhaſis & flexos vrſa mouebat eques.

Edita cum casta soboles diuina parente,
Albentem subita luce serenat humum.
Siccine sancte puer securo nasceris orbi,
Nec tibi nec matri subuenit vlla manus?
Quis tibi maternos detersit ab ore labores,
Abluit admota quis rude corpus aqua?
Sed sic sancte iaces, multoq; in lumine fulgens
Maternas nitido contegis ore notas.
Aq; tuo radij per tegmina corpore missi.
Lumine cum multo numen adesse docent.
Non secus admisso postes ac verberat auro,
Flauus vbi cœlo fulgur hiante venit.
Obstupuêre ambo pariter virgoq; senexq;,
Et facit addicto virgine vota senex.
Vtq; erat acre gelu pannis inuoluit alumnum,
Quos pia Zachariæ suppeditarat anus.

*

VTque parens ipso vitalem ex pectore flammam,
Ducit, vbi nati basiat ora sui.
Sic diuina Dei spirans fomenta voluntas,
Et sobolem & sobolis pignora cuncta fouet.
Adde quod est eadem cum mente & corde voluntas,
Hæc vbi vera probat, nec cor iniqua facit.

Sic

Sic pater, & natus, & ſpiritus, vnus & idem
Eſt Deus, & ſimplex in bonitate trias.
Filius à mente eſt, ab vtroq; adflatus amoris,
Cum flatu eſt ſoboles, cum patre numen idem.
Mente igitur genitus per quem ſunt omnia facta,
Omnia quæ dici facta fuiſſe queunt.
Iuſſa voluntatis peragens, à flamine ſancto
Miſſus, & è pura virgine natus homo eſt.

Vera Dei Agnitio per agnitionẽ Chriſti.

Agnitio Chriſti ex perſona & officio deprehenditur.

Perſonæ { *ex Natiuitate* { *Diuina.* / *Humana.*

DIſcite vel potius nũc mecũ expendite ciues,
Iſte datus nobis quis ſit & vnde puer.
Non ita diſpoſitos cœlo redeunte per orbes,
Nunc puer hic primum naſcitur orbis amor.
Ante fuit quã cuncta forent, cui ſemina mundus,
Sydera cui velum debet & annus iter.

Ante

Ante creatarum formas & semina rerum
Cum, quæ facta vides cuncta, fuêre nihil.
Vndiq; cũ vacuũ, quod nũc natura recusat,
Cum nusquam motus, tempora nulla forent.
Mens æterna Deus, sapiens, liberrima, sola
Hunc habuit genitum, qui modo natus adest.
Mira loquor, fateor, nec inerti cognita mundo,
Nec facile humanis perspicua ingenijs.
Ista tamen veluti quadam delineat vmbra,
Pars hominis, vires quæ rationis habet.
Ducat in exemplum te mens & iuncta voluntas,
Corq; quod humano seruit vtriq; modo.
Nam velut optatam sobolem sibi mente figurat,
Et quasi præsentem pingit amatq; pater.
Omnis in hac forma cari stat cura parentis,
Huc adhibet sensus, huc sua vota facit.
Sic sese propria lustrans in imagine, prolem
Accipitur similem gignere mente Deus.
Et si parua licet magnis componere, in illam
Transfundit lumen pectoris omne sui.
Vtq; Deus mens est spacijs exclusa locisq;,
Cui neq; origo fuit, cui neque finis inest.
Filius hic patriæ sic mentis imagine lucens,
Semper idem præsens cum patre numen habet.

FINIS.

POEMA TVM IOANNIS STIGELII LIBER TERTIVS CONTINENS ELEGIARVM LIBROS TRES.



IENÆ
Excudebat Donatus Ritzenhayn, & Thomas Rebart.
1567.

Cum Gratia & Priuilegio.

LI
EN
IPI
no-h
impr
Li

ILLVSTRISSIMO AC GENEROSISSIMO PRINCIPI AC DOMINO DOMINO Auguſto, Ducí Saxoniæ, Sacrí Romí Imperíj Archimarſchallo & Electorí, Landgrauio Thuringiæ, Marchioní Miſniæ, & Burggrauío Magdeburgenſi, S. Domino Clementiſsimo.

ILluſtriſſime & generoſiſſime Princeps, Elector, Domine Clementiſſime. Tota hæc rerum natura, quæ cœli & terræ nomine continetur, quæq; ab æterna mente architectatrice ſapienter condita, & aptiſsimo ordine diſtributa eſt, certum vſum habet, in hac vita mortali, & maximarum rerum ſignificationem non obſcuram continet. Quod enim Deus φιλόσοφος, non tantum cõdiderit ab initio immenſa bonitate, omnes mundi partes, verum etiam eaſdem prouidentia ſua conſeruet ad vſum hominum, nemo eſt tam captus mente, vt cœleſtium corporum motum perpetuum & vniformem, & creſcentes in terra res, ſpetierumq; conſeruationẽ

mirandam, oculis animoq; intuens, negare id velit. Etenim Deus ambulat inter filios hominum, & præsentiæ suæ vestigia impressa rerum naturæ; ob oculos nobis ponit, vt de ipsius bonitate & conseruatione rerum à se conditarum, si maximè velimus, dubitare non possimus. De hac prouidentia Dei prolixè concionatur, S. S. in Psalmo 19. Cœli enarrant gloriam Dei, qui Psalmus, tanquam in fasciculum coniectas, omnes naturę partes complectitur, & prædicat Dei sapientiam & bonitatem, qui noluit frui solus æterna sua sapientia, sed prodijt ab illa sua luce, & Angelos condidit ac homines, ad suam imaginẽ, in quos transfunderet radios suæ sapientiæ, quibusq; propensi sui fauoris atq; bonitatis argumenta contestata faceret. Deinde non tantum ad vsum conditæ sunt naturæ partes, verum etiam ad multarum rerum significationem, quæ tanq; in tabula depictas, necessarias commonefactiones, & doctrinam naturæ inuolueris intectam absconditamq; nobis proponunt. Sic multæ sunt imagines illustres in rerum natura, Ecclesiæ Dei, quas hoc loco afferre prolixius atq; recensere non vi-

deba-

debatur neceſſarium eſſe. Scribit Plinius lib.11.cap.32. Halcyonas aues, Brumæ tempore nidificare in ſcopulis marinis, in ijſq; aſperrimo tempore incubare ouis, & pullos excludere, & quidem mare impetuoſum ponere minas, tamq; placidum eſſe, vt tutò nauigari poſsit ad quatuordecim dies, Illiſq; dies quia tranquillitatem & quaſi inducias maris præſtant vocantur halcyonij, de quibus in Ouidio verſiculi extant.

Perq; dies placidos, hyberno tempore ſeptem,
Incubat Halcyone, pendentibus æquore nidis,
Tum via tuta maris, ventos cuſtodit, & arcet
Æolus egreſſum, præſtatq; nepotibus æquor.

Aptiſsima hæc eſt imago Eccleſiæ Dei, quæ aſperrimo Brumæ tempore, id eſt, inter fluctus impiorum ſæuitiamq; Diaboli & Tyrannorum, docet doctrinam de Deo, multosq; ad Deum cõuertit, agentes pœnitentiam & confugientes ad filium Dei mediatorem. Hanc doctrinam cum Diabolus ferre non poſsit, impellit animos multorum potentum, vt hanc Eccleſiæ ſobolem fluctibus obruere & opprimere conentur, & in pios cœtus ſæuitiam exerceant. Sed Deus cu-

us cuſtos Eccleſiæ miranda gubernatione, naſcenti ſoboli Halcyonia ſeu ſecuritatem præſtat, inter minas & furores Diaboli & hominũ, Talia halcyonia fuerunt genti Iudaicæ, cum Chriſtus & Apoſtoli docuerunt. Inter arma enim & bellorum furores, nec propagari doctrina de Deo, nec artiũ ſemina poſſunt. Et quoties graſſantur bella in iis locis vbi pij cœtus ſunt, de vera doctrina conſentientes, votisq; officijs Deum colentes: agnoſcamus iram Dei aduerſus ingratitudinem & contemptum verbi, totoq; pectore Deo gratias agamus, quod his poſtremis temporibus, quæ futura eſſe turbulentiora prioribus vaticinium Danielis teſtatur, his quoq; regionibus halcyonia benigne conceſsit, Vt vera de Deo doctrina, quam nobis immenſa bonitate repurgatã conceſſit, depulſis tenebris, propagari poſſet. Etſi enim Diabolus hactenus conatus eſt ſummis viribus, delere & extirpare veram Dei noticiam, in noſtris Eccleſijs, pie conſtitutis, quæ neceſſario ſeiunctæ ſunt à conſortio ſeu fermento Pontificio, eiusq; ſtudij habuit adminiſtros potentiſsimos: tamen Deus repreſsit conatũ impiorum, & alis

ſuis

suis Ecclesiam suam protexit. Nec minus beneficium Dei esse agnoscamus, ipso dono verbi diuini, quod nimirum cõseruat inter nos pios magistratus, nutricios & defensores Ecclesiæ suæ, quam ipsorum patrocinio commendauit.

Nisi enim pij Principes (quos scriptura Deos nominat, propter diuina officia) susciperent curam & defensionem, Ecclesiæ Dei & scholarum, quę sunt officinæ pietatis & virtutum, nunq; coalescere pij cœtus possent, cum Martis furore omnia turbãtur, & adolescentia vel à discendi studio retardatur, aut etiam trucidatur. Tales autem fuisse nutricios Ecclesiæ Dei his turbulentissimis temporibus, inclytos & laudatissimos Principes Saxoniæ, grata omnes pij memoria summaq; animi gratitudine agnoscunt & celebrant. Quod enim hodie inuito Diabolo & Tyrannis, in his regionibus sonat vox Euangelij, quod scholæ multæ piè constitutę sunt, ad propagandam doctrinam de Deo, & optimarum artium semina, id omne, quotquot, his annis, vel in pietatis, vel bonarum artium studio, aliquid profecerunt, acceptum ferunt inclytæ familiæ laudatiss. Sa-

xoniæ Ducum, qui generis ſplendorem auitámq; dignitatem, noua pietatis & virtutum acceſsione auxerunt atq; cumularunt. Quod ita eſſe, ſine inuidia omnes agnoſcunt, propter eos, qui vel errorum tenebris excœcati, veritatem deteſtantur, qui pijs & honeſtè factis meritam laudem derogant. Talis farinæ prodijt nuper in publicum homo malè feriatus, Laurentius Surius, qui ſuis peſtilentiſsimis cõmentarijs, non dubitauit impudico ore, pleno conuiciorum, deformare pios Principes & Eccleſias, harum regionum eo animo, vt pontificios errores, quaſi ab inferis reuocaret, & doctrinam noſtrarum Eccleſiarum animis diſcentium extorqueret, quam tamen impietatem, & maledicentiam, diuino iudicio, non feret inultam. Eoq; magis incumbere ad pios conatus & defenſionem veræ Eccleſiæ Principes hodiè debebant, quo magis Diabolus inſidiatur pijs Magiſtratibus, quoq; magis omnia nunc inclinata ſunt, vt ruinam aut certè conuerſionem triſtem minari videntur. Equidem non dubito impendere toti Europæ magnas calamitates, & pœnas fatales, quas & diri ſyderum congreſſus,

diraq;

diraq; & crebra prodigia minantur, & noſtra peccata merentur. Et huius temporis perſecutionẽ, quæ graſſari cepit in Belgio, vaticinium, ex verbis Actorum, non obſcurè oſtendit. Nam verſiculus: Saule quid me perſequeris, continet præſentis anni numerum.

Cum autem Illuſtriſsime Princeps Elector, nulli obſcurum neq; dubium ſit, quanto ſtudio T.C. flagret, conſeruandi & propagandi veram de Deo doctrinam, piamq; Eccleſiarum pacem & concordiam in his regionibus conſtituendam, quę miſerè rixis diſſoluta eſt, & ſtudia optimarum artium, qui fontes ſunt omnium bonorum, vt Plato inquit: merito omnes congratulantur T. C. hanc voluntatem, quę ad totius ditionis & vicinarum regionum commodũ & emolumentum ſine dubio redundabit. Et orandus eſt Deus, vt Tuam Celſi. & alios pios Principes Eccleſiæ Dei nutricios, diu conſeruet incolumes, & conſilia pernitioſa impediat. Ego quoq; vt obſeruantiæ ſtudiiq; mei aliquo argumento, rationem Tuæ C. probarem, Volui hoc tempore Clariſ. Poetæ Stigelij, quem viuum T.C. beneuolentia clementer com-

plexa est, librum primum Elegiarum optimarum, sub Tuæ C. patrocinio in publicum emittere.

Sunt autem Stigelij Poemata eiusmodi, vt cum omni antiquitate rectè conferri atq; comparari possint: idq; optimus, de optimis disciplinis censor, D. Philippus Melanthon piæ memoriæ, quem honoris caussa nomino, literis & viua voce sæpissimè testatus est, ipsaq; res loquitur, Stigelium in hoc genere fuisse summum artificē, atq; totius germaniæ decus, de quo rectius iudicabit posteritas, & proculdubio Tuæ Celsꝯ præstantiam excellentis Poematis, vberius commendabit, Cla. vir Dignitate, Doctrina & virtute præstans, D. Georgius Crocauius Iuriscons. cui cum Stigelio arctioris amicitiæ necessitudo intercessit, quemq; rogo reuerenter, vt Orphanorum Stigelij, quos dura premit egestas, patrocinium suscipiat, vt Tuæ Cel. clementia adiuti, honestè educari & sustentari possint. Tuam autem Celsitudinem humiliter rogo, vt hanc meam qualemcunq; operam, in iuuando discentum studia benigne accipiat, quam cōmendo filio Dei, Domino nostro Iesu

Chri-

Christo, protectori Ecclesiæ suæ, & piorum cœtuum, Optimè valeat Tua C. Datæ Vinariæ ipso die Laurentij 1567.

AD LECTOREM.

DVas priores partes, Poematum Stigelij, humanissime Lector, quibus sacra continentur: sicut multi graviter conqueruntur, negligenter & absq; accurata correctione excusas esse: ita easdem ego non sine indignatione aspexi. Dolui enim tanti viri, optima scripta, non maiori cura, quę hac in parte satis esse nulla potest, in lucem prodijsse. Verum illa me absente facta sunt, & proculdubio rectius omnia administrata fuissent, si illi, quos oportebat, quicq; eius curæ commonefacti sunt, hunc laborem correctionis non detrectassent. Ego vero hanc negligentiam, vtut sese res habeat, nequaq; excuso, sed potius accuso, & operam daturus sum, vt eadem Poemata sacra, vel lenæ, vel alibi denuo, correctius & accuratius recudantur, eaq; diligentia etiam in sequentibus adhibebitur.

bitur, ne, q deinceps conqueratur, habeat Lector. Restant autem de Poematis Stigelij, vt hoc quoq; Lectori ostendam, excudendi libri qui sequuntur, Videlicet: Liber secundus Elegiarum. Liber vnus variorum. Libri 4. Epigrammatum. Liber Epithalamiorum. Liber Epicediorum & Epitaphiorum. Liber Eclogarum cum alijs adiunctis Poematis. Quos expectet breui, Candidus Lector, nostrumq; qualecunq; studium æqui bonique vt faciat, optarim.

T. C.

Humiliter
Deditus

Iobus Fincelius D

ELEGIA

ELEGIARVM LIBER PRIMVS.

ELEGIA I.

Scripta ad Illustriss. Saxoniæ Electorem Augustum, laudes eius breuiter complectens.

ILLVSTRISSIMO ET SVMMAE GENEROSITATIS PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO AVGVSTO, Duci Saxoniæ, sacri Romani imperij Archimarschallo & Electori, Landgrauio Thuringiæ, Marggrauio Misniæ, Burggrauio Magdeburgensi, Domino suo & Principi clementissimo.



Vix humili quanquam Parnassi in ualle virentis
Musa mea exiguo sustinet ore loqui,

Nec

Nec diuina ſonat Cygnæa carmina linguæ,
Clara quibus Regum facta Ducumq; canam,
Attamen argutæ Philomelæ aſſueta Camœnis,
Grata DEO ſperat ſe didiciſſe loqui.
Gata DEO res eſt, rerum celebrare potentes,
A quibus in ciues gratia larga venit,
Et mihi ſi placidè princeps Auguſte fauebis,
Vox erit in laudes officioſa tuas.
Annuis, an quæris quis ſim tam fortiter audax,
Carminis vt vili te ratione rogem,
Quid tibi cum tenui Princeps generoſe Poëta?
Iam ſatis in populo laus tua nota ſonat.
Ipſe etiam cuius tibi nomen ab omine factum eſt
Dicitur Aönios Cæſar amaſſe choros.
Admiſit trepidos manſuetus in atria Vates,
Reddidit & doctis præmia digna viris.
Hæc eadem de te, mihi ſpem præconia præbent,
In numeros facili te fore mente meos.
Dexter es ingenijs: quoniam hæc admiror & ipſe
Ingenio cupio notior eſſe tibi.
Hoc vtinam eueniat, ſic voti deniq; compos,
Sic etiam illius, quod peto, certus ero.
Quod peto nõ magnũ eſt, tibi tot, tibi tanta tenenti
Plena bona, at magnũ, præcipuumq; mihi eſt,
Quod mihi iure dari poterat, tua iura petenti
Hoc mihi propitius, ſat ſcio, ſponte dabis,

Namq

Namq; quid expecto, niſi quod ſuus exigit hæres
Qui bona cum reliquis lege vocatus adit.
Hoc potes, hocq; dabis, tua namq; eſt iſta poteſtas,
Atq; hominum nulli debita iura negas,
Firmius hoc ſpero, quia tãto in culmine Princeps,
Cum paucis nomen ſponte iuuantis habes.
Et natura, monet de Principe munera ſumi,
Quem patriæ meritis conuenit eſſe patrem.
Et commune bonum eſt, & res eſt publica Prin-
Illius exoptat quilibet eſſe capax. (ceps,
Nec melius florent ciuilis commoda vitæ,
Quàm benè cum Princeps omnibus eſſe cupit.
Sic petitur liquidis paſſim fons obuius vndis,
Et tamen optatis ſemper abundat aquis.
Quid fuit in terris Auguſto Cæſare maius?
Ille tamen maior ſe bonitate fuit,
Tale nec à populo nomen plaudente tuliſſet,
Ni facile auxiſſet commoda plebis ope,
Tu quoq; conueniens Auguſti nomen habebis,
In ciues fueris ſi bonus vſq; tuos.
Quid quæris benè cui facias, ſum ciuis & ipſe,
In numero hoc amplo pars quoq; nota, tuus.
Nam tibi ſi, qui animo eſt addictus, ciuis & ille
In numero ciuem me patiere tuo. (eſt
Nam licet agnoſcam Dominum cui ſeruio pri-
Illuſtri patriam qui pietate regit: (dem,

Te

Te tamen ingenuè reuereri maxime princeps,
Publica me pietas officiumq; iubet:
Multos ille tenet longinqua per oppida ciues,
Qui meruit sancti nomen habere ducis,
Insitus hic animis amor est, qui sceptra gerentes
Sponte sua, & facili promptus honore colit.
Vere nouo, positi rebus crescentibus orbis,
Cum natura suas explicuisset opes,
Iura DEVS populis dederat, legesq; verendas,
Quiq; animos regerent vnus & alter erat,
Accedant dominæ rerum, duo numina, dixit,
Pectora quæ arcano mota fauore trahant,
Has metus in populis, amor has comitetur euntes,
Ordinis vt teneant vincula firma mei.
Continuò solio maiestas fulsit in alto,
Illustri quatiens aurea sceptra manu.
Huic comes, ingenuis quæ mentibus insita virtus
Imperijs custos omnibus esse solet.
Illa tenens sceptrum latè dominata gubernat,
Legibus hæc sanctis subdita corda facit.
Agnoscunt Dominos, humili reuerentia vultu,
Naturæq; sequens semina promptus amor.
Nec ferus est adeò quisquam, qui dixerit audax
Digna odio est virtus, publica digna salus,
Ipsi etiam cæca grassantes nocte latrones
Iura colunt, animis insita dona timent,

Atq;

Atq; aliquem Dominum præstantem laude salu-
Noticiam tanti corde ciente boni. (tant,
Qui media profugas venatur in æquore puppes,
Qui prædam assiduus per nemus omne facit,
Agnoscit leges, virtutis grande veretur,
Oppositum vitijs quod videt esse, decus.
Me quoq; qui mores studio meliore guberno,
Qui Musis, nulli noxia, sacra fero.
Magne Auguste feres, si te celebroq; coloq;
In cætu populi pars quoq; parua tui.
Cumq; feres, miti pariter dignabere nutu,
In me iusticiæ signa venire tuæ.
Quod socer expectans poterat te dante referre,
Hoc tribuas natis Dux generose meis.
Accipiant per te neruos, quibus inuia ponti
Per freta cæca hominum vita gubernat iter,
Vita hominum est pelagus, regina pecunia nauta
Nauigat infelix, qui caret huius ope, (est,
Cur tamen hoc dubitem, tua cum clementia tantis
Laudibus ampla hominũ sparsa per ora sonet.
Præditus ingenio, quod tanto Principe dignum est
Ingenijs dexter Dux animose faues,
Vtq; animat reliquos astrorum Cynthius ignes,
Lucifluam pleno dum quatit orbe facem,
Sic tua Palladias pietas excusitat artes,
Pectora dum largo docta fauore iuuas,

Nec pudet officij. Nam quæ tibi regia certet,
Clara tot ingenijs, aula quot aucta tua est.
Est animis quiddam commune colentibus artes,
Semina quod taciti tecta fauoris alit.
Namq; velut iunctis cognatæ viribus herbæ,
Propria penè suæ nomina gentis habent.
Sic sese attingunt vinclis affinibus artes,
Et decet hoc iungi pectora docta modo.
Vos igitur proceres studijs communibus olim
Iuncta mihi, & studio turba colenda meo,
Principis illustri qui nunc floretis in aula,
Pro me ne pigeat dicere pauca precor.
Vestra iuuat merito tenuem facundia Vatem,
Eloquij studium qui sapientis amat,
Seruit enim rerum Dominæ coniuncta Poësis,
Hinc etenim ornatum quem gerit illa, petit.
Vos penes & nerui regnant & pondera rerum,
Accedit nostra rebus ab arte nitor.
Pectora flexanimi ducit sermone Poësis,
Huic proprium est motu corda ciente loqui.
Conueniens homini est, homini seruire iuuando,
Præcipuè hic candor pectora docta decet.
Et quædam ingenijs arcana est gratia iunctis,
Meta eadem quamuis pluribus esse nequit.
Caussa igitur vobis ornandi est iusta Poëtæ,
Namq; ego sum vestri pars quoq; parua chori.

Verum

Verum ad te redeo, moueant te candide Princeps
Coniugij soboles pignora cara mei,
Tu quoq́ blanda pio sub corde incendia sentis,
Quis solet adfectus quilibet esse pater.
Coniugij censor turpes reprehendis amores,
Est tibi coniugij grata in amore quies,
Illius & caussas & fines prouidus omnes,
Quaq́ DEO placeat conditione tenes.
Hinc leges pendere vides, vitamq́ togatam,
Imperia, & populos, iuris & omne decus.
Vt pater ergo iuuas studio decus ordinis huius,
Quo fine salua diu vita manere nequit,
Musa quid hic dubitas exempla ostendere facti,
Hæc etiam laus est principe digna viro.
Dum loquor exemplum, sic re comitante fauorẽ,
Quod merito celebret Musa canora, parat.
Buccina dat sonitũ, turmas tuba ducit equestres
Ad freta longinquum Baltica spectat iter,
Digreditur Princeps patrijs cataphractus ab oris,
Et sequitur Dominum strenua turba suum.
Saxo grauis, Mysusq́ sagax; fortisq́ Thuringus,
Concolor it culto pompa serena Duci.
Ordo pius sequitur matrumq́ nurumq́ potentum,
Atq́ oculis iuuenum multa puella dolor,
Nupta potens Cymbri tibi ducitur aurea Nym-
Quã patruus thalamis cõsecrat ipse tuis, (pha,

Iamq; tibi populi decus hoc gratantur & vrbes,
Conſpicit à ſummo quas Cynoſura polo,
Dulciſono tædis adplaudunt carmine vates,
Atq; aliquis tali verba tenore facit:
Florida iam nati vernabat gratia mundi,
Et natura ſuas læta fouebat opes,
Et Dominum rebus rerum præfecerat autor,
Nomen & is rebus fecerat omne ſuis.
Sexta dies ibat teneri de cardine cœli,
Et prope venturæ tempora noctis erant,
Populea feſſus dum captat frigus in vmbra,
Occupat omnipotens membra ſopore DEVS.
Mox admit lateri coſtam, ſpaciumq; recluſi
Carne ſubinducta corporis omne replet.
Tum velut ædificans decerpta ex carne puellam
Format, & ante oculos ſiſtit Adame tuos:
Excitus ille ſuo agnoſcens de corpore partem,
Numine ſic pleno vaticinatus ait,
Agnoſco te dulce caput, venerabile munus,
O ſocia, ô vitæ ſemper amanda comes,
Quam mihi pius amor, reuerentia numinis ardens,
Véraq; noticia iunxit alumna fides,
Tu vitæ pars tota meæ, mea tota voluptas,
Tu mihi curarum dulce leuamen eris,
Namq; nec aërias mihi tu delapſa per auras,
Nec terræ medio puluere nata venis,

Qua

Quæ geris ossa meis ex ossibus agnita cerno,
Et caro de carne est sanguinis ista mei.
Huc ades & mecum rebus dominare iuuandis,
Corporis & vitæ pars pretiosa meæ,
Par mihi sit tecum pietas, studiumq; colendi,
Cuius vterq; sumus dulcis imago, DEVM.
Par mihi sit tecum generis custodia nostri,
Larga parens hominum me patre mater eris.
Dixit et amplectens, quoniã de corpore sumpta es
Costa meo, debes nomen habere meum.
Nec mora primæuus genitor sponsalia firmans
Consortem vnanimi iungit vtrumq; fide.
Quæ tibi vis aperit mentis sic lumen Adame,
Non humana, hominis posit vt ore loqui.
Namq; hominis non est tantas agnoscere vires,
Hæc dictante ipso dicis Adame DEO,
Vera Dei agnitio, verus timor, ardor amoris
Hæc animo possunt verba vidente loqui.
Qui causas simul & fines discernit, & ipsum
Coniugij præsens gaudet amare decus,
Caussa DEVS sponsis casti præcedit amoris,
Vnanimi uinclo copulat ille duos.
Grata DEO pietas coniuncti est finis amoris,
Et vitæ exornans munia, pacis amor.
Vincula coniugij si tollas, ipsa necesse est
Religio, atq; omnis iuris vt ordo ruat,

Inde etenim primas ducens Eccleſia plantas,
Erudit æterno corda renata DEO,
Inde ſuo iungunt homines commercia nexu
Iudicia, & leges, fœdera, iura, vigent.
Hæc vbi finito ſic eſt ſermone locutus,
Supplicibus votis atria tota ſonant.
Te decus ô pacis princeps Auguſte togatæ,
Qui meritis auges tempora noſtra tuis,
Te, petit adplauſum laudati gratia facti,
Et meritum celebrat fama canora tuum.
Ergo coniugij cum ſis quoq; caſtus amator,
Reſpice coniugij pignora cara mei.
Non ego magna peto tibi q̃ dare copia non ſit,
Hoc peto de cumulo quidquid abeſſe poteſt.
Expeto longinquo latices è flumine Nili,
Exiguam magni ſomnio fontis aquam.
Hoc peto quod decori, tibi quod Dux mitis hone-
Quod facit ad laudis nomina magna tuæ, (ſtũ eſt
Nam quia pacis amans noſtras amplecteris artes,
A quibus omne petit vita togata decus,
Iuſticiæq; tuum ſtudio ius omne gubernas,
Qui regis imperij ſingula membra tui,
Te decet infacites pietas non languida Muſas,
Quas pax, quas famulas gloria iuris habet.
Ergo foràs aliquid proprio de fonte liquoris
Mitte, tamen iuri ſeruiet ille tuo:

Quod

Quod tibi obesse nequit, quo plus sibi gaudeat al-
Hoc animo placidè non dubitante dabis. (ter,
Adde quod hæc lex est à numine fixa benigno,
Quo plus sunt haustæ plus cumulantur aquæ,
Profluit vberius si quem vicinia carpit,
Neglectus refugis fons sterilescit aquis.
Cur tamen hic de te dubitem clarissime Princeps,
Et meritis bonitas est tua nota tuis,
Est animus tibi præcellens, te Principe dignus,
Qui finem officij cernit amatq; sui.
Est comes huic recta stabilis ratione voluntas,
Quæ probat & liquidò quod monet ille, facit.
His ducibus cernis, quid vitæ postulet vsus,
Nec sua virtuti præmia recta negas,
Hinc mihi spes animum firmat te sponte daturum
Carmine quæ timido vix referente peto.
Nec sunt immemores aut mutæ ad munera Mu-
Quas dederis illis rursus habebis opes. (sæ,
Nulla cadit melius, nec munera sanctius hærent,
Quàm quæ Pierijs sunt numerata choris,
Hi memores gratis celebrãt benefacta Camænis,
Pro meritis Musæ carmina grata canunt.
Contigit ingenuis hæc dos à Numine Musis,
Laude Deum celebrant, & pia facta canunt,
Nec decus ingenuis Heroibus aptius vllum est,
Quàm quæ facta vetat carmine Musa mori,

Carmine res gestæ ſeros celebrantur in annos,
Inq; animis longi temporis acta manent.
Quamq; citò ſaturi dimittit opinio vulgi,
Perpetuum virtus carmine nomen habet.
Quis neget ante grauem multos Heroas Atriden
Promeruiſſe ſui temporis eſſe decus,
Sed tamen ignoti longa ceu nocte premuntur,
His quia nulla diem carmine Muſa dedit.
Strenuus at vincit, ſed carmine notus Achilles,
Ante alios ſtudio clarus Homere tuo,
Quam citò vel magni pereunt ætate triumphi,
Heroum lauros Muſa virere facit,
Et tibi de foliis hederæ florentia noſtræ
Auguſtas poterunt ſerta decere comas.
Hoc ego, non aliud de me promittere poſſum,
Quicquid erit, memori pectore gratus ero.

ELEGIA II.

Scripta ad eundem Electorem Saxoniæ, &c. Continet autem dedicationem Pſalmi 89.

PRima Deo debitis facundæ carmina Muſæ,
A quo perpetuæ fons bonitatis abit. Proxi-

Proxima principibus ratio debetur honoris,
Qui metuenda Deo sceptra iubente tenent:
A Ioue sunt Reges, dixit cordata vetustas,
Namq; Magistratus sancijt ipse Deus.
Vnde tamen ius sit quo pluribus imperet vnus,
Altius à primo tempore Musa refer.
Maximus hic orbis pendentis in aëre terræ,
Quem moles refluæ celsior ambit aquæ,
Vnde homines lustrant conuexi sydera mundi,
Diuerso positi per loca longa situ,
Conditus est viuo diuini numine verbi,
Esset vt humanis cœtibus hospitium.
Hoc vt in hospitio pietas coleretur, et autor
Gauderet vero notus honore Deus.
Coniugium sanxit, certo quod fœdere seruat,
Legitimo iuncti fœmina virq; thoro.
Legibus hic prior est, prior est hic moribus ordo,
Ex quo iusticiæ manat vtrumq; decus,
Coniugio iuncti primum videre parentes,
Factus homo viui cur sit imago Dei:
Ipse pater docuit mortalia corda mouendo,
Afflatu impellens sensa profunda suo:
Exeruêre faces, celeresq; è mentibus ignes,
A quibus ingenuæ mentis acumen abit,
Scrutatiq; Deum, patefacti in lumine verbi,
Templa pij sanctis constituêre locis,

Inde preces ceptæ, diuini & sedula cultus
Cura, Deoq́ probans corda renata fides.
Inde etiam leges, & legum vincula pœnæ,
Et ius, quod fontes respicit omne duos.
Namq́ suas metas rebus definit habendis,
Et ligat ad certam res hominesq́ fidem.
Quicquid id est, illis prolata docentibus ætas
Hausit, & ad vitæ transtulit vsa decus,
Creuerunt patrio cognatæ sanguine gentes,
Vt seges in verno larga virescit agro.
Ad fontes posuêre casas: ad flumina turres,
Contiguas vicis constituêre domos.
Vallibus hinc vrbes imponere, montibus arces,
Iusticiæ cepit non simulatus amor.
Dum legêre Duces, vt quemq́ per ardua virtus
Extulerat meritis officiosa suis.
Continuò solio Maiestas fulsit in alto,
Illustri quatiens aurea sceptra manu,
Huic Comes, ingenuis quæ mentibus insita virtus,
Imperijs custos tutior esse solet,
Illa tenens sceptrum latè dominata gubernat,
Legibus hæc sanctis subdita corda facit.
Agnoscunt Dominas, humili reuerentia vultu,
Et discens pœnas sponte cauere pudor.
Gaudet amor populi iusti Rectoris honore,
Et patrium celebrat patria terra Ducem.

Nec

Nec ferus est adeò quisquam, qui dixerit audax,
Digna odio est virtus, publica digna salus,
Iusticiam comitata salus & sospitat vrbes,
Et bona solenni publica pace fouet.
Sic vbi conspirant humano in corpore vires,
Res bene Naturæ salua valentis habet,
Mens radio lucens cœli, mens integra veri
Quid deceat celsa dictat ab arce potens.
Imperio assuescit recti studiosa voluntas,
Corq; suos motus pacis amore regit.
Incolumis fruitur sana respublica mente,
Cum sapiens patrias Dux moderatur opes,
Qui simul & cultum diuinum, & iura tuetur,
Crudaq; sub miti detinet arma toga.
Musa leuans alas vultum circumfer honestum,
Dic age, vbi poteris tale videre decus?
Inuideat quicunq; timet virtutis honorem,
Saxoniæ hanc laudem promeruêre Duces.
Hoc gentile tenent, vt recto iure gubernent,
Et possint placidi ciuis amore frui.
Nunc tamen Augustũ solum est mihi dicère tem-
Numine tres fratres Christe tuere tuo, (pus,
Ad te aditum quæro Princeps, cui Cæsare vestra
Nomen ab Augusto vota dedêre domus.
Tu velut auricoma procedens Hesperus ortu,
Ante alios fulges Dux generose Duces.

Te tua

Te tua iam pridem commendans inclyta virtus,
Viuere Mæonio carmine digna fuit.
Mæonio similis non est mea Musa Poëtæ,
Quam teneris humilem versibus ire iuuat,
Et tamen exiguam ducens in carmine venam,
Munifico gaudet dicere grata Deo.
Nunc etiam exemplis Vatum inuitata piorum,
Reddidit imparibus carmina sancta modis.
Carmina Legifero quondam cantata Prophetæ,
Qui populum pulsis per mare duxit aquis.
Ille notans hominum mores, & turpia facta,
Ante oculos vitæ lugubre ponit opus.
Horrendamq; luem peccati deflet, & iram
Qua dolet offensus crimina nostra Deus.
Hic docet à causis vires assumere mortem,
Vt metat humanum nocte dieq; genus.
Hinc momenta breuis pendere fugacia vitæ,
Et mala cum pœnis serpere iuncta monet.
Et iubet interitus veras agnoscere causas,
Fœdaq; placato facta dolere Deo.
Cumq; opis humanæ non sit reperire medelam,
Messia in solo vindice monstrat opem.
Qui Deus humanos humilis descendit in artus,
Natus homo, irato victima grata Deo.
Qui moriens mortem domuit, victorq; reuixit,
Et sibi confisis gaudia vera dedit,

Hinc

Hunc veluti digitis manifesto in lumine mõstrat,
Venturumq; pia credere mente iubet.
Salue sancte senex, salue fortissime Mosa,
O Dux militiæ laude probate tuæ.
Te docuit coràm quasi natum cernere Christum,
Vis ingens fidei, vis generosa tuæ.
Cum nondum humanam sibi sumeret ille figuram,
Est tibi in humano fœdere visus homo.
Namq; manum præbens tibi triste per æquor
Per vada te sicco duxit aperta pede. (cunti,
Cum steterunt refugæ velut altis montibus vndæ,
Et medias tutum transyt agmen aquas.
Hoc tu dulce bonum, solumq; abscondere nescis,
Omnibus hoc notum cœtibus esse cupis.
Hæc doctrina magis, quàm lux & vita, petenda
Qua sine nec vita est vera, nec vlla salus. (est,
Naturam humanam gestari à vindice Christo,
Sola est in medijs anchora tuta malis.
Hanc sibi dum miseram mirando fœdere massam
Copulat, & membris nos gerit ipse suis,
Nonne docet mundo se sponte offerre salutem,
Nec sinere humanum morte perire genus?
O quicunq; igitur peccati mole grauaris,
Æger in aduersis qui male rebus habes,
Seu te sollicitant propriæ contagia culpæ,
Et dolet ærumnis anxia vita suis,

Sen

Seu tibi damnatus ludit præstigia serpens,
Siue facit sœuas mors truculenta minas.
Quæ tibi saluificum iungat cognatio Christum,
Mente tene, his solus fert tibi mitis opem.
Talia vatidico tradentem carmine Mosen,
Cur rear hoc rectè tempore posse legi,
Curq; tuo cupiam prodire fauore legendum,
Percipe consilium Dux generose meum,
Nulla suis scatuit vitijs onerosior ætas,
Quàm quæ nos nimia nunc leuitate grauat.
Non alia in pœnas mundum maturior vrgens
In medijs potuit cæcior esse malis,
In nos extremi cumulatur noxa furoris,
Vltima nos læsi Numinis ira premit.
Qualis enim facies, leuitas quàm morbida morum,
Quàm miser est fractis rebus vbiq; status.
Iusticiam terris fraus insidiosa fugauit,
Et pepulit sanctam vis inimica fidem.
Ipsæ etiam passim leges & iura laborant,
Et grauis est iustè reddere iura labor,
Qui valet ingenio, nor mam non curat honesti,
Si qua etiam est virtus, nil ea gratis agit,
Quisq; quid expediat quærit, securus honesti,
Rarus ad alterius commoda præstat opem,
Rarus ad alterius properans incendia currit,
Quisq; sibi precium viuere grande putat.

Exitiale

Exitiale bonis depascens publica fœnus
Commoda, priuatas turpiter haurit opes.
Illud in imperijs neruos arrodit & artus,
Viscera ceu vacuat morbidus hausta lien.
Sumit, & absumit, repetens compendia luxus,
Quas rapit, has iterum perdere doctus opes.
Numinis irritans vindictam impura libido,
Vix alio quouis tempore tanta fuit.
Degenerum regnat morbosa licentia morum,
Et disciplinæ est rarus in orbe locus.
Numinis ille metus, mala qui patrare veretur,
Vnde faces animi vis sapientis habet,
Non nisi cum paucis habitat, quos sparsa per or-
Colligit æterni vox patefacta Dei. (bem
Hæc mala dum spectat miseræ lugubria vitæ
Tristis, & in medio naufraga penè freto,
Aspice quo dolcat lugens Ecclesia vultu,
Ipsa suis etiam latè onerata malis.
Hanc miserè infœlix contentio turbat eorum,
Officium quorum vera docere, fuit.
Hos inter videas nasci tot monstra, quot olim
Herculea memorant victa fuisse manu.
Corda sui deludit amor, turpissima pestis,
Quæ proprium vero non sinit esse decus.
Hinc fatuas inflat procliuis opinio mentes,
Iudicijs semper pestis iniqua bonis.

Et

Et fallax varijs ludos agit artibus error,
Qui color Hæresibus proprius esse solet.
Quin etiam occultæ vis pluribus insita fraudis,
Arguta nimium ludere mente solet.
Hinc misera ambitio, dominandi & cæca cupido,
Pectora iudicio non remorante, rapit.
Ista dolens vulgus, quod spe lactatur inani,
Fluctuat, vt dubia nauita mersus aqua.
Aut bona vera, leui veluti tranantia vento,
Negligit, & magni non faciendá putat.
Aut monitus omnes odio contemnit aperto,
Et laxat vitijs libera frena suis.
Distrahit impaciens animos, & corda simultas,
Et dubia imperijs relligione nocet.
Tristis & hæc vna est cunctorum caussa malorũ,
Vera quod ignorat dogmata vulgus iners,
At simul hæc fiunt, iusto simul aspera motu
Offensi pœnas parturit ira Dei,
Horrida præcedunt accensi signa doloris,
Prodigijs pariter terra polusq; tremit,
Qualia non ima nascentis origine mundi
Sæcula mirando longa tulêre modo.
Ex utero ignitas crepitante puerpera flammas
Expulit, & trepidas terruit igne nurus,
Sanguine stagnantes fœdari vidimus vndas,
Sanguine sudauit sæpè resecta seges,

Vidimus

Vidimus & ſudo miſceri prælia cœlo,
Totaq́ prostrato milite caſtra capi,
Tu quoties verſo pateris ludibria vultu,
Qui reparas ortum lucide Phœbe dicm?
Quis numeret terræ gemitus, & fata dolentis
Non ſenio tantum deficit illa ſuo.
Sæpè eſt mota loco, trepidas & terruit vrbes,
Et ſonitum longis tractibus icta dedit.
Quid? natura dolens monſtris deſeſſa ferendis,
Horret, et ad caſus deficit ipſa ſuos.
Hæc ſunt venturæ non irrita nuncia cladis,
Qua iuſta humanum puniet ira genus.
Ergo quia hoc fuerant delicta dolenda ſub æuo,
Et venia in merito Chriſte petenda tuo,
Carmine traduxi ſancti myſteria Moſis,
Pectore qui niueo munus vtrumq́ docet,
Huic quoniam tantas via non eſt tuta per umbras,
Quas præfert veris impia vita bonis,
Præſidium mea Muſa tuum, Dux inclyte, quæ-
Tam bonus hic vates te duce tutus eat. (rit,
Vnus es è nautis Chriſti ducentibus Argô,
Nec piget hanc humeris ſuſtinuiſſe tuis,
Ferri humeris tandem quaſſatam Auguſte neceſſe
Fluctibus inſani tunditur icta freti. (eſt,
Adde quod hanc lacerat morſu petulante Sophi-
Nec ſceleris pœnas inuenit iſte furor, (ſtæ,

Hanc quia cum ſocijs hac tempeſtate tueris,
Cumq́ pijs Ducibus nobile nomen habes:
Hanc extare tuo doctrinam nomine par eſt,
Quæ trepida in Chriſto fidere corda docet.
Hanc quia magnifico profitetur carmine Moſes,
Auſpicio in vulgus prodeat ille tuo.
Ergô legent illum quos tu virtutis amore,
Addictos ſtudio quos pietatis habes.
Namq́ cupis puro doctrinam è fonte foueri,
Propicio acceptos quæ docet eſſe DEO.
Pacis amans placidæ, ſtudijs das præmia rectis,
Ingenijs Princeps ingenioſe faues,
Virtutisq́ decus ſolido metiris honeſto,
Inq́ alijs ratio quod probat, ipſe facis.
Hoc celebrant doctæ merito te nomine Muſæ,
Hoc mea te pridem nomine Muſa colit.
Sed redeo ad ſancti ſolantia carmina Moſis,
Annue, vt auſpicio prodeat ille tuo.
Cumq́ legent illum loca per longinqua vagantem,
Propicio curæ quos iuuat eſſe DEO.
Ore tibi grates peragent, & pectore Princeps,
Qui bonus his ſtudijs ocia grata facis.
Chriſte tuo nobis qui gaudes lumine iungi,
Lumine viuifico pectora cœca tuo.
Agnoſcant proprium mortalia pectora morbum,
Et doceant culpæ triſte grauantis onus.

Eq́

Eq̃ tuo ſtatuant ſibi reddi morte ſalutem,
Teq̃ patris veniam conciliante ferant,
Nàmq̃ homo in hoc ideo non viuit tardius æuum
Vt mala mancipium non releuanda ferat.
Gaudia vel luxu ſuadente fugacia captet,
Quæ magis aduerſis ſunt onerosa malis:
Sed potius ſancti ſit templum habitabile flatus,
Copulat æterno qui pia corda Deo.
Qui pater eſt vltrò lapſum miſeratus acerbum,
Et miſeris propria ſe patefecit ope.
Vtq̃ coli cupiat dilecti in nomine nati,
Tradidit è verbi voce ſonante ſui.
Hunc animi celebrent, ſolum hunc reuerenter a-
Hunc metuãt vllo lædere corda modo. (dorẽt,
Dulcia diuini diſcant myſteria verbi,
Et proprij officij iuſſa decenter agant,
Ærumnis aderit præſens & leniet iram,
Mitis & hoc vitæ triſte leuabit onus.
Et tandem extrema Chriſtum ſitientibus hora,
Perpetuæ vitæ gaudia tuta dabit.

ELEGIA III.

Germaniæ Epiſtola, quæ continet laudes Caroli V. Imp. Aug.



I qua poteſt nato genetrix optare ſalutem,
A nato poſcit quam tamen ipſa ſuo.
Hanc inuicte tibi mater Germania Cæſar,
Quam pietas meruit, quam tua cura, precor.
Carole, qui nomen ſanctis virtutibus æquas,
Carole, par nullum cui decus orbis habet.
Ecquid vt adpoſita relegis mea verba ſalute,
Agnoſcis patriæ nomina vera tuæ?
Sic age fac, relegas hæc inuictiſſime Cæſar,
Omnis aduerſi quæ nihil inſtar habent.
Non aliqua acceptæ referam tibi nuncia cladis,
Scis bene quo curſu me mea fata trahant:
Nec tibi vel iuſtas ſcribam de more querelas,
Heu mos iam pridē quàm grauis iſte mihi eſt.
Sed quamuis nunquam deſit mihi cauſa queren-
Non trahet hic aures vlla querela tuas. (di,
Gratulor Heſperiæ linquentem climata terræ,
Incolumem in noſtras te rediſſe plagas,
Gratulor: hæc ſumma eſt, & factis gaudeo votis,
Et precor in reditum vota ſecunda tuum.
Fata ſecunda precor, non tantum adducta fauo-
Ingenuo, quantum laudis amore tuæ. (re
Suadet id officium, qui me tibi ſanguine iungit,
Qui fuit ex omni tempore fidus amor.

Nondum

Nondũ tantus eras, adeò est meminisse voluptas,
Me decus ingenij cœpit amore tui.
Ac velut è cunis fertur Tyrinthius Heros
Nuncia virtutis signa dedisse suæ:
Sic prius es verum virtute lucratus amorem,
Quàm foret ætatis iusta iuuenta tuæ.
Iam tuus ingentem factis cumulauerat orbem,
Imperij & uitæ munere functus auus.
Et cœlum rediens, loca designata beatis,
Linquebat luctus publica signa noui.
Tu procul Hispanas aberas seiunctus in oras,
Quas tuus aurifluo perluit amne Tagus.
Non longinqua procul tamen interiacta locorum
Eximere ex animo te potuêre meo.
Gratia magna Deo, mecum feliciter actum est,
Quod tibi sint regni tradita sceptra mei.
Qui cum sic magnas orbis modcreris habenas,
Vt tibi non numerent stemmata longa parem,
Cum pater & patriæ merito dicaris, & orbis,
Ferrea sim, si te non vehementer amem.
Sed non corda gerunt Germanæ ferrea gentes,
Nec genus auerso tam rude Sole trahunt:
Vt sunt Heroum, sunt vt virtutis amantes,
Sic te non ficto semper amore colunt.
Bis quater obliquis iam lapsus signifer astris,
Per sua Phœbæos signa rotauit equos.

Ex quo terrarum longa ratione remotum,
Te doleo terris Cæsar abesse meis.
Ac velut Iliacas Graijs quassantibus arces
Græcia lugubris per duo lustra fuit.
Incusansq; moras, & lenti tædia belli,
Creditur absentes questa fuisse Duces.
Sic dum lentus abes longinquis victor in oris,
Vindice dum terras, & mare Marte domas.
Adiungens binis binas tricteridas annis,
Mœsticiæ numero tempora plena meæ.
Inuicte Lybicum superas dum classibus æquor,
Dum superas Asiæ regna beata tuæ.
Inq; fugam Geticas conuertens æquore classes,
Cogis in Euxinos vela referre sinus.
O quoties imo suspiria pectore duxi,
Et dixi, hoc seruent prospera fata caput?
O quoties sacras superos venerantis ad aras
Omen ad assiduas reddidit aura preces.
Siue quis extremis nostras à Gadibus oras
Adpulerat, de te dicere iussus erat,
Siue quis hic Tyrijs aderat peregrinus ab Afris,
Quid meus hoc inquam, tempore Cæsar agit?
Sæpè aliquis dubijs nostras rumoribus aures
Perculit, hic mecum non satis ipsa fui.
Non caret ingenuus curis mordacibus ardor,
Verus habet semper quod vereatur amor.

Quid

Quid mihi morborum medici discrimina iactant,
Quem desyderium conficit, ille dolet.
Adde quod addutur reliquis sua pharmaca mor-
Hei, desyderium pharmaca nulla leuant. (bis,
Adferat ipse suus Chiron consultus Epoclas,
Curabit nulla vulnus amantis ope.
Sola sed optati praesentia sanat amantem,
Illa animi curas eximit, illa metum,
Ergò tuum reditum, qui primus rettulit ad me,
Ille mihi curas sustulit, ille metum,
Ille mihi optato reparauit gaudia plausu,
Laeticiae causam reddidit ille meae.
Vix bene contigeras loca diuitis humida Belgae,
Quae tangunt fines Gallia magna tuas,
Continuò dixi, fert secum foedera Caesar,
Fert pacem, & quicquid munera pacis habet,
Nunc mihi cum liceat praesentis cernere vultus,
Cum liceat placido te tenuisse sinu.
Laeta mihi ante oculos passim omnia, & aurea
Ingremio videor Numen habere meo. (fulget,
Et qua te numen mihi non ratione putarim,
Quem statuo à summo numen habere Deo?
Ille tibi imperium spacioso contulit orbis,
Eius agis solo numine quicquid agis.
Ergò age te reducem cupidis amplexa lacertis
Excipio, & pleno gaudia condo sinu,

Iam mea vicinæ plaudunt ad gaudia gentes,
Lætitiæ existunt undiq́ signa meæ.
Ingredere ô Cæsar patriæ loca debita terræ,
Faustus ades, cœptum Dij tueantur iter.
Per famam, laudesq́ tuas, mea gaudia, iuro,
Nil nobis reditu gratius esse tuo.
CAROLE, cui fausto riserunt omine Parcæ,
Prima vbi natali splenduit aura tuo.
Sydera cui nomen rebus fatale dederunt,
Quod superant animi splendida facta tui.
Faustus ades, placido te ducant sydera cœlo,
Ad reditum vernent omnia læta tuum.
CAROLE non animis minor illo, nominis huius
Imperij primus qui diadema tulit.
Qui merita cum sit magnus virtute vocatus,
Tu virtute tua maximus esse potes.
Maximus es Cæsar, cui par, vel pace, vel armis
Cæsar ab illius tempore nemo fuit.
Nam quæ præstiterit tantum facundia fando,
Explicet vt mentis munera rara tuæ?
Vtq́ imitaturus viuæ simulachra figuræ
Doctus Apellæum ducere pictor opus,
Effingit similem dextra referente figuram,
Plus tamen archetypi forma decoris habet:
Sic vbi virtutis viuam considero formam,
Suspicioq́ animi tam bona vera tui,

Sic aliquo possum depingere forte colore,
Qua pingi debent non tamen arte queo.
Certe vt nemo satis viuentis singula formæ
Exprimit artifici lineamenta manu:
Sic color eloquij nullus depinxerit omnes
Virtutes animi, Carole magne, tui.
Vtq; meæ tantum præstet facundia linguæ,
Pieria vt possem quælibet arte loqui,
Copia me tardat, variarumq; area laudum,
Virtutis non est vna figura tuæ.
Sic dubitat pleno mirata rosaria campo,
Quas legat: multis casta puella rosis,
Textile dum sertum munus meditatur amanti,
Impedit artificem copia larga manum.
Dum tamen adlubito, quæ prima exordia sumã,
Mente sequor vasti dum vada longa freti,
En mihi se sistit diuo pulcherrima vultu, Iusticia
Omnia distribuit, quæ Dea, lance pari, Caroli.
Quam nec conspicuo formosus Lucifer ortu,
Aurea nec roseo vicerit ore Venus.
Qualis Aristidem patrijs præfecit habenis,
Quem iustum populi dixit vbiq; fauor.
Qualis & Augusto pacatum subdidit orbem,
Cum meruit patriæ nomen habere patris.
Qualis Alexandro fertur comes isse Seuero,
Deniq; qualis auo Carole culta tuo est.

Dum moror inuicti comes vnica Cæsaris inquit,
Debeo Cæsareo nomine iure cani.
Aspicis hæc etiam pariles insignia lances,
His ius Imperij temperat ille sui.
Quem gero, subiectos tegit, & premit ense rebelles,
Asserit & patriæ iura tuenda suæ.
Aspicis & famulas vestigia nostra sequentes,
Hæ genus à nostra nobilitate trahunt.
Prima quidem est pietas, cui sunt cœlestia curæ,
Quæ docet æternum nosse, timere Deum.
Inclytus hanc toto complexus pectore Cæsar
Ex animo, ex omni tempore fidus amat.
Hac duce ad exemplum summum moderantis Olympum,
Dirigit imperij publica frena sui.
Hac suadente Deo, verum scrutatus honorem,
Adflictæ fidei ferre laboratopem.
Diua quod Heroas accendat proxima mentes,
Fortis ab inuicto robore nomen habet.
Hac duce, in aduersos ruit imperterritus hostes,
Progʒ aris miscens prælia progʒ focis,
Hæc illum Herculeas docuit superare columnas,
Alcidæ merito nomina Cæsar habet.
Hanc metuens, rapida mutauit glande sagittas,
Sæpè dare Euxinus terga coactus eques.
Temperantia. *Quæ sequitur, placido tulit à moderamine nomen,*
Omnia consilijs temperat illa suis.

Hanc

Hanc victi laudant victore in Cæsare, Reges,
Sperat in hãc Scythicus, cũ mouet arma, Getes.
Aspice nunc omnes, totam circumspice turbam,
Ante oculos astat cœlica pompa tuos.
Cuius ab ingenua laudes ratione canendas,
Non tibi sufficiens vnus Homerus erit.
Laudibus Æneam quæ fert ad sydera, iunquam
Materiæ tanta pressa Thalia fuit.
Tot sunt magnanimæ mansueto in Cæsare dotes,
Multum hic qui tantum cogitat, ille facit.
Sic ait, & celeres redijt sublimis in auras,
Mox sequitur læto cætera turba sono.
Fit fragor, & subitis micat aureus ignibus æther,
Vt micat excusso mobile chasma polo.
Suspicio, videoq; alis contecta volantum
Omnia Cæsareo subdita regna iugo.
Quis mihi nunc tantas vires adflabit Apollo?
Vim tantam eloquij quæ mihi Musa dabit?
Vt generose tuas complectar Carole laudes,
Quas peperit famæ gloria iusta tuæ.
Sic aliquis cupiens formosum pingere solem,
Non successuræ suscipit artis onus.
Parce igitur Cæsar, mea non facundia tanta est,
Vt condam meritis carmina digna tuis.
Hoc tamen ingenuis munus commendo Poëtis,
Quosq; dedere mihi tempora, quosq; dabunt,

Donec

Donec erunt aliquo dulces in honore Camœnæ,
Vatibus aßiduus, Carole, ſudor eris.
Sed redeo vndè fui primum digreſſa, petoq́
Lætitiæ accipias publica ſigna meæ.
Tæda velut viuas recipit iam languida flammas,
Quam mouet exiguo molliter aura ſono,
Sic vbi fama meas iucundior attigit aures
De reditu referens omnia læta tuo,
Protinus amiſſas collegi in corpore vires,
Tota mihi ex omni reddita parte fui.
Nunc quoq́ ſi quid agam, quæris, mea gaudia
Teq́ meo lætor, Cæſar, habere ſinu. (canto,
Iamq́ tibi à populis meriti inſtaurantur honores,
Et nulla aduentus neſcia terra tui eſt.
Martia diuerſis celebrantur equiria campis,
Vocibus & populi multus adhinnit equus.
Publica ſolennes edunt ſpectacula ludos,
Multa volat longas glans iaculata faces,
Plauſibus exultant lætæ fœlicibus vrbes,
Gaudia delitiæ ruris & vrbis habent.
Grata ferunt aris humiles ſoteria ciues,
Pro reditu fiunt plurima vota tuo.
Sacrifici caſtis adolent altaria tædis,
Ante cadit patrios victima multa Deos,
Te reducem cupidis delubra ſonantia votis,
Te reducem patriæ quælibet aula canit.

Te pi-

Te pius inuerſam dum vertit vomere terram
Agricola, ingenua ſimplicitate canit.
Acer eques, reſonis cita dum crepat vngula cam-
Cantat in aduentum carmen equeſtre tuũ. (pis,
Te veniente ipſis Gradiuum damnat in armis,
Et pacem tuto ſub lare miles agit.
Te dilecta Deo, reducem venerata iuuentus,
Multa, diu vt poſſis viuere, vota facit.
Quodq́ puto fati dominas ita texere Parcas,
Optato citius gratia Veris adeſt:
Cedit hyems cæli venienti mitis alumno,
In reditum properant tempora verna tuum.
Rident arboribus frondes, & gramina campis,
Læta nouo cultu luxuriatur humus.
Neſcio quid de te nouitas mihi nunciet anni
Fallor, an hæc aliquod forſitan omen habet.
Omnia iam renouat facies blandiſſima veris,
Hoc ego nunc veris nomen, vt omen, amo.
In melius reuocant blandi nunc omnia Soles,
Tu mihi Sol, tu me nunc renouare potes.
Tu diuerſa meæ expendens diſcrimina formæ,
Iam mea concordi damna leuabis ope.
Te veniente, abeunt in amœnas ſponte coronas,
Laurea non vlla gramina tacta manu.
Brachia concordi coeunt hederaica nexu.
Nutat ad inceſſum palma procera tuum.

Pacificus

Pacificus placido tibi ridet ab æthere Phœbus,
Ceſſat in aduentu ventus, & vnda tuo.
Deniq; quicunq; eſt veræ virtutis amator,
Synceræ laudem qui pietatis habet,
De virtute tua, quod plenis laudibus ornet,
De pietate tua quod benè ſperet, habet.
Iamq; aliquis cano multum venerabilis æuo,
Moribus ingenuis, & pietate grauis.
Vt veniens longæ ſtipatus & agmine pompæ,
Ingrederis niueo conſpiciendus equo.
Intentis oculis, populi qua denſior ordo
Confluit, hæc tali verba tenore facit.
Dexter ades Cæſar plauſuſq; agnoſce tuorum,
Quos tibi non fictus præſtat vbiq; fauor.
Ingredere ô Auguſte tuas fortiſſime terras,
Dignior hoc vnquam nomine nemo fuit.
O mihi ſi tantæ ſpiraret gratia linguæ,
Qualis erat Pylij lingua diſerta ſenis.
Quàm cuperem iuſto tua nomina dicere plauſu,
Ilias hic laudis quàm foret ampla tuæ?
Si tamen & ſuperos pubes agreſtis adorat,
Nec renuunt humiles numina ſumma preces.
Has quoq; plebeis ſermonibus accipe laudes,
Deq; tuis meritis nos patiare loqui.
Excitat externos virtus quoq; vera fauores,
Atq; animos placido quoslibet igne rapit:

Te

Te colimus Rex magne tuæ virtutis amore,
Non tamen externi, sed tua turba sumus.
Laudibus hãc meritis celebrãt et vesper, et ortus,
Laudibus hanc meritis nos quoq; ferre decet.
Quàm multi hanc alij memores in pectore seruãt,
A quibus æterno debet amore coli?
Vt loca prætream diuersis plurima terris,
Nec referam nostris subdita regna plagis,
Si posses Ticine loqui, quid dicere velles?
Clarius à miti Cæsare nomen habes.
Orba parente suo iam tristior Itala tellus,
Immatura tui funera flebat aui.
Feruebant Latiæ studys discordibus oræ,
Traxerat aduersos factio multa Duces:
Vt quando extincti mœrentes funera Regis,
Per sua distractæ prata vagantur apes.
Iura silent, legum variatur sancta potestas,
Non alit assuetus cerea regna labor.
Donec in imperij suffectum munera Regem,
Vnanimi legit curia tota sono.
Tum vero agnoscit iustum plebs patria numen,
Adsuetæq; facit pacis & artis opus:
Sic vbi contigeras dextro regna Itala cœlo,
Agnouêre suum protinus illa caput.
Et tua regnorum proceres mandata secuti,
In magis optatam mox rediêre viam.

Aurea

Aurea tunc iterum viderunt ſæcula ciues,
Quàm latè Italidos panditur ora plagæ.
Nec plus Auguſto laudis ſua debuit ætas,
Cum clauſit gemino templa dicata Deo,
Itala quàm tellus tibi ſe debere fatetur,
Auxilio quòd ſit mœſta leuata tuo.
Iam tua ne tantum virtus clareret ad Auſtrum,
Debuit Eois eſſe timenda plagis,
Hoc magis aduerſo virtus vicina labori eſt,
Quo magis illuſtri conſtitit alta loco.
Exercet ſtimulans Heroica pectora liuor,
Et laudem virtus, quam probat vſus, habet.
Ergo phâretrato graſſatus Martè laceſſit,
Adfectatq́ tuas Turca cruentus opes.
Speq́ ruens citius Germanum ſæuus ad Iſtrum,
Ingenti ponit Martia caſtra manu.
Sic erat in fatis, vt quo crudelior hoſtis,
Hoc tua plus virtus conſpicienda foret.
Iam certus triduo premere obſidione Viennam,
Implerat medios largus vt imber agros.
Cura Dei vetuit, Reges quæ protegit omnes,
Ille tuis populis proſpicit, ille tibi.

Expeditio in Turcas prima, Anno 1529.

Iuſta Palatinus ſæuum Fridericus in hoſtem,
Quàm celer auſpicijs colligit arma tuis?
Quæ temerè pugnat non eſt audacia fœlix,
Hei mihi quod fortes perdidit illa Duces!

Fortiter

Fortiter obſeſſa Solymannus ab vrbe repulſus,
Turpiter amiſſo milite terga dedit.
Vt taceam captos, Mars cœlo noſter amico,
Bis quater exitio millia dena dedit.
Vix bene reſpirans binos numerauerat annos,
Ex quo bella ferens Turca fugatus erat.
Iam cladē acceptam, iam ſigna relicta recordās,
Noſtraq́ quod Getico ſanguine ſtagnet humus.
Triſtia Pannonias ſuſpiria mittit ad arces,
Mente ſedet fœdæ triſtis imago fugæ.
Quid victis reliquum crebri niſi cauſſa doloris? ,,
Eſt grauis, vlciſci non potuiſſe, dolor. ,,
Tempore veſanam dolor exardeſcit in iram, ,,
Curaq́ ſit nocuus non releuata furor. ,,
Arma furor ſuadet, pharetratus & eiurat arcus,
Vltrici rurſus ni paret arma manu.
Fortunam tentare iterum ſpes altera ſuadet, ,,
Hei mihi quàm certas decipit illa vices. ,,
Obſtitit inceptis tua ſed prudentia Cæſar,
Præcauet impendens quæ ratione malum.
Iam bene compoſita Germanas pace per oras,
Sumis in infeſtum ferreus arma Getem.
Nec mora, Germani præſtò eſt tibi copia Mar- Expe-
Suppetias vltrò Teutona terra tulit. (tis, ditio in
Non tibi tunc Italus, non defuit acer Iberus, Turcas
Et iuga qui fortis læta Bohemus arat. Anno 1531.

Occiduus bellis committitur orbis Eoo,
Martem hinc exercet magnus & inde labor.
Iam Geta Pannonios adducens signa per agros
Sæuit, & admissis irruit acer equis.
Hei nescis te ferre tuis tua fata sagittis,
Saxa refers læsos rursus ad icta pedes.
Quæ tormenta vehis terris minitatus & vndis,
In pœnas tellus portat & vnda tuas.
Iam proprior campis grassatur, & omnia turbat,
Omnia iam ferro perdere certus erat,
Excipit auspicio Germania Cæsaris hostem,
Et præsente facit prælia iusta Deo.
Turcica sanguineo sternuntur corpora leto,
Nostra iterũ Scythico sanguine stagnat humus.
Diffugiunt sparsis pharetris, atq; arcubus hostes,
Qui fugere ex aliqua parte, vel arte queunt.
Pars terras maculat cæsarum more ferarum,
Dum fugiens, latebras tesqua per alta petit.
Pars rapiente mori dum mitius optat in Istro,
Flumina sanguineo mixta cruore bibit.
Amissis iterum signis Solymannus, & armis,
Mixta ferens turpi damna dolore fugit.
Et nisi Threicias sese abscondisset in oras,
Iam Tanais totus noster, & Hebrus erant.
Ecquid vt amissis toties fugis impie signis,
Maiestas aquilæ quanta sit ista vides?

Fulmen

Fulmen habet, quid iners sæuo cũ fulmine certas?
Lethifera à tanto fulmine flamma venit.
Eius es Austriacis bis nomine pulsus ab oris,
Si venies iterum, damna suprema dabis,
Vnguibus illa oculos tibi fortibus eruet ales,
E craneo fauces pascet & illa tuo.
Quid Pyrata lucri tulit Ænobarbus ab illa,
Auspicijs spoliat qui mare Turca tuis.
Armatis Tyrium rimatis classibus æquor,
Ille peregrinas traijciebat aquas.
Punica Sydoniæ prædatus littora Didus,
Vim prædæ Tyria pinguis agebat humo.
Depulerat profugum veteri de Tunide Regem,
Qui sua sub Domino Cæsare regna tenet.
Certus erat victor Thyrrenum euadere Pontum,
Et ruere in fines Ausonis ora tuos.
Quid tua non cernit fœlix prudentia Cæsar,
Auspice fortunam temperat illa DEO.
Quantum est euentum rerum ratione videre,
Quantum est auxilij commoditate frui?
In tenui labor est, si quis præsentia vitat,
Ille sapit, quisquis damna futura cauet.
Prospicis hoc aditu non rursus ab hoste recepto,
Ad loca muniri cætera posse viam.
Prospicis hinc alijs metuenda pericula terris,
Quàm latè Christi gloria nomen habet.

Barbaro ssa ui ctus & Tunetũ liberatũ, Anno Domini, 1535.

Ergò laceſsitam merito conſurgis in iram,
Magnaq; terribili fulmina claſſe paras.
Agnoſcit Dominum placidi reuerentia ponti,
Et tremit ad claſſes ventus & vnda tuas.
Iamq; micant Aquilis tremulæ volitantibus vr-
Pulſaq; Cæſareo marmora Marte ſonant. (da,
Iam ruis oppreſsis fœliciter obuius Afris,
Concutitur tonitru littus & vnda tuo.
Nec minus hoſtis atrox, vt qui tibi cedere nollet,
Expectat martis ſigna cruenta tui.
Pugna naualis. Mox educta ſonant completo carbaſa ponto,
Martis & in ſummis alea ludit aquis.
Iamq; datis ponto concurrunt cornua ſignis,
Miſcentur trepido prælia ſæua vado.
Ira iuuat vires, animo pugnatur, & arte,
Ardet & in medijs Mars ſitibundus aquis.
Sulphureis plenus caligat glandibus aër,
Multa volat celeri miſſa ſagitta manu.
Alliſis ſpumat calcatum puppibus æquor,
Claſsicus ad manes fertur & aſtra ſonus.
Quantũ eſt aduerſos Ducibus præſentibus hoſtes
Aggredi, & admonita bella ciere manu?
Dum pugnas, pariterq; animos in milite ſpectas,
Signaq; virtutis das manifeſta tuæ.
Quilibet oſtendit ſua robora miles, & vltrò
Pugnat ad exemplum fortior eſſe tuum.

Ergò

aſſueta tuis ſemper victoria caſtris,
c quoq́ de cælo proſpera ſigna dedit.
ctis ratibus victus profligitur hoſtis,
is in infamem barbara vela fugam.
tur laceras Neptunus in æquore puppes,
quore æq́ ſtupent corpora merſa Deæ.
tibi Tyrios reddit victoria portus,
te iterum pacem barbarus Afer agit.
us has Latijs ſeruaſſe Quiritibus arces
itur, & laudem promeruiſſe ſuam.
nuicte tibi debent tua ſæcula Cæſar,
ius Europæ victor ab hoſte redis.
et antiquæ celſas Carthaginis arces,
forti æquauit Scipio Marte ſolo.
uia ſeruaſſes, quas oras perdidit ille,
n renuat laudi credere laude tuæ.
ia tollebat niueas victoria pennas, Accedit uictor Cæſar ad Sicilíam.
ta per immenſas orbis itura plagas.
at hanc ſumnii venientem pinna Pachyni,
huentu tremuit Trinacris ora tuo.
dus Enceladus ſpacioſus contrahit artus,
ctat rapidos parcius Ætna globos.
intur portus, panduntur mœnibus vrbes,
rederis tituli celſus honore tui.
fugit è populis odijs comitata ſimultas,
nunquam ſocia factio lite carens.

Cincta caput ſanctis oleæ pax aurea ramis,
Te duce per medias ducitur alta vias.
Ditia magnificæ quæ præbuit horrea Romæ,
Agnoſcit dominum nunc quoq; terra ſuum.
Fata reuertuntur pedetentim abeuntibus annis,
Et cœli facies quæ fuit ante, redit.
Sicelis Heſperijs quondam eſt habitata Sicanis,
Hiſpano eſt iterum numine facta potens.
Iam tua ſublatis progreſſa potentia ſignis
Italidos repetit rura beata plagæ.
Victor Cæſar accedit Italiam.
Recludunt aquilis portas redeuntibus vrbes,
Et dominus, populi vox ſonat vna, venit.
Inclyta Parthenope, ſacra nobilitatis alumna,
Agnoſcit ſceptri iura verenda tui.
Hannibal infeſtis ad cuius mœnia ſignis,
Irrita fruſtratis viribus arma tulit.
Te ſolenne ſuæ virtutis principe, ſeruat,
Quàm tibi non alij fida futura Duci.
Qualibus Hiſpanas placaris legibus oras,
Iam notum memores Betis & Anas habent.
Et tibi dicuntur grata præconia voce,
Quàm latè occiduo lucet ab amne Venus,
Eſt experta ſuo moderatam in Cæſare mentem,
Belgica diuitijs gens animoſa ſuis.
Tempore non aliquo poterit delere vetuſtas,
Iuſticiæ quantum debeat illa tuæ.

Omnia

i quid memorem? ſi quis namq; omnia dicat,
le opus inuicti voce Maronis habet.
ſed eloquium quamuis celeberrima vincat,
non poſſum ingenij dona tacere tui.
vacat à bellis, cum Mars famulantia paci
illa dedit, quod agas tunc quoq; Cæſar habes.
ia non aliquo traducis tempora luxu,
ia nec vitæ deſidioſus agis.
nundo vigilas, ſubiecto proſpicis orbi,
emper & in finem quod mediteris habes.
legis hiſtorias, & fortia facta priorum,
nperioq; notas facta imitanda tuo.
pariter belli, pacisq; intendis in artes,
t chlamidi poſsis Cæſar & eſſe togæ.
ſatis eſſe putas illi qui temperat orbem,
uilis tantum munia noſſe Ducis.
e ſed Heroum, cum cœlo ſemina ducas Studium
rutaris patriæ ſydera celſa tuæ. Aſtro-
iuuat arcanas naturæ inquirere cauſſas, nomicũ.
ex quibus æterni lucet imago Dei.
uo ſubiecto dominentur lumina mundo,
t ſua diuerſis munia rebus agant.
atris in terras fungatur munere Phœbus,
œcundæ partes Cynthia matris agat.
ora quid cauſet, quid ſiccos adferat æſtus,
uæ data vis terris, quæ data vis ſit aquis.

Obliquus variet longum cur ſignifer annum,
Cur æquet tenebris pendula libra diem.
Accendat pinguem quo fomite flamma Cometem,
Qui trahit è fatis, funera, bella, famem.
Formet vt aërijs ignis conceptus in auris,
Mucrones, frameas, fulgura, tela, faces.
Quid moneat, terræ longis contacta tenebris,
Cum gemit à nitido Sole relicta ſoror.
Impediens cæcum Phœbe quando obijcit orbem,
Quid moneat fuſcis Cynthius ater equis.
Iam præcepta etiam Ptolomeidos imbibis artis,
Hoc etiam rectè Cæſaris eſſe putas.
Cœlorum obliquis vt Luna magiſtra quadrigis,
Vecta ſuas faciat rebus ineſſe vices.
Vt ſenſim à recto declinent tramite Solis,
Quæ vehit aërius ſydera fixa polus.
Stella quibus fixis ſe motu accommodet errans,
Quæ cœli ſalubris, quæ ſit imago nocens.
Iam mundi ſpacium cœli ad conuexa reducens,
Exigis emenſis climata longa plagis.
Studium Coſmographiæ.
Nec te longa latet gelidæ diſtantia Thules,
Quàm latè à Lybicis ſeparat arua plagis.
Nec quantum Auſtralis radios mirata Canopi,
Taprobane Latia maxima diſtet humo.
Cæſaris eſt, terris, vt qui dominatur, & vndis,
Per terras norit, per mare qua ſit iter.

Talibus

alibus atq; alijs de te præconia Cæsar,
In media senior plebe probata facit,
luraq; dicturo, poterant cum plurima dici,
Impedit inceptos læta iuuenta sonos.
am quo plura sui meritis de Cæsaris audit,
Hoc magis in plausum fertur amore tui.
cum quisq; suo tua facta in pectore gestet,
Quæ totus de te cognita mundus habet.
us meminisse iuuat, testariq; omnia gestu,
Cum narrare satis singula nemo queat.
ec ego dum calamo duco, dum mando papyro,
Inq; meo Cæsar plurimus ore sonat.
ta peroptatæ referens mihi nuncia famæ,
Redditur à digitis charta notata tuis.
bis vt in Synodum Proceres Germania co-
Teq; iubes causam iudice pacis agi. Cgam,
oris ingenui tantas intelligo flammas,
rodit virtutes hæc quoq; charta tuas.
o quàm cupias fessis succurrere rebus,
uàm cupias dici Cæsar vbiq; pater.
atet ignaram te desudare tot annos,
t pacì & fidei consuluisse queas.
las cæcas è Religione tenebras,
on cura officio defuit vlla tuo.
ium vt cogas, nota est tua recta voluntas,
tio conatus nescia nulla tui est.

Hei quid fata parant? q̃ tantis laudibus obstant?
Hic mihi quod cœli numen obesse querar?
Fata senescentis properant in funera mundi,
Quid rebus miseris consuluisse iuuat.
Macte tamen pietate tua perrumpito Cæsar,
Vir pius & prudens vincere fata potest.
Adde quod hæc laus est, quanulla est gloria ma-
Adde quod hoc propriũ est Cæsaris officiũ: (ior,
Illustrare Dei laudem cultusq̃ tueri,
Noticiam doceant qui retinerẽ Dei.
Ergò Deum sectare Ducem, sectare quietem,
Turpiter afflictam perge leuare fidem.
Perge pias cæcis animas erroribus actas,
E tristi in veram nube vocare viam.
Commoueat rerum facies te mœsta mearum,
Me miseram, impendet quanta ruina mihi?
Impia te diri moueat violentia Turcæ,
Ille meas vires atterit, ille tuas.
Nec tantum ille meo maculare in sanguine dex-
Sed cupit à vero me reuocare Deo, (tras,
Vince armis tandem, quem causa Carole vincis,
Laus hostem Christi perdere quanta foret?
Quemq̃ fugas toties & cladibus adficis hostem,
Siste, cape, expugna, confice, dede neci.
Quid tamen hæc moneo? veniã da maxime Cæsar,
Qui monet vt facias, quod facis, ille probat.

Into

pes posita est omni discrimine maior,
duce tanta potes damna leuare Deo.
cant nostræ cœli decreta saluti,
scio quid te ipso Cæsare maius habes.
xit facie castus regnabit vbiq́,
cta certus de pietate fuit.
a te memorant veterum præsagia vatum,
ultaq́ te cœli docta Sibylla canit.
s antiqua nascetur origine Cæsar.
ntis idem priscis nomen habebit auis,
i qui magni conscendens æquora Ponti,
ra pharetratis inferet arma Getis.
ili adficiens Scythicum terrore Tyrannũ,
tincto spolium victor ab hoste feret.
achrymis Geticos complens & sanguine
a gens capiet morte coacta fugã. (campos,
ia restaurans puros Ecclesia cultus,
animi veram prouehet ore fidem.
a florebit toti pax aurea mundo,
vetus imperio restituetur honor.
videt cœli quà primus & vltimus orbis,
erij dominus Carolus vnus erit.
atidico pandunt oracula sensu,
na quibus priscis pagina multa libris.
bit vires, qui fata arcana gubernat,
ceptis mundi qui tibi sceptra Deus.

Vatici-
nia de
Cæsare
Carolo.

Ergo

Ergo erit vt videam reparatæ tempora pacis,
Totus vt in pontum Teutonus Ister eat.
Tempus erit fuso cum lætus ab hoste redibis,
Et statues Christo celsa trophæa Deo.
Læta tibi texet meritas Ecclesia laudes,
Iusta tibi meritus præmia soluet honor.
Ipsa tibi nato statuas Germania ponam,
Inscribam titulis fortia facta tuis.
Virtutum seriem veniens mirabitur ætas,
Laus tua perpetuæ nescia mortis erit.
Inter at Heroas post seræ funera vitæ,
Qui ferat à superis præmia primus eris.
O properate vago labentia sydera cœlo,
Lætitiæ trahitis tempora siqua meæ.
Sed quo digredior? iam lassat epistola dextram,
Plura tamen lassam scribere cogit amor.
En iterum, credas matri non ficta loquenti,
Te reducem gremio lætor habere meo.
Gratulor aduentum tibi, & omnia defero quic-
A patria, patriæ debet habere pater. (quid
Ingredere auspicio, quod nunciet omnia votis,
Læta futura tuis, læta futura meis.
Ingredere infausto fœliciter omine Turcæ,
Qui tua mox victus sub iuga regna dabit.
Interea vt possis pulchro superesse labori,
Omnia perficias Cæsar vt ista, Vale.

ELEGIA

ELEGIA IIII.

) ILLVSTRISSIMVM

INCIPEM ET EVANGELI-

eritatis Christianissimum Defensorem, Do-

m Ioannem Fridericum, Ducem Saxoniæ,

sacri Romani Imperij, Electorem, &c.

hristianæ Germaniæ Epistola dissuadens

Concilium Mantuanum, Scripta in Eu-

angelicis comicijs Smalcal-

diæ habitis. An-

no 37.

Vam legis assertor magni fortissi-
me Christi,
Vix bene Theutonica scripta la-
tina manu est,
ub deformi glacialis tempore brumæ,
sd vos ad gelidam Chalcida fecit iter.
te Saxonicæ Princeps sate sanguine gentis,
egia quo maius non tulit vlla decus,
id vt impressæ diuellis vincula ceræ,
ta tibi patriam scribere verba vides,
uia tot cæcis est oblita charta lituris,
ix stylus hic nostræ creditur esse manus,

Desine

Desine mirari fœdam squalore tabellam,
Omnis hic est lachrymis facta litura meis,
Vt status est rerum series q; odiosa mearum,
Sic huius carthæ forma notanda fuit,
Scribimus hæc lachrymis in singula verba profu-
Illæ vtinam vocis pondus habere queant, (sis,
Hæc vtinam videas quæ sit scribentis imago,
Hoc opus vt facerem me decuisse neges.
Quid tamen implorem dudum clariss. sanguis
Id tibi quàm cupias certius esse puto.
Scis benè fortunæ quibus impetar vndiq; telis,
Scis benè fatorum qua ratione trahar.
Non secus ac tremuli torrentur febribus artus,
Vror inextinctis sollicitorq; malis.
Ah piget & pudor est toties iterare querelas,
Ad quas iam surdus quilibet esse potest.
Omnia si cupiam certis comprendere verbis
Ilias est operis longa futura mei:
At non sæua queror violenti incendia Martis,
Ex aliqua quamuis hæc quoq; parte queror,
Mitto cruenta mihi minitantem funera Turcam,
Quem toties vano quid iuuat ore queri,
Nec vereor toties rumpentem fœdera Gallum,
Inueniet pœnas perfidus ille suas.
Est aliquid grauius quod me magis vrit & vrget,
Pro lacera cogor Religione queri.

Iam

eparante ſacræ fidei documenta Luthero
cuimus veteres vulgus inane Deos.
terum nobis patefacta eſt ianua cœli,
ſita Pontificum quæ fuit ante dolis:
ties grates genibus proſtrata peregi,
unera qui nobis reddidit iſta, Deo.
ꝙ finitimis impartiat omnia terris,
plice, non rarò, voce precata fui,
i ô vtinam noſtros miſeratus abuſus,
e ſuum præſens proroget author opus.
tat, & toti Chriſtum Sathan inuidet orbi,
ꝙ poteſt verbum ſubtrahit arte Dei.
ō ille dolos? quæ non ſtratagemata tractat?
lat vt è medio dogma ſalubre Dei.
eam cædes, homicidia, furta, rapinas,
lacꝙ ſanguinei flebile Martis opus.
ut innumeras ſtudia in contraria ſectas,
quantus ſubiti fons fluit inde mali.
Veſtphalicas pridem furit orta per oras,
us auſpicijs non aliunde venit.
a quæ vitio pueris attracta parentum,
le ſacro tolli fonte fideꝙ negat,
is, atꝙ vtinam ſatis hoc vidiſſe fuiſſet,
erit hæc nuper quale furoris opus.
uiſſent ſceleratis ſydera ceptis
cinis & puluis Theutonis ora foret.

Auſa

Ausa est priuatum sine iure extollere Regem,
Qui tanti sceleris duxq; caputq; foret.
Dij quantos scelerum fluctus, quæ crimina mo-
Nominibus pudor est ista referre suis. (uit,
Sed benè consuluit Christus pietatis honori,
Versa est in cineres cum Duce secta suo,
„ Certa sub ADVERSO stat NVLLA potentia Christo,
„ QVAE non CONSTITVIT, non beat ILLA Deus.
Inde tamen passim vestigia pauca supersunt
Ni vetet ah nimium multa futura, Deus.
Quæ licet admonitis excindere viribus ausim,
Deficio, & prorsus languida membra traho.
Hæc quoq; quæ nudis etiam vix ossibus hærent
Corporis in venis mutua bella gerunt.
Dextera fert Christum, quam læua oppugnat &
Pro veris animo falsa probante sequi, (audet,
Seq; leuans ceruix suspirat ad ardua cœli,
Ad stygias sudant inferiora domos.
Totius exanimes confligunt corporis artus,
Subq; sua totum mole laborat onus.
Hinc malè negligitur veri reuerentia verbi,
Hoc animo solum non simulante queror.
His tamẽ ægra malis, his turpibus obruta morbis,
Subleuor haud aliqua fessa medentis ope.
Is quoq; Clauigerum qui se mentitur Olympi,
Ius simulans summi se penes esse poli,

Ma

Me toties ſynodum miſeranda voce petentem
Negligit, & ſurda reijcit aure preces.
Sæpè locum Latijs mihi deſtinauit in oris
In quo cauſſa queat Relligionis agi,
Sed tamen hoc fuco quæſita eſt anſa nocendi,
Non eſt in verbis illius vlla fides.
Illius & nuper mihi litera venit in aula,
Hei vereor doctis inſidioſa notis:
Quæ benè ſi memini, nec ſenſum mœror ademit,
Verborum tali ſcripta tenore fuit:
Quam tibi debebam ſi poſſem ferre ſalutem,
Afferat hanc cœli Chriſtus ab arce precor.
Fama volans noſtras pridem percelluit aures
Iniuſta fati te ratione trahi;
Et video, & doleo, plus quàm mihi credere poſſis
Te facilem fati non habuiſſe viam,
Vt pater audito percuſſi vulnere nati,
In lachrymas animo liberiore ruit:
Sic ego cum videam curis te talibus angi,
Vt pater in lachrymas corde dolente feror,
Pontificale meæ teſtor diadema coronæ,
Sæpius indignis me doluiſſe modis,
Quid tamen efficiam tantarum in turbine rerum,
Quum mea non dubiè me quoq; fata trahant,
Quod potui, feci ſacras operatus ad aras,
Ad ſuperos pro te thura preces q; dedi,

Possit vt hæc synodo decerni causa vocata,
Huc vsq; est voti plurima summa tui.
Et vellem, & melius fuerat, sed tristia bella
Hactenus hanc cogi passa fuêre minus:
Cum tamen affectu cupiam releuare paterno,
Triste laborantis Relligionis opus.
Cumq; etiam pietas, tantæ in discrimine causſæ,
Exigat auxilij commodioris opem:
Nolo tui iustam voti producere metam,
Ni fuerit serò consuluisse graue,
Proxima venturi quare sub tempora Maij,
Concilio noris me statuisse locum,
Qua iacet vrbs celebris Thebanæ nomine Mathus,
Quam vagus irriguis Minthius ambit aquis,
Non vrbs Italicis magis extat idonea terris,
Aptior ad synodum non locus vllus erit.
Hic populos cogam qui Christi signa sequuntur,
Huc quoq; cum reliquis tu comitata veni,
Hic disiunctarum reparabitur vnio rerum,
Et facies melior totius orbis erit.
Omnis & admissus prius emendabitur error,
Debitus vt Christo restituatur honor,
A lolio & paleis purgabitur area Christi,
Hoc quibus hæc nuper tempore sparsa iacet,
Tu modò fac venias, nec te ipsam lenta moreris,
Interea vt possis sospes adesse Vale.

Hæc

c ita cum vigili reputassem singula mente,
Non caret hic dixi suspicione color,
ipta quidē placidis blanditur Epistola verbis,
Quis tamen est illi, dicat? habenda fides.
inc ego si possem, timidè relegentibus illam
Ex animo scripsit dicere, quanta forem?
on caret insidijs fucatæ gratia linguæ »
Rarāq; blandicijs fertur inesse fides, »
t nos iampridem Romanas discimus artes,
Nouimus hæc liquidis toxica tincta fauis,
ollige præteritos repetens exempla per annos,
Quo Romana fuit tempore certa fides,
emporis annales omnes euolue prioris,
Regales fastos Cæsareosq; lege,
ui Rex, qui Cæsar, terrarum à pestibus illis
Aspera non aliquo probra dolore tulit?
Ah animi faciles, ah credula corda Monarchæ,
Quis putet his ludi vos decuisse dolis?
Quæ vos exercens duris Rhamnusia fatis,
Tam vanas voluit pertimuisse minas,
Quis Deus hic vestræ, tot contra immania mōstra,
Vindictæ facilem noluit esse viam?
Verum agite immunes nunc viuite, regia cœli
Seu vos, Elysiæ seu fouet aura plagæ:
Pontificum hoc propriū est, securo illudere mun- »
Illorum faciunt ad scelus omne manus. (do »

Quidquid id eſt memori dum pectore pōdero me-
Incidit in curas ſemita longa meas. (cum
»» Et me Pontificum terrent exempla priorum
» Qui ſapit, exemplis cautior eſſe poteſt.
Qui ſemel aufugit pedicis fallacibus ales,
Omnibus is ramis rete ſubeſſe putat,
Naufragiumq; ſemel tumidis qui fecit in vndis,
Nauita præuiſas cautior intrat aquas.
Doctius aduerſum pugnat gladiator in hoſtem,
A quo contacto corpore vulnus habet:
Vtq; eſt Pontificis nobis ſpectata voluntas,
Sic ſubit ex ipſo nauſea multa loco.
Et locus Æ æis dudum eſt infamis ab herbis,
Et gens infeſtæ Phaſidos arte potens,
Vt ſupercm gelidas niuibus iuga tecta per Alpes,
Quis dabit ad patrios poſſe redire Lares?
Quod lolio & paleis purganda ſit area Chriſti
Scimus quid captet, quid loliumq; vocet,
Scilicet accuſans qui nos in ius trahit, eius
Iudicio, cauſſa, prædominante cadam?
Quæ lex hoc dictat, quæ plebis ſcita loquuntur?
Sim lapis, ah ſi non hic meminiſſe queam.
Rettulit hæc Latijs profugus mihi nuper ab oris
Paſquillus, noſtros dum petit exul agros:
»» Si quidquam fido Germania credis amico,
» Rete tibi video, rete paratur ait.

Ad

Synodum quite Latias inuitat in oras,
Nescio quid tacito pectore fraudis alat:
Scio, si simplicitas tua si falletur ab illo,
Indictæ cauſſam resq; locusq; dabit,
Tuum dudum cupido ſitit ore cruorem,
Si ſapis, à tanto dum potes hoſte caue.
Scit ad hunc multis habeo ſubſcribere cauſſis,
Non ſolet hæc falſum libera lingua loqui.
Hinc quid agas videas, videas clariſſ. Princeps,
Dux Euangelici portus & aura gregis.
Ad vos miſſus adest legati munere functus,
Quicunq; ille patris nomen Aquenſis habet.
Orſan & vt venias longo ſermone perorat,
Hæc ego dum querulus exaro verba notis.
Lurimaq; italico vobiſcum more locutus,
Blandito longas increpat ore moras:
Quid faciam? ſuadere velim, veniamus ut illuc,
Impediunt dubiam mille pericla viam.
Diſſuadere velim, refugos, lucemq; fugentes,
Tota Papiſtarum nos mala turba vocat.
Quis ſapit is caſus circumſpicit ante futuros
Quam ſuadet dubijs vela ferenda Notis.
At qui ſponte ſua rapidam ſe mittat in Ætnam,
Hunc aliquid ſanæ mentis habere negem.
Qui vitare potest tortæ loca cognita Scyllæ,
Nec vitat, quid eo ſtultius eſſe potest?

Iam ſatis accepto didici reſipiſcere damno,
Hei mihi, non iterum ſic ſapuiſſe volo.
At tu magnanimi generis ſate ſanguine Princeps,
In quo huius cauſſæ grande recumbit onus:
Infeſtos contra quo defenſore tot hoſtes,
Chriſtiferam ferimus turba profeſſa crucem,
Si me difficili non negligis aure monentem,
Accipe conſilij nuncia verba mei,
Italiam videant, quibus eſt ea cura videndi,
Tu mecum poteris tutius eſſe domi.
Quin quod erit melius, manſueti Cæſaris aures
Fac moueant humiles in tua vota preces,
Tam grauis vt nobis ad tanta negotia cauſſæ
Conſtituat terra commodiore locum,
Quem ſeu finitimis, ſeu noſtris deſtinet oris,
Sponte ſequar, Latios dummodo nõ per agros.
Sint modo doctrinæ veræ & pietatis amantes,
Sint omni vacui ſuſpicione viri,
Sit non corruptus iudex, ſit libera fandi
Copia, quo res hæc libera poſſit agi,
Quodlibet haud renuens tecum diſcrimen adibo,
Dum ſeruem, Chriſto quod decet eſſe decus,
Cæſar vt ingenuæ ſibi manſuetudine mentis,
Non habet in toto, quem regit, orbe parem,
Non feret audito tam iuſtæ pondere cauſſæ,
Fiat vt in noſtras vlla repulſa preces.

Non

Non premit innocuos, non prouehit ille nocentes,
Iustitia numen temperat ille suum,
Si nos audierit professentes dogmata Christi,
Illius intrepidi stabimus ante thronum.
Tunc tandem afflictæ succurrere religioni,
Tunc tibi tunc poteris consuluisse tuis.
Interea famam iam iustam perge mereri,
Perge quod es, populis longius esse tuis,
Quid facis, inuictum quantum potes, adsere verbum,
Quæq; Deo acceptos nos facit esse fidē.
Ducat in exemplum patrui te viuida virtus,
Ille pater patriæ nomine req; fuit,
Cuius vt est totum sapientia nota per orbem,
Sic pietas omni tempore nomen habet,
Quo voluit Christus quasi sub tutore renasci
Atq; iterum verbi mittere dona sui,
Quem, cum veridici vidisset scripta Lutheri,
Conuinci à doctis non potuisse scholis.
Non fraus Pontificum, non fallax gratia Regum,
Flexit, vt inceptum destituisset opus.
Ducat in exemplum clari te fama parentis,
Assertor Christi maximus ille fuit.
Munus vt hoc chari post mortem fratris obiret,
Quas subijt fraudes, quanta pericla tulit?
Insidias quoties illi struxêre Tyranni,
Successus odio qui pietatis habent.

Ille nec insidias veritus, nec bella potentum,
Prouexit summi dogmata vera Dei.
Hæc quoq; principibus tot refragantibus vnus
Iudicium fassus Cæsaris ante fuit.
Qua sita Vindelicis iacet vrbs celeberrima cãpis,
Cæsaris Augusti quæ graue nomen habet.
Sed quid ego huic chartæ super ista vacanea
In te ipso dotes quas imiteris habes. (mando,
Hæc te vix opus est maiorum exempla tueri,
Sponte facis quod te posse decere vides.
Non opus est agili dare vela tumentia puppi,
Quæ sine per placidas remige fertur aquas.
Ergò vbi te certi lex subtrahet inuida fati
Post vitæ emeritum plurima lustra senem,
Mens tua sublimis super ardua sydera cœli,
Et tua per terras fama perennis erit,
Inter & Heroas media statuetur in aula,
Staturam referens alta columna tuam,
Cum benè Cæsareos præconia vestra triumphos,
Præteriens memori marmore turba leget,
Cum fuerint lecti patruus, genitorq; Ioannes,
Verba quibus Christi spargere cura fuit,
Hoc quoq; post illos titulo tua stabit imago,
Hic est quo viguit vindice dogma Dei.
Quæ laus esse potest titulo præstantior illo?
Hic est præclaro Principe dignus honor,

Hinc

Hinc te aliquis cano memorans venerabilis æuo,
Hunc animis dicet fige iuuenta tuis.
Cumq; diu tremulo te commendauerit ore,
In laudes numerans secula multa tuas,
Pro tam cœlesti meritas tibi pectore grates,
Communi populi voce iubebit agi:
Iam satis inualidos lassauit Epistola sensus,
Officiumq; stylo dextera fessa negat.
Quid? nisi quod cupio me tecum posse valere
Restat, vt adscribat litera nostra, Vale.

ELEGIA V.

AD ILLVSTREM ET IN-CLYTVM HEROA PHILIPPVM Hessorum Principem, &c. Germaniæ, ob victoriam VVirtembergensem Epistola gratulatoria. Anno 34.

Perlegis? an renuis? fortissime perlege Princeps,
Non est Hesperica litera facta manu.
Gratulor inuicto Germania mater alumno,
Gratulor, & laudis tangor amore tuæ,
Si tamen hanc releges, vnde hæc mihi litera dices,
Misit an hanc tandem Teutona terra mihi?

At benè nunc memini noſtri ſecura latebat,
Vidit vt Heſsiacas bella mouere manus,
Nunc vbi me Martem fœlici abſoluere fine,
Omineq́ optato claudere cepta videt.
Exhibet hunc nobis animi gratantis honorem,
Hic vel ab externis ſic mihi habetur honos.
Da veniam, quod noſtra latens, ſed amica volun-
Hactenus eſt nullis publica facta notis. (tas,
Quidquid id officij eſt, præſtari ſerò fatemur,
Sæpè etiam ſeris gratia rebus ineſt.
Grata iuuant pariter, quæ primi tempore Maij,
Et quæ poſtremo poma Decembre cadunt,
Ante tamen tecum multum conferre volentem,
Sæpè grauis quæ me cauſſa vetaret erat,
Quam me ſollicitæ ſi præcipis addere chartæ,
Hei renouas monitu vulnera noſtra tuo,
Addam, ſi qua tamen ſqualebit charta lituris,
Sis memor, à noſtris has cecidiſſe genis,
Illa ego quæ quondã fama ſuper æthera fulgens,
Clara fui Martis nomine, clara togæ,
Quam neq́ Romulides gens Martia credita ciues,
Vincere Sarmaticæ nec valuêre manus,
Nunc rerum proprijs affecta labore ruinis,
Ah pudet hæc certa me memorare fide,
Quæq́ meo domui peregrinas milite gentes,
Hei mihi nunc mecum mutua bella gero:

Iamq́

Iamq; meo certant odijs in corpore membra,
Obruor assiduis adficiorq; malis:
Hinc male ceu morbo laceros dissoluor in artus,
Nec suus est illis qui fuit ante vigor,
Hei nihil in toto patitur durabile mundo,
Ipsa quoq; absumens secula tempus edax,
Omnibus hoc rebus iustos subducit honores,
Omniaq; annosa conditione premit,
Quattuor aspicias summis data regna Monarchis,
Non tamen hinc longo procubuere die,
De quibus ac tantis, nunc nil nisi nomina restant,
Maximaq; hæc mundi regna fuisse, sat est,
Contigit Europæ quartum præterc Monarcham,
Vltimaq; inuicta sceptra tenere manu.
Vnde Quirinali data magna potentia Romæ,
Imperij vt teneat sceptra verenda, fuit,
Dū potuit tenuit, sed nunc quoq; languet hebetq;,
Hæc quoq; quassari tempore, sentit onus.
Roma dabis veniam, nostra ceruice recumbunt
Regna tua, atq; oneri nunc premor ipsa tuo.
Imperijq; tui magnam Germania partem
Sumo mihi, ah quantum sumo laboris onus.
Qui nunc iusticia mundi moderatur habenas,
Imperium è nostro corpore lectus habet,
Hinc velut annorum multis confecta calendis,
Quercus & ingenti pondere pressa tremit,

Sic

Sic ego difficilè ſub pondere nuto tremoq́,
Parcite, me fati numina ſi qua manent.
Ergo ne me lentam doleas ceſſaſſe Philippe,
Atq́ intra ſceptrum delituiſſe meum.
Cernis vt infirmos mater malè protegat agnos,
Febribus infeſtis ſi qua peruſta iacet,
Vt te aliqua poteram ſaltem ratione iuuare,
Plurima me ratio quæ prohiberet erat,
Et tibi rem ſummis cum Regibus eſſe videbam,
Poſſeq́ rem tantam vix ſine clade geri,
In te fingebam multos heroas iturós,
Nomine in Heſpirico pallida ſemper eram,
Siue quis huc dixit verſurum Carolon arma,
Carolos hic nobis ara verenda fuit,
Fœdera ſiue Duces armari in pacta Suēuos,
Inceſſu metuit poſſe carere minas.
Ferdnandus patrijs turmas cogebat in oris,
Ferdnandi ceptis cura nouata mea eſt.
Deniq́ quisquis erat veſtris non æquior auſis,
Incidit in curas Ilias ampla meas,
Iamq́ volat paſſim lectas te armare Phalangas,
Rumor, & audaci bella parare manu.
Tum vero ad luctus inuitaq́ munia fletus,
Vrgeor humentes imbre rigare genas,
Obſtupuêre tuis ceptis & Rhenus & Albis,
Quàm latè curſus egit vterq́ ſuos,

Quorum

Quorum alter tumido cõuoluens gurgite fluctus,
Creditus est imis sic sonuisse vadis:
O quo fata vocas, quæ mente audacia surgit,
Siste precor ceptis magne Philippe tuis,
Iusta quidem, sed magna tamen, sed maxima ce-
Consilium est tantis abstinuisse meum. (ptas
At si fata vocant, & stat sententia Parcis,
Consilium non est abstinuisse meum:
Est tibi, sitq; precor duplex in pectore pectus,
Non ab re tribuit quod tibi forte Deus,
Hoc vtare rogo recta ratione ministra,
Cætera permittens efficienda Deo.
Omnia sic dextro procedant prospera Marte,
Cunctaq; quæ ceptes in tua vota fluent.
Dixit & assueto tristem sese abdidit antro,
Increpuit querulo fluminis vnda sono:
Sed bene consuluit iustus Deus optimus ausis,
Iamq; redis populo victor ouante domum,
Hesbiacus redyt miles, iam tegmina fumant,
Lucet odorato plurimus igne focus,
Excipit amplexu redeuntem Nympha maritum,
Ille suis patrio carmine bella canit.
Multa rogant pia turba, senes, vaga multa iuuen-
Totaq; narrantis pendet ab ore domus, (tus
Ducuntur positis passim conuiuia mensis,
Saltat ad argutam fœmina virq; chelym,

Iamq;

Iamq; aliquis ducto deliniat agmina gypso,
Aut pingat fuso prælia gesta mero.
Hâc ibat rapidis sinuosus Neccarus vndis,
Hîc steterant nostri Martia castra Ducis,
Hîc nos ex corijs consuta naue bouinis,
Traiecit rapidas Dux Generosus aquas.
Hîc subitò incautos armis oppressimus hostes,
Hîc hostis verso transfuga cessit equo,
Omnia namq; meo, cursus cui iungit aquarum,
Rettulerat Rheno Neccarus, ille mihi.
Rettulit & vestris Aspergæ viribus arcis,
Ardua cum ducibus mœnia capta suis.
Illaq; ne quicquam vasti compagine muri
Ingenioq; alti firma fuisse loci.
Ausus es Heroum Mauortia facta secutus,
Perficere audacis grande laboris opus,
Tempore quod sero veniens mirabitur ætas,
Et semper memori posteritate feret.
Sueuicus hinc aliquis post plurima secula Prin-
Cui subdet famulũ Neccaris vnda caput, (ceps,
Qui genus Hulderichi referet de sanguine, quem
In sua nunc iusta regna reducis ope. (tu
Cum vestras longo numerauit ab ordine peltas,
Aut hoc aut simili verba tenore canet:
Salue magnanimæ virtutis imago Philippe,
Quo decus haud maius Rhenus et Ister habent,

Cui

Cui merito acceptum ferimus, semperq; feremus
Nostra quod adserto floret honore domus.
Namq; quod Hulderichus regno patriaq; fugd-
Restituit studio regna recepta tuo. (tus
Hinc deuincta tibi nostræ sunt stemmata gentis,
Dumq; suo crescent semine, semper erunt.
Facta dies gelidæ longissima tempore brumæ
Æstiuam spacio vicerit ante diem.
Ante æstate niues, hyemali tempore fruges
Arboribus pisces, poma legentur aquis:
Hæc tua quàm nostri taceant benefacta nepotes,
Excidat & meriti gratia tanta tui.
Viue sine inuidia, seu te consortia cœli,
Seu tenet Elysiæ turba beata plagæ,
Quid tamen ista tibi venturis auguror annis,
Omnia cum sua laude superstes habes,
Iam pridem varijs crescunt tua nomina votis
Omnibus & populis multus in ore sedes.
Te solers Italus, pugnax te nouit Iberus,
Nominis est tellus nescia nulla tui.
Hoc tibi non solum defensio iuris & æqui
Sed peperit, vires mens moderata, decus.
Marte quis est vnquã dextro moderantius vsus,
Quis capto victor mitior hoste fuit?
Perdere diffusos potuisses funditus hostes,
Sed pia te ratio quæ retinebat erat,

Te mo-

Te monuit pietas, monuit dijs proxima virtus,
Vt premeres iræ libera frena tuæ,
Hac virtute nihil præclaro in Principe maius,
Hac homines ſuperis proxima turba ſumus.
Sæpè Deum vidi iaculantem fulmina cœlo,
Deijcere in terras vltima fata putes,
Cum poſſit iuſtas de nobis ſumere pœnas,
Vindictæ cauſam prorogat ille ſuæ.
Macte igitur tantis Princeps virtutibus eſto,
A quibus ante alios quo celebreris habes.
Perge ſecuturos extendere nomen in annos,
Quod facis, & decori grandius adde decus,
Cumq; quibus fatis videas, qua peſte laboret,
Debile ſynceræ Relligionis opus,
Vt pia ſaluifici defendas dogmata Chriſti,
Noueris hoc etiam muneris eſſe tui.
Te Deus è multis tantus ſelegit, vt eſſes
Crede mihi, haud fruſtra quod facit, ille facit.
Perge pijs ſummum factis aſcendere cœlum,
Haud alia ad ſuperos eſt via trita Deos,
Vince precor ſemper, victis vt parcere poſſis,
Dum pia Chriſtifera pro cruce bella geris,
Dij tibi dent annos, virtutes ante dederunt,
Viue diu, æternos viuere digne dies.

ELEGIA

ELEGIA VI.

AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM AC DOMINVM PHILIPPVM Ducem Pomeraniæ, &c. obfilium recens natum Gratulatorium.



Esse Deo curæ, qui rerum sceptra gubernant,
Tu quoq; non dubiè magne Philippe doces:
Nam cum sollicito sint omnia plena tumultu,
Cum tot succumbant tempora nostra malis,
Impia cum vobis meditentur bella Tyranni,
Qui fidei afflictæ grande fouetis opus,
Cum tantæ insidiæ vobis ponantur ab illis,
Impia quos Stygius cogit in arma furor,
Cum mortem intentet meretrix Babylonia vobis,
Quæ ponit iustum Dæmones ante Deum,
Tu poteras dubitare tuæ de semine gentis,
Deq; tuæ forsan dexteritate domus.
Iam tecum sanctis gemuit Pomerania votis,
Nimirum imperij fida ministra tui.
Vtq; tibi è chara concedat coniuge natum,
Sæpè pijs votis est venerata Deum,

Qui tecum, & longæua tuæ post fata senectæ
Adserat inuicti dogmata vera Dei.
Audijt hæc (nec enim quidquam negat ille pre-
Et tibi diffugiat quo tua cura dedit: (canti
Iamq; tibi accedunt solatia, Principe nato,
Hæredem pietas inuenit ista suum.
Quod Deus instituit ante omnia curat & ornat,
Ille Magistratus condidit, ille regit.
Cœlica res Princeps, sunt cœli munera Reges,
Ordo Magistratus cœlitus iste venit.
Illis dat motus acres, dat nescia frangi,
Cordaq; fortunam vincere docta Deus.
Et velut inuisos turbat de sede Tyrannos,
Sic illos saluos hic & vbiq; tegit,
Ille tuam agnoscens pietatem, hoc munere misso,
Officij voluit te monuisse tui,
At tu Saxonicæ Maria inclyta sanguine gentis,
Et decus & generis gloria magna tui,
Quæ virtute tua patrias Heroidas æquas,
Conueniensq; tibi nobile nomen habes.
Viue diu & thalamos natis fœliciter auge,
Gloria tam claro pignore magna tua est.
Omnia virtutum te dicere nomina credas,
Hunc proprio atq; suo nomine quando vocas.
Nam solet ingenuo nasci cum Principe virtus,
Hoc decus in cunas præstat vterq; parens.

Iam

Iam generoſe puer riſu cognoſcere matrem
Incipe, nam patriæ te tulit illa decus,
Magne puer cœlo demiſſum munus ab alto,
Ingredere exortus proſpera fata tui.
En tibi blanda ferunt ſanctæ munuſcula Muſæ,
Natalisq; canunt ſydera fauſta tui.
Arridentnato Charites, arridet Apollo,
Stagnat et ad cunas Caſtalis vnda tuas.
Te nato nouitas reſerata volubilis anni
Gaudet, & admiſſos lenius vrget equos.
Iamq; tibi incipiunt longi ſe prodere ſoles,
Natali applaudunt tempora læta tuo,
Ipſa exuta hyemem venturi veris amore
Veſtit, & ornatas terra recludit opes.
Iamq; vbi conſueſces auras orbemq; tueri
Ridebunt oculis omnia blanda tuis.
Quid, mirum nam vere nouo qui condidit orbem,
Vere nouo patriæ condidit ille Ducem.
Omnia principio primum ſunt condita veris,
Optima dici ipſo quæ meruêre Deo.
Quare age Dux toties votis optate tuorum,
Luce ſubi vitam proſperiore tuam.
Qui tecum patrijs adfers ſolatia terris,
Nunc ſydus populis exoriare tuis,
Naſcere Dux populis, patriæ ſpes altera terræ,
O quantam è cunis ſpem capit illa tuis.

Inclyta tu diſces facta obſeruare parentis,
Maius & antiquis nomen habebis auis.
Te dominum pariter matrisq́ ex fratre nepotes,
Tota ſub Arctoo terra Boote colet.
Tu Pomeranus eris, cupidis cui patria votis,
Optabit Pylij tempora longa ſenis.
Qui poſt iuſta tuo ſuccedens fata parenti,
Inuictæ fidei grande tenebis onus.
Interea vitæ tibi proſpera fata precantur,
Omnes quos animos conſtat habere pios.
Hos cupis afflictæ fidei fortiſſime vindex,
Hoc tua virtutis grande Sibylla decus.
Nomine qui ſicut patruiq́ patrisq́ vocaris,
Sic æquus animi diues vtrumq́ bonis,
Hoc alij proceres, ſtudio quicunq́ tenaci
Pro ſacra curam Relligione gerunt.
Tuq́ adeo, monſtrante Deo qui primus in auras,
E tenebris reuocas magne Luthere fidem.
Hoc ita natura fœlix Orator Ioanas,
Hoc Cruciger placida candide mente cupis.
Et nunquam à rerum curis relcuate Melanthon,
Ieſſææq́ Lyræ tu Pomerane decus.
Sed redeo vnde fui primò digreſſus, & ad te
Conuerto numeros magne Philippe meos.
Hunc quoties natum vultu amplecteris amico,
Et placida pendens ore fouebis onus,

Eſſe

Esse puta missum ceu calcar, vt vrgeat illud
Quod nunc pro Christi lucetueris opus:
Non meliora potest Princeps patrimonia natis
Linquere, quàm veri dogmata pura Dei,
Sed tibi nunc volui gratis applaudere Musis,
Quicquid id est, facili susspice fronte precor.
Suscipe facta tuo natalia carmina nato,
Exigui breuitas temporis ista dedit.
Quod supereſt longos viuat cum matre per annos
Comprecor, & regnet cum sene patre senex.

ELEGIA VII.

Scripta ad Saxoniæ Ducem Ioannem Fridericum Tertium, Continet autem gratiarum actionem.



Ate bonis veris decus omne, atq; ocia Musis
Adserere, ingenio Dux generose tuo.
Grata tibi queruli fuerit quod Musa Ioëlis,
Res tantas, tenui carmina iussa loqui.
Quas tibi communi Musarum nomine grates
Iure tuo, meriti debitor huius agam?
Qui tanto accendit, dextram tibi lumine mentem
Vt videas, vitæ quo bona fonte fluant.

Idem longa tuæ producat tempora vitæ,
Vt patriæ possis consuluisse diu.
Tempus erit, sic spero equidem videoq́ futurum,
Præcipuum cuius tu celebrere decus,
Cum noua & hac melior te sic mirabitur ætas,
Vt virtute tibi non putet esse parem.
Perpetua texent tibi serta virentia Lauro,
Aonij vatum turba canora chori.
Quodq́ artes in honore bonæ, linguæq́ disertæ
Semper erunt, id erit muneris omne tui.
Mollia tunc positis florebunt ocia bellis,
Pace graues vrbes, pace fruentur agri.
O mihi tunc ducant non pigram sydera vitam
In laudes fundam carmina docta tuas.
Quod facis interea Musas clarissime Princeps
Dexter ama, hinc vera laude beatus eris.

ELEGIA VIII.
AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM AC DOMINVM Dominum Ioannem Fridericum ætate medium, &c.

DVx animi præstans, clarissime stemmate Princeps,
Qui patris inuicti nobile nomen habes,

Strenu-

Strenuus aduerſos ſi res ita ferret in hoſtes,
Vt caperem iuſſis arma cruenta tuis,
Non me magnanimi pro laude armatus Achillis
Sæua Menœciades promptior arma ferat,
Aut quicunq; ſui pro nomine Principis audet
Miſcere audaci prælia ſæua manu:
Nunc grauis inuitum dum me compellit egeſtas
Munera fortunæ pauca rogare tuæ.
Vix etiam aſſumptis calamū mihi dextra tabellis
Dirigit, & ceptas exprimit ægra notas.
Non quia non faciles præſtes orantibus aures,
Principis officium qui pietate probas,
Sed quia me toties veſtra pietate leuatum
Non ſinit ingenuus poſcere plura pudor.
Quæ tamen vrgentis me vis premat improba fati,
Accipe non longa cuncta notabo mora.
Omnia turbarat graſſantis teſſera Martis,
Flebat & amiſſum patria mœſta patrem,
Turpis & Oenomai diffringens Myrtilus axes
Obruerat ſubito pectora mœſta metu.
Ecce velut trepidæ miluo veniente columbæ,
Pierides celerem arripuêre fugam,
Diſtractiq; ruunt, quicunq; fauente Minerua
Nomen ab ingenio, nomen ab arte trahunt,
Et niſi quem tenuit ſpecioſi gratia nummi,
Plurimus exilio maluit eſſe miſer.

Ipſe pio patriæ paſſim iactatus amore,
Per varios dubia ſorte vagabar agros:
Lugubris aſſuetas veluti circumuolat ædes,
Cum ſibi deiectam cernit hirundo domum,
Aut qualis vario deſcribens aëre gyro,
Amiſſum quærit Nauplias orba Ducem.
Et gemitum repetens, et mœſto gutture plangens,
Hoſpitij tutum neſcit adire locum.
Sæpè latens ſyluis reptabam mœſtus opacis,
Accuſans gemitu fata ſeuera meo.
Hic laſſata meas reſonabant antra querelas,
Et poterat iuſtus tangere ſaxa dolor,
Languit interea rerum non ampla facultas,
Paruus vt exhauſtis riuulus æret aquis,
Vtq; meo Domino carui, ſic nemo carenti
Gratuitam mitis ſuppeditabat opem,
Mœſta mihi nullum pariebant ocia lucrum,
Ocia Pierijs exatianda bonis,
Quiq; aliqua officij me conditione vocabant,
His pietas vetuit me dare certa fidem,
Hæc mihi neglectus, hæc verſi cauſſa fauoris,
Hæc mihi tempeſtas ſortis acerba meæ,
Scilicet hos generat hæc turbida tempora mores,
Rarò magnus erit qui cupit eſſe pius.
Gratia purpurei ſi quem commendat honeſti,
Huic comes aſſiduus non ſolet eſſe fauor,

Impia

Impia terrigenæ moturi bella Gigantes,
Inuida dum superis sedibus arma parant.
Nata doloriferas naturæ intendere lites
Proxima concilio cogere monstra placet,
Nec mora Peliacis celeres de rupibus adsunt
Parte homines formæ, parte bimembris equi
Mox etiam Othryſij Lapithæ, Siculiq; Cyclopes,
Conueniunt ſummo turba inimica Deo.
Ad ſuperos nondum terris aſtræa relictis,
Ceſſerat humanum Diua peroſa ſcelus,
Pulſa ſed eſt regnis, atrijsq; eiecta potentum,
Exilium in ſolis triſte trahebat agris,
Quã recolens aliquis cum Baucide rura Philemon
Integer è multis millibus vnus erat.
Illa igitur ſæuos cupiens mollire furores,
Et monitis orbi triſte cauere malum,
Sponte venit, mediumq; lubens ſe immittit in agmen
Vtq; venit, veniam ſic bona pacis, ait.
Protinus optatæ percepto nomine pacis
Anguigenum moto murmure turba fremit.
Conſedêre tamen, tum ſancto ſplendida vultu,
Diua graui carmen ſic ſuit orſa ſono.
Quis furor iniuſtis clades accerſere bellis,
Quis furor in ſuperos bella mouere Deos?
Non temere emerſit, non caſu voluitur orbis,
Qui terras patulo, qui regit aſtra, ſinu,

Est Deus æterna qui mundum mente gubernat,
Rebus ab hoc vno robur & ordo venit,
Is regit imperio mundi labentis habenas,
Ipse suum seruans author & actor opus:
Ille viam soli monstrat lunæq; vaganti,
Aptior optatis rebus vt annus eat,
Omnia percipiunt illo aspirante vigorem,
Omnia sydereo fœdere vincta fouet,
Ille locum turpi vetat esse, requirit honestum,
Vultq; pias leges Iusticiamq; coli,
Et notat hoc toto quæcunq; geruntur in orbe,
Nullaq; præsentem facta latere queunt.
Iustus ab his repetit culpæ pro crimine pœnas,
Ordinis osores quos videt esse sui.
Quisquis onusta gerit mordaci pectora culpa,
Ille loco nullo delituisse potest.
Arguit hanc tandem vel longi temporis ætas,
Vel soboles pœnas illius orba luit.
Vernus vt insurgens hædis orientibus Eurus,
Incautas subito concutit imbre rates.
Præcipitiq; volans alis humentibus haurit,
Moxq; leui penna rursus ad astra redit:
Opprimit offensi sic Numinis ira nocentes,
Et secura graui vulnere corda ferit,
Dumq; dolor serus culpam comitatur, & ictum
Iam refugit, munus præstitit illa suum.

Ergo

Ergo agite æternum nolite lacessere numen,
Cuncta quod immensa claudit vbiq; manu.
Horrida mors illi telum est, sunt fulmina vires,
Quem ferit, heu quanto concidit ille malo.
Viuitis in medio, qua terram ventus & aër
Sustinet, in medijs quæ sita pendet aquis,
Horrendo positi cumulentur vt aggere montes,
Moles vasta licet sternat ad astra viam,
Subruet hoc solo diuina potentia nutu,
Omnia quæ flatu cum volet hausta rapit.
Omnia sunt rerum certæ subiecta ruinæ,
In solo est virtus, vitaq; vera Deo.
Dum ioquitur, fremuêre omnes, & mota furore
Surgit in insontem turba maligna Deum.
Illa Dei nutu fugiens euasit & inde,
Nunc quoq; diuersa repit in orbe fuga.
Vitat adhuc vires, & tecta superba potentum
Plus vbi syncera vis ratione valet.
Et nisi quas pietas habitat loca nulla frequentat,
Hei mihi quàm nunc est rarus vtriq; locus.
Quin decus ingenui quoscunq; inuitat honesti,
Omnia quos iusti fine probare iuuat,
Peius habent vafres quàm nos natura per artes
Criminis audaces in genus omne rapit,
Sunt tamẽ atq; vtinam dextra sint sorte potentes,
Sub quibus vtiliter iusq; piumq; viget.

His precor optatos inclinent ſydera curſus,
Vt quod ſint animis fortibus eſſe velint,
Quod mare, quod tellus, Iuuenũ clariſſ. Princeps,
Ignorat veſtræ numina magna domus?
Cui peperit claram ventura in ſecula famam,
Iuſticiæ pietas addita fida parens,
Vt taceant linguæ, tamen hoc teſtata loquentur
Facta pia, æterna non caritura fide,
Non capit hoc tempus maiorum clara tuorum
Nomina, non humili commemoranda ſono.
Hæc aliquis longò vel tempore ſumat Homerus,
Illi quodq́ canat, quodq́ loquatur erit,
Seu vetus à nimco repetamus ſtemma Caballo,
Purpureí ſaliens qui terit arua ſoli,
Inclyta ſeu libeat Rutatæ inſignia peltæ
Reſpicere à primis, tempus ad iſtud, auis,
Inuenies alijs veluti virtutibus auctos,
Hic quoq́ iuſticiæ, ſic pietate graues,
Namq́ quis Heroes à pacis nomine dictos,
Æquandos ſummis Regibus eſſe neget?
Quos penes antiquum Germani conſtitit enſis,
Seruandi Imperij cum ratione decus.
Tu certè quoniam Luci Friderice fauebas
Qua ſola cerni vult Deus, atq́ coli.
Iuſta tibi meritò tribuit Sapientia nomen,
Teq́ tui fecit temporis eſſe decus,

Extulit

Extulit Heroem pietas inuicta Ioannem,
Vnde pij merito nobile nomen habet.
At quibus hic memorẽ te maxime laudib: Heros,
Qui patris & patrui nomen vtrumq; tenes.
Tu geris inuicto contemptum pectore Christum,
Nec tremis imposito pondere fortis Atlas.
Non tibi cœlestem attenuant vincula mentem
Vt temerè esse velis, quod vetat esse Deus.
Sceptra, valetudo, dulces cum coniuge nati
Regna, fauor, gentes, patria, splendor, opes,
Sunt tibi cuncta, Deo Princeps dilecte, minoris
Quàm præstanda vni munera vera Deo.
Hoc decus inuideat licet tibi durior ætas
Iudicium melius posteritatis erit.
Atq; aliquis gemitu repetens hæc tempora dicet
Hoc cur non aliquis maior in orbe fuit.
Quando igitur, vobis Princeps sunt inclyte curæ
Hinc pietas illinc iuris honestus amor.

ELEGIA IX.

AD PALATINVM, VOCATVS AD ACADEMIAM Heidelbergens. ampliss. præmijs, recusat conditionem.

SIc

Fœlix ſtatus Reipub.



Sic vbi conſpirant faciles in corpore vires,
Res benè florentis ſalua ſalutis habet:
Mens radio lucens cœli, mens integra veri
Quid deceat celſa dictat ab arce potens,
Imperio aſſueſcit recti ſtudioſa voluntas,
Corq; ſuos motus pacis amore regit,
Si quis ad hanc Princeps regimen componere for-
Omnis vt officij congruat ordo ſtudet, (mam
Imago Principis. Ille ſtatu imperij fruitur populiq; beato,
Et clarum meritò nomen honore gerit,
Illi applaudit amor, ſparſi in commercia ciuis
Officijs numerus conſtat vibq; ſuus,
Ille vbi ſe ſolio, media componit in aula,
Dicturus populis iura colenda ſuis,
Protinus ingenuo Maieſtas candida vultu
Aſtat, & auguſto fronte ſerenus honor,
Tum linguam expediens æquo de iure diſertè
Prudentiq; ſimul pectore verba facit.
Doctrinæ pariter, fœcundæ & carmine linguæ
Mulcet, & aſſenſu pectora mota trahit.
Mille hominum meritis hominem conuertit in vnum,
Virtutis proprio vis animoſa bono,
Huic reſpondet amans poſiti reuerentia iuris,
Promptius & ad legum dogmata ſponte fauor.

Siue

Siue domi, seu prompta foris studia expetit vsus
Vnanimem præstat patria tota fidem.
Quod si vera Deum mõstrans doctrina, gubernat
Cor Ducis, vt regni comparet inde decus.
Verè erit imperium fœlix ex asse, nec vnquam
Diuino orbatum perdet amore decus,
Tu quoq; cum talem patriæ mediteris, & optes
Constitui, Elector Dux Palatine, decus,
Inclyte, ab Henrico, qui clarũ & Otone, Monar-
Saxonico natis sanguine nomen habes, (chis,
Te quoq; prosequitur merito veneratus amore,
Qui ciuis dici, qui cupit esse bonus,
Iure tibi gratantur opes, gratantur honores,
Res quibus est Princeps digna fauore bonus,
Namq; alia vt mittens, alijs celebranda relinquã,
Te meritò Musæ cur venerentur habent,
Quas quoniam hospitio venientes excipis vltrò,
Et finis vmbroso pacis amore frui:
Me quoq; magnifico dignatus sponte fauore,
Sollicitum larga conditione vocas,
Addis opes etiam, capiendos addis honores,
Et dignum Musis ingenioq; locum.
Agnouêre meæ decus hoc in Principe Musæ,
Et gaudere sibi non potuêre nihil,
Me tua suscepit bonitas, si causa probaret,
Iusticia, à patria noluit esse mea.

Causa

Cauſſa fuit: ſed vicit amor patriæq; Ducumq;
Mutari aſſuetum non tulit illa ſolum.
Illi vt iuſticiæ, ſunt vt pietatis amantes,
Sic Muſis etiam, quod meruêre, ferunt.
Hoc illis Natura dedit, generoſaq; gentis
Nobilitas, veris ſemper amica bonis,
Sic iuuat ingenio ſimiles virtute parenti
Laude pari verum promeruiſſe decus.
Illis eſt curæ pietas, & gloria veri,
Et pax quæ ſummi eſt ſemper alumna boni,
Viuite magnanimi, iam vobis auſpice Chriſto
Auricomis debet ruta virere comis,
At tibi quas grates mitiſſime debeo Princeps,
Vnde feret parua ſors mea verſa rota?
Quæro nec inuenio, nec aquas inducere fonti,
Nec nemori ſyluas, nec decet, ipſe velim.
Seruo animũ memorẽ, gratum circumfero pectus,
Hoc etenim Princeps debet honore coli,
Publica res Princeps, commini debet amore,
Non tantum ſtudio muneribusq; coli,
Eſt tamen hoc illi ceu teſtificatio, namq;
Si quis amat, ſtudium non negat ille ſuum.
Ergo animo & ſtudio ſi quid conducere poſſem,
Ingenium hoc forſan non tibi turpe foret.
Hinc, quas arcta tibi neſcit fortuna referre,
Hoc tenui grates carmine gratus ago,

Carmina

Carmina diuitiæ ſunt vatibus, aurea nunquam,
Frondea ſed Muſis nota corona fuit:
Inde diu nomen florens Heroibus addunt,
Quod recolunt memori ſecula multa ſono.
Deperit argentum, cumulatum intercidit aurum,
Theſaurum ingenij mors abolere nequit,
Nec virtus longo per ſe durabilis æuo eſt
Hanc niſi ſeruatam Muſa diſerta vehit.
Muſa loquens longæ cuſtodit ſecula famæ,
Muſa vetat meritis nomina clara mori.
Muſa dedit vitam mortalibus, illa perenni
Nominis Heroes poſteritate canit,
Quis Reges, quis noſſe Duces, quis regna, quis vr-
Quos olim alta hominum ſecla tulere, queat (bes
Nomina ni ſcriptis animata referret eorum,
Aonij paſſim turba diſerta chori,
Carmine Pyliades, & carmine viuit Achilles,
Ignotos ſepelit gloria muta Duces.
Hoc erat, ad ſtatuam Macedo quod fixus Home-
Dura ſibi gemitu fata negaſſe dolet. (ri
Et tibi quod poſſum clariſſime defero Princeps,
Forte etiam hinc nomen laus habitura tua eſt,
Offero Paſtorem, quem per ſua paſcua Chriſtum
Depingit tali Pſaltria Muſa typo,
Ille etenim vigilans Ouium circum agmina cuſtos
Errantem miti ſeruat amore gregem,

Nos ouium ſumus errantum miſerabile vulgus,
Sanguine quas miſeras ipſe redemit oues.
Nos licet abducat per deuia mobilis error,
Nos tamen in veram colligit ille viam,
Colligit & verbo per paſcua ducit euntes,
Et regni hæredes nos facit eſſe ſui,
Omnia & vt ſeruat, qui condidit omnia ſolus,
Sic nos è manibus non ſinit ire ſuis:
Tantum agnoſcamus vocem paſcentis, et illi
Diſcamus memori tradere corda fide,
Adde quod idem omnem vigilando perambulat
Et rebus largo prouidet auſpicio, (orbem,
Ipſe regens lucem, purumq́ in Sole calorem,
Ipſe regens vires lactea Luna tuas,
Rebus adeſt præſens primo creſcentibus ortu,
Prouehit & motu ſemina quæq́ ſuo,
Ipſe patris quoniam Sapientia viuaq́ virtus,
Munificus, terræ ludit in orbe, Deus,
Hinc rerum ſpecies, ſimiles ſibi ſemper, et augens
Omnia diuino nata fauore, vigor.
Tum genus humanum vero complexus amore
Excubias proprio pro grege ſemper agit.
Et quoniam omnipotens vox eſt et viua parentis,
Paſcit oues verbi lacte fluente ſui,
Obſeruatq́ ſimul, iuſtoq́ in tramite ducit,
Quæ certam pandit gratia ad aſtra uiam,

Ah quoties errans latebris fallacis Eremi,
De gregè transiliens stulta vagatur ouis,
Ille tamen gaudens humeris gestare repertam,
In numerum redigit restituitq; suum,
Sæpè latens aliquo fallax in gramine serpens,
Insidias omni peruigil arte struit.
Ille tamen custos gregis & pugnator in hostem,
Destruit ipse potens insidiantis opus,
Quin etiam adfirmat lætantis gaudia cœli
Conuerso ante Deum sæpè sonare reo.

ELEGIA X.

SCRIPTA AD DOCTOREM IOANNEM BVGENHAgen Pomeranum, Ecclesiastem Vitebergensem, qua petit suam operam commendari Illustriss. Principi Pomeraniæ Philippo.

CLARE vir, & Musis Iessæi docte Vatis,
Vberius per te quæ didicêre loqui.
Doctrinam æternæ quo propagante salutis,
Saluificam accepit Cymbria tota fidem.

Cum per amica pius Princeps tibi ſcripta iube-
Natalem agnati ſignificare Ducis, (ret,
Vt quo ſe nato Pomerania iactat alumno,
Eſſet lætitiæ Dux quoq; cauſa tuæ,
Ipſe ego Saxonicæ quota pars tunc temporis al-
Non volui Muſas tunc tacuiſſe meas. (læ,
Et licet externis poſt longa reuerſus ab oris
Tædia, vix patriæ redditus hoſpes eram:
Hæc tamen angusta properans meditabar ab ho-
In Ducis exortum carmina facta tui, (ra,
Pauca quidem fateor, ſed nil complexa ſiniſtri,
Quod non ingenuo debeat ore legi,
Hei mihi, cur maior pars turpia ſcribit eorum,
A Clarijs tribuunt qui ſibi nomen aquis,
Inficit ingenuos quorum petulantia mores,
Quorum nil præter crimina Carmen habet.
At tu Phœbe tuum, quo numen & ira receſſit?
Vindictam reijcit cur mora longa tuam?
Virginei fontis cur his concedis abuſum,
Carmine qui fœdo nil niſi turpe canunt,
Cur ſibi de niueis abſumunt nomina Cygnis
Corda gerunt omni qui nigriora pice?
Flumineo niuei veſcuntur vitice Cygni,
Ne fœda eneruet pectora caſta, Venus.
Sic decet ingenuos legere argumenta Poëtas,
Semina non fictæ quæ pietatis alant,

Gratus

Gratus vt innocuos commendat candor olores,
Candida ſic Vates mens & honeſta decet.
Non cuiuis vt cantat olor, ſed tempore iuſto
Dulcia ſublimi carmina voce canit,
Ingenui Vates ſic debent viribus vti,
Vt niſi quæ proſint carmina nulla canant,
Sed tamen hoc alijs defleuimus ante querelis,
Quid fruſtra toties attinet iſta queri.
Nunc, vt cum legeret tibi carmina noſtra Melan-
Pollicitum memini te Pomerane mihi, (thon,
Carmina magnanimo commendes iſta Philippo,
Baltica quem iuſto ſtagna timore colunt.
Res pia principibus gratari, patria quorum
Auxilio placidæ tempora pacis agit,
Hoc animo paruum damus hoc ex tempore car-
Sæpè etiam breuitas digna fauore fuit. (men
Ni tamen iſta tuus pauca auerſabitur Heros,
Illi alio forſan tempore plura canam.
Inclyta tum texam Pomerani encomia ſceptri,
Et ſua laus priſcos iuſta manebit auos.
Interea vt vita proles fœlice fruatur,
Inq́ patris creſcat fortia facta precor,
Tuq́ eadem vt poſſis pro Principe ſæpè precari,
Ieſſææ Cytharæ laus Pomerane, Vale.

ELEGIA XI.

SCRIPTA DE COMITIIS SMALCALDICIS QVÆ HABITA sunt Anno 1537. Mense Februario.



EST locus immensi postl vtima climata mundi,
Quâ reuocant cursus secula lapsa suos.
Extra annorum orbes, spaciumq; volubilis æui,
Extra Luciferi Solis vtramq; viam.
Quâ sudans humeris porrectus fortibus Atlas
Creditus est geminos sustinuisse polos:
Hic fata Mnemosyne, genitoreq; tempore, fertur
Posteritas patriæ regna tenere suæ.
Salue dulcis anus, in qua flagrantis amoris,
Qui colimus Musas, prodiga turba sumus.
Nos licet Idalios natura crearit ad ignes,
Quicunq; Aonijs extimulamur aquis,
Et Cypria molles stimulante probemus amores,
Vtereq; in Nymphis dulce putemus opus:
Te tamen ante alias nimis impacienter amamus,
Post rapidum cupimus qui superesse rogum.

Vera

Vera fides poterat potius Venus ipſa videri,
Sic rapuit pectus chara puella meum,
Vt rapis & ſtimulas primâ mihi Diua iuuentâ,
Quis mage dilectam virgine credat anum?
Tu iucunda meam exerces meditatio mentem,
Seu Sol, ſeu rapido fulget ab axe ſoror.
Te prius ex animo, quàm ſcirem nomen, amaui,
Quo puer, & nondum tempore, pubes eram,
Nondum contigerat mihi ſcire, quid eſſet Apollo,
Quidue nouem, Vatum numina docta, Deæ,
Quid Cytharæ in medio dulces Helicone ſonarēt,
Quid ſaperet volucris fons pede foſſus equi,
Vt tamen Aonias gradiens ſublime per auras,
Grande aliquis docta nomen ab arte tulit.
Cuius ſcripta tuos olim meritura fauores
Argueret certis publica fama notis.
Non tam præſentis mirabar numina Vatis,
Quàm te quæ ſoleas Vatibus iſta dare,
Nam niſi poſt aliquot, quæ tute probaueris an-
Nulla ferunt Clario ſcripta placere Deo: (nos,
Sic tunc ſollicita meditabar mente, quid eſſes,
Quod quia non video, nunc quoq; mente ſequor.
Dic age cum poſſit te nemo videre ſuperſtes,
Muſica te quare turba ſuperſtes amat?
Cum te ſollicitis votis optemus amantes,
Dum nobis Parcæ mitia fila trahunt,

Cur magis exactæ post vltima funera lucis,
Pascis amatores lubrica Diua tuos?
Sic ego: cum placidè medijs illapsa fenestris
Mite sonans bifidas impulit aura fores.
Nec mora, contactos subiens nouus impetus artus,
Nescio quid cupido scribere mandat opus.
Diua faue dixi, tibi scribere pauca volenti,
Hæc leuis auspicio si venit aura tuo,
Et quæ nunc meditor, venturis insere seclis,
Inq; tuos olim conde recepta sinus,
Vt quæ saluifico pangi rata fœdera Christo,
Montanis vidit Chalcis operta iugis,
Olim veridicum dictura fuisse Lutherum,
Tempore venturo posthuma turba legat,
Lapsa recurrentis post mille volumina Solis,
Transierant tacita secula quinq; fuga.
Alter & incœptis signorum cursibus annus,
Septem exacta super lustra rotabat iter,
Ex quo mortalis subiturus pondera noxæ,
Christus ab intacta virgine natus homo est:
Annua brumalis referebat februa mensis,
Cynthius hybernis marmore mersus equis,
Inq; domum Veneris madida migrabat ab vrna,
Piscis Acidalij proxima signa petens,
Iamq; aliquis gelidæ sub prima crepuscula no-
Contemplans nitido lumina clara polo, (ctis,
Sydera

Sydera dixisset, fuluo vicina Leoni,
In cælo, crater, coruus, & anguis eunt,
Tempore quo posita discurrere veste Lupercos,
Prisca facit solitos Roma fuisse fidem,
Fallor an hinc traxit moris monumenta Latini,
Penè furit simili Theutonis ora modo,
Nunc quoq; currentes, ceu captos mente, lupercos
Per medias tota cernis in vrbe vias,
Quos vt luxuries nunc est, nisi bruma vetaret,
Cursuros, posita quis nisi veste, neget?
Ebria clamosum celebrat conuiuia vulgus,
Iam potes haud aliquo Bache latere cado,
Nunc te qui toto parcus non attigit anno,
E tenebris cornu promere dulce iubet,
Iam videas Lemures, pictis discurrere laruis,
Ferreq; sollicita spemq; metumq; manu.
Tessera quos vrget, fallax quibus alea curæ est,
Non intellecta murmura voce loqui,
Ergo dum reliqui vinosa charistia reges,
Et celebrant leuibus gaudia pigra iocis,
Edita dum breuiant illis spectacula Soles,
Et pernox patrias alea perdit opes,
Ludicra dum faciunt ficti certamina Martis,
Armaq; per lusus experienda mouent,
Dum ducit placidas patrio de more choræas,
Dedita virgineis læta iuuenta choris,

Sucta vel in medijs exercet equiria campis,
Aut leuat inuicta pocula plena manu,
Tu sate Saxonico de sanguine máxime Princeps,
Semideum priscis regibus orte genus,
Nomine qui patruum referens Diuumq́ parentẽ,
Æquas ingenij nobilitate duos,
Miles & afflictæ dubium pietatis honorem
Asseris, & Christo sub duce signa geris,
Lusibus humanis pariter nugisq́ iocisq́,
Heroo versas pectore manus opus.
Vtq́ adhibes curam, vitæ vt præcepta regendæ,
Et iustas leges subdita turba colat:
Sic vigili totas extendis pectore vires,
Discat vt ad cœli sydera quà sit iter,
Et subiecta sciat mordaci corpora noxæ,
Mortifera solam labe leuare fidem,
Quam tot ab impuris vexatam hoc tempore mon-
Dum cupis auxilio consilijsq́ tegi, (stris
In Synodum cogis, tibi tantæ in munere curæ,
Participesq́ vrbes, participesq́ Duces,
Haud etenim sine mẽte Dei, sine numine Christi,
Qui tibi, quod facias, tam graue præbet opus,
Nec mora, sancta Duces tua iussa sequuntur, &
Quos pia pro Christo gloria stare iubet, (vrbes
Thyrigetisq́ petunt signantem Chalcida fines.
Quâ Synodo certum dicis in vrbe diem,

Ponderæ

idera vix Elegi clarorum tanta virorum,
Imparibus poterunt ſuſtinuiſſe modis,
n tamen hæc annis ſcribam monumenta futu-
Vt poterit, cœpto carmine pergat, opus, (ris,
i ſemel inœpit, medium tenet ille laboris,
Cœpimus, incœpto, finis habendus erit,
m quos à flauo Heroas adduxerit Albi,
Vt taceam, nouit Solis vtrumq; latus.
amq; tuus frater, quibus eſt ignotus in oris,
Cui grauitas nomen principe digna dedit,
ui nunc ingenus pectus ſublime per artes
Erigit, & mores non ſinit eſſe rudes,
lle ſuis animo iuuenis ſublimior annis,
Conſilijs nunquam debet abeſſe tuis.
nde quis inuictum tecum veniſſe Lutherum,
Non credat, cauſſam dicat vt ipſe ſuam,
Ille quidem in tantæ tractando pondere cauſæ,
Propicio cœli ſydere dignus erat,
Torta ſed affectus populantibus ilia morbis
Incidit in medicas languida præda manus.
Dij qualem afflicti cruciatum corporis artus,
Quas necis infeſtæ ſuſtinuêre minas,
Horret adhuc tantos metuitq; referre dolores,
Hæc quoq; vix ſiccis Muſa locuta genis:
Ferreus eſt quicunq; aliquem tam dura dolentẽ,
Mœroris vacua mente videre poteſt,

Ille

Ille ſed infractus, morbi dura omnia contra,
Ibat ouans animis ſpeq́ leuabat onus,
Decubuit corpus, neſcit decumbere ſenſus,
Hic etiam in fragili corpore firmus erat.
Corporis à vitijs traxit mens enthea vires,
Quo minus hoc valuit fortior illa fuit,
Hac vna, in tantam ductus deſcendit arenam
Perſtat, et applauſus hac quoq́ victor habet.
Hac vna ſtygios pugnat munitus in hoſtes,
Suſtinet hæc nullis ſuccubuiſſe malis.
Quàm multi implerunt ſceleratis æthera votis,
Afferret ſubitam morbus vt iſte necem,
In vacuas quorum nunc ſpes euanuit auras,
Iniuſtos ſurda negligit aure Deus.
Si tamen eſt, vt erit, migrandum è carcere vitæ,
Pro Chriſti eſt illi dogmate, dulce mori.
Sed Deus hoc iubeat tardè procedere fatum,
Vtilius nobis ille ſuperſtes erit.
Implerat populos præcedens fama Philippi,
Præuia quas mundi non adit illa plagas?
Illa etiam totum celeberrima peruolat orbem,
Quà Sol educit, quaq́ reducit equos.
Nec contenta ſolo eſt, ipſis gratiſſima Diuis
Hoſpita cœleſtis limina ſedis adit,
Ergò hanc monticolam ſectatus Chalcida, cauſſæ
Spes benè tractandæ magna Melanthon erat.

Mens

is erat huic aliquas hoc texere carmine lau-
Abnuit audaces durus Apollo preces, (des,
te quid affectas, cœlum si baiulet Atlas,
Ponderasunt Elegis hæc grauiora tuis.
uicquam cœptas nulli absoluenda Maroni,
Sufficiunt tanto barbita nulla viro,
c si quem ex toto doctorum comparo cœtu,
Duos huius volui temporis esse decus,
l nisi cum resona Pandione confero Picam,
Cum Iouis armigero confero noctis auem,
le quod huic aliquo præconia texere versu,
Addereq; eloquio liberiore decus,
erat aut Helenæ vanos inducere fucos,
Aut linere artificis sfigmate Apellis opus,
ite seu rutilo dare mutua lumina Soli,
Et circum in media lampada ferre die,
it, at exiguæ tandem sibi conscia venæ,
Languida vix cœptum dextra reliquit opus.
tamen ignores esse hoc mirabile dictu,
Per me testatum posthume lector habe:
disciplinis sanctisq; tot artibus illum,
Totq; bene æternis posse vacare bonis,
i tam difficili magnarum à pondere rerum,
Non aliquam vacuam cernat abire diem.
tu olim, nã nostra nihil nunc perspicit ætas,
Perpetua dignum laude videbis opus,

Ante

Ante quot Oceani generentur in æquore Conchæ,
Ante queas pisces scire quot Albis alat,
Quàm verè Herculeos numero finire labores,
Quos paciens humeris sustinet ille suis,
Non tamen occumbit, studijs nec frena remittit,
Sedulitas illum non sinit esse pigrum.
Sicut odoriferi per amœnà vireta Timoli,
Sedula dum flores depopulatur apis,
Non nisi mellificeo gratissima quæq; labori,
Peruigilè vario munera flore legit:
Sic ille omne genus scriptorum exugit, & intra
Sedula perpetuas pectora condit opes,
Vnde quibus toti prouentus suggerat orbi,
Quos fundat fructus copia diues habet.
Semper habet segetes, interq; Helicona metentes,
Plus frugum nulli sufficit ista Ceres,
Qui postquam exemptus sua fata peregit Erasmus,
Solus Phœnicis nobile nomen habet.
Nõ referam quanto arediuiuo hoc tempore Christo,
Asserat ingenij dexteritate fidem,
Hoc solum precor, inuicto victore Luthero,
Inuictus possit victor vt esse diu,
Hunc tu ferre oculis debes Germania, toto
Si quid adhuc sanæ corpore mentis habes.
Quæ iam barbarie penè obruta tota iacebas,
Si nescis iterum te docet ille loqui,

Quàm

n fœlix eſſes tua ſi bona cernere poſſes,
uid tegis hic oculos Syndone ſtulta tuos?
e ſemel cœnoq́ oculos attolle iacentes,
ſil niſi diuitias hîc & vbiq́ vides.
uat, ille tuis quæ germina conſerat aruis
ſpice, prouentum quo celebreris habes.
ce, multiplici reddentia fœnore fructus,
ifundat gremio ſemina quanta tuo,
tibi Pegaſidum ſacris cum fontibus hortos,
ltaq́ Theutonico prata ſub axe locat,
quod vt cornu plenos capis vbere fructus,
uneris hoc tanti contulit ille tibi,
ſuadet plenas tempus venerabile meſſes,
la nec à gelido concidit imbre ſeges,
leuat incœptum tibi mollior aura laborem,
ec fuſcant clarum nubila pulla diem,
domum referas plenis frumenta quadrigis,
citò maturas area condat opes,
ſi ignara tui, rerumq́ oblita tuarum
ec bona non aliqua pendere lance voles,
propicium ſubducent nubila cœlum,
cturamq́ gelu triſtis aduret hyems.
bi carbones cædet Theſaurus in atros,
; tuis fugiet faucibus iſte bolus.
us erit cum te ſenſus habuiſſe negabis,
cepto incipies & reſipiſſe malo.

Verum

Verum hæc ſæpè alios memini prædicere Vates,
Et facere inſanis verba ferenda Notis.
Obuia faſtidit, captat fugientia vulgus,
Nec ſua qua debet commoda mente videt.
Negligit id quod habet, quod non habet acrius
Peſsima ſectatur dum meliora probat, (optat,
Iam benè vix iterum floreſcere vidimus artes,
Atq; aliquod meriti pondus habere ſui,
Quæ ne iterũ faciant hoc craſſo tempore damnũ,
Multus ab hac vna eſt parte timere, timor,
Præſtat adhuc illis animam vires q; Melanthon,
Quaq; poteſt curat ne moriantur ope,
Quidum nobiſcum vitali veſcitur aura,
Illarum neſcit gloria tota mori,
Hunc ſeruate diu fœlici ſydere Diui,
Debitus ingenijs ſic quoq; ſtabit honos.
Illius vberius laudes ventura loquentur
Secula, & ingenij neſcia fama mori,
Liquerat Albiacos comes integer illius agros,
Facundum Ionas, mite piumq; caput,
Vix tamen attigerat præclaræ mœnia Torgæ,
Cum peteret medicam laſſus & ager opem,
Quare hinc à nobis mœrens ſua fata, receſsit,
Et factum inuitâ mente relegit iter.
Mitius huic vtinam vitæ labentibus annis,
Fatidicæ traherent fortia fila Deæ.

Non

exul veteris quereretur gratia linguæ,
e posse amissum non reparare decus,
illi omnigena natura potentior arte,
Quæ decus omnigenæ culta sed artis habet.
animus tendens & supra mediocria pectus,
Nataq; ad Eloquij nobile lingua decus,
m tamen inuiso variarum in turbine rerum
In studijs poni tempora sueta, terit.
àm malè fœcundi prohibetur gratia fontis,
Fundere quæ melius publica posset aquas,
ngrata bonis et sæcula dura Camænis,
Vix etiam tales digna videre viros,
uid iuuat excultis oculos bene pascere campis,
Si nihil hinc fructus commodioris habes,
oma quid incuruos spectare grauantia ramos
Vtile, si tantum quod iuuat esse nequit,
ustineant alij clamosæ nuncia plebis
Tempora qui vitæ liberioris agunt,
Hic vt nata gerit diuinis pectora Musis,
Sic vitam in studijs ducere dignus erat.
Libera sint illi mordacibus otia curis,
Quæ sacra fœcundæ semina mentis alant.
Sic quos nunc velut aspectu metimur inani,
Tantalus vt refugas aspicit æger opes,
Proferet ingenij fundo de diuite fructus
Æterna dignos posteritate legi.

Non tamẽ hæc ſeris quod nunc nihil inferat annis,
Sed quod non poſſit ſcribere, plura queror,
Scribit enim nunquam tali ſub mole quieſcens,
Digna cedro, & toto ſemper in orbe legi.
His comes argutus Chriſti Cytharœdus, & huius
Communis voti pars Pomeranus erat.
Qui paſſim externas abiens accitus in oras,
Non aliquid renuit ferre laboris onus,
Rurſus vt inſtauret, lucrantem gaudia cœli
Quæ fuit ante operum nube ſepulta, fidem,
Quod gens Arctoo teſtatur ſubdita cœlo
Quàm latè Codani tenditur vnda freti.
Ieſſæi primum quem nouimus organa Vatis,
Clarius vt canerent erudiſſe melos,
Quæ liquet haud alium tot euntibus ordine ſeclis,
Dexterius numeris explicuiſſe ſuis.
Humanas quorum placida dulcedine mentes
Mulcet, & ad cœlum pectora noſtra trahit,
Fœlix ô nimium, & cœli certiſſimus hæres,
Cui ſomnos Syren tam beneſuada facit.
Vrbibus acceptus pariter Spalatinus & aulis,
Adfuit in tali iuſſus adeſſe choro.
Pro genere humano qui nocte diq́ laborat,
Orator ſummum ſedulus ante Deum,
Illius externis pietas quoq́ lucet in oris,
Digna ſuis meritis hic & vbiq́ vehi,

Huic

: grates peragit nostri quicunq; fauore
rincipis in studijs fertile pectus alit.
qui munificæ fasces aspirat ad aulæ
lunc quoq; non falsò quo venceretur habet.

ELEGIA XII.

DE PICTVRA FRANCOFORDIANA.

IN VRBE FRANCOFORDIA.

Menum pictura est virginis contexentis serm ex floribus, quibus Germanicum nomen est, he lenger Jhe lieber / *& addita est inscrio venustissima, sententiam grauissimam connens, alludens ad nomen herbæ.*

Jhe lenger Jhe lieber ich bin allein/
Deim trew vnd warheit ist worden klein.

Monet vitari turbam, & sodalicia, & proprio quenq; muncri seruire. Nomen herbæ nunc vsitatum est Amarum dulce, Græcis veteribus est Teucrion, aut certe cognatum quiddam est, vt Melanchthon indicat, qui hoc nomen retinuit propter Teucri historiam.



Capta domum rediens fortis post
Pergama Teucer,
Non qualem optarat repperit
esse patrem,
Nam, quia fratre redis, te non vltore, relicto,
Me quoq; te nato posse carere scias,
Quin age fraternas aut mox comitaberis vmbras,
Aut cupies celeri rursus abire gradu,
Dixerat hæc genitor, gemit alto ex pectore Teu-
Mox tamen ad socios talia verba facit, (cer,
Offensus pater est, pater est qui pessima nato,
Qui tamen haud merui pessima, fata cupit,
Ergo vale nostræ nutrix Salamina iuuentæ,
Quàm patrem offendam rectius exul ero.
Fata viam ostendent, forti omnis patria tellus,
Sic ait, & medio vela dat alta freto.
Venerat ad veteris Cytherëia littora Cypri,
Vt placuit tellus, hîc habitemus ait:
Condidit hîc vrbem, patriæ de nomine dictam,
Qua tereret vitæ tædia longa suæ.
Temporis accessu præcordia frigida mœror
Rodit, & è falsa pectora bile dolent.
Forte parat sacrum, positisq; sub arbore Diuis
Per virides herbas exta cremanda locat.
Mira loquor, splenem medijs vt tangit in extis
Herba noua, arcana sed ratione potens,

Protinus

nus attactum videas tabeſcere, namq;
eficit, admota ceu roſa verna manu.
e dolens Teucer, lateri mox adplicat herbã,
ec mora præſentem ſentit, vt optat, opem,
vero, quoniam prodes hac parte dolenti,
ucrion à Teucro nomen habebis, ait.
a quid faciunt? γλυκύπικρον nomine dicũt
unc quibus hanc Graia voce vocare libet.
na ridebis, paulo poſt carius illam
ore ſuo, at pulchrè Teutona lingua vocat.
quicunq; fuit, ſolers alluſit Apelles,
ec cuius picta eſt ſuauis imago manu,
procul turbam fugiens virguncula, ſola
um ſedet, ex ipſa Teucride ſerta facit:
ſi conſilij cauſam quis ſcire laboret,
c vice reſponſi ſymbolon eſſe poteſt.
uturna magis, mihi carior omni Eremus,
ulat à vulgo cum probitate fides:
vis hinc vitæ præcepta ſalubria diſces,
tus in hoc vitæ carmine gnomon erit.
ibi, ſtolidæq; caue commercia turbæ,
ſultum vitæ ſi cupis eſſe tuæ.
cias, fieri niſi quod debebat honeſtè,
q; tuæ vitæ regula certa Deus.
mæ cupidum rebus te ingeſſeris vllis,
ſinat officij cauſa probanda tui.

Congressus caueas, nisi cum tua functio poscit,
Illi autem placidi sint simul atq; breues.
Quos potes officijs orna, nec commoda spectа,
Pro meritis reddi gratia rara solet.
Præcipuè caueas vlli nimis esse sodalis,
Hic latet in viridi frigidus anguis humo,
Non ego te iubeam cædem vitare minantes,
Quos tibi coniunctos spes erat esse, caue,
Dulce quidem certe est, & amici nobile nomen,
Sæpè sed huic etiam crimen inesse solet.
Limina præcipuè fuge suspitiosa potentum,
Crede mihi hîc fuco gratia rara caret.
Cautus vt euitat blandas Syrenas Vlysses:
Illecebris aulæ ne capiare caue,
Hæc vitæ ratio morbosis libera curis,
Est homini inprimis commoda, grata Deo.
Hæc addit nostris cælestes mentibus alas,
Vt certa ascendant ad bona vera via.

ELEGIA XIII.

DE ECLIPSI SOLIS.

HEI duras hominum mentes & frigida corda,
Obtusa dum toties non sua fata vident.

Se

ioties oculis hominum ſubducere ſolem
idimus, & triſti triſte ſubeſſe malum?
oſtras coëunt ceu facto fœdere pœnas,
Qui tamen errantum nomen habere ſolent,
nq; face accenſus iunctis rutilante ſub aſtris,
Significat triſtes ignis in orbe vices.
q; age, quis numeret mœſti præſagia cœli
Omnia, quæ mundum nocte dieq; monent?
t quotus obſeruat? quotus eſt qui talia curat?
Dum ſibi quisq; errat, dum ſibi quisq; ſapit,
erxes Argolicas cum traiecturus in oras,
Per mare Phryxææ duceret agmen aquæ,
ntempſit picea cinctum ferrugine Solem,
Omniaq; ad ceptum prodigioſa ſuum.
Iox ad Thermopylas, haud magno milite cæſus,
Non bene Bellona bella fauente tulit,
Donec ad Euboicam tandem Salamina coactus,
Marte Neoclidis vertere terga fuit,
Dux Acamanthiades, bello ruiturus in hoſtes,
Publica pro patrijs ſumpſerat arma focis;
Iamq; per Actæas naucm conſcenderat vndas
Per mare ſuſceptum carpere certus iter,
Ecce intercedens Phœbæam Cynthia lucem
Impedit, & tenebras noctis amica parat,
Territus oſtento, ſed dum minitantes recuſat,
Littore deductam ſoluere nauta ratem,

Illius ipſe oculos admota veſte Pericles
Velat, & vſura lucis egere facit,
Atq; ita dum remouet, dum reddit luminis vſum,
Dic mihi quid magni præmonet iſtud? ait:
Sic quoq; perpetuis ſolarem legibus vrbem
Ad certa obduci tempora nonne vides?
Sydera voluuntur certo labentia motu,
Res ad mortales pertinet iſta nihil,
Talibus inſtigans metuentis pectora nautæ,
Vela dare & pulſis ſoluere inſit aquis,
Ille cauo rumpens lethalem à littore funem,
Fata ſecuturi tondit in alta mali.
Nam malè præfractæ ceſſit ſapientia mentis,
Supplicium cuius Græcia tota dedit,
Ille ferens animo, ſæuisq; adfectibus impar,
In ſua dum cæco pectore fata ruit,
Horrida commouit funeſti incendia belli,
Helladis exitium quod pereuntis erat,
Atq; vtinam tales non hæc quoq; cerneret ætas,
Qui nullum oſtentis pondus ineſſe putent,
At vos conſpicitis cum talia ſigna iuuentus,
Autoris memores vos decet eſſe Dei.
Non temerè tanto concurrunt ſydera motu,
Non temerè amittit Lunaq; Solq; decus.
Ipſe Deus, ſua fata orbi, ſua crimina, monſtrat,
Et pœnæ pariter tempus adeſſe monet.

Hic

c quoq́ defectus quem nunc in sole videmus,
Hei mihi quàm secum fata profunda trahit,
ruit in sedem securi Cynthia fratris,
Oppositoq́ altas impedit orbe faces,
le dolens lucem subiecto detrahit orbi,
Et ferrugineo corpore triste rubet,
't quia res agitur summi prope culmina cœli,
Aëra diffuso qua rigat amne puer,
ublica de magnis passim certamina regnis
Multaq́ Principibus damna futura monet,
Astat Atlantiades spectator, & omnia turbat,
Nigra albis miscens doctus, & alba nigris.
Non hic cessabit: fraudumq́ inuentor & artis
Ingenio gaudens se quoq́ posse frui.
Adde quòd oppressum videas à Marte parentem,
Qua latet occidua sub regione Nepes.
Hi duo dissidium, motus, rixasq́ ciebunt,
Incutient populis, imperijsq́ metum.
Dij patriam cupiant ciuili à Marte tueri,
Iampridem externis subiacet illa malis,
At nisi, quod mallem fallunt mea sydera, magni
Hic obitu regis nobilis annus erit.
Tu fatum impedias, fati iustissime rector,
Et dignare hominum corda mouere Deus.
Errores vt vita suos emendet, & vt te
Omnia qui facias, sentiat esse Deum.

ELEGIA XIIII.

IN ECLIPSIN LV-NÆ, QVÆ ACCIDIT Anno 1541.



Ras vbi venturæ ſub prima crepuſcula lucis,
Ibit ab Eois lucifer ortus aquis,
Quisquis ad Auroram Muſis conſurgis amicam,
Et linquis placidi mollia ſtrata thori,
Suſpicias pleno lucentem corpore Lunam,
Et mox naturæ triſte videbis opus,
Namq; reuerſurus noctiurnis Phœbus ab vndis
Dum Ducis Aſtrorum ſydere fertur ouis.
Occupat aduerſæ momentum Cynthia Libræ
Qua nitet octauæ regia mœſta plagæ,
Terra ſed in medio ſolares impedit ignes,
Hinc Lunæ inuoluit triſtior vmbra caput,
Illa diu fruſtra cœcis luctata tenebris
Infortunato ſub ſene preſſa gemit.
Nequidquam timidus ſpectator Iuppiter adſtat,
Occidua cœli quem Leo parte tenet.
At Phœbo iniuſtis gaudens Mars impius armis
It comes, & ſæuo fulminat ore minas,

Quis

Quis duras adeò lapides in pectore geſtet,
Quis ſecura adeò vincere mente poteſt,
Cui non corda timor, cui nõ ſtupor occupet artus,
Hæc quoties cœli triſtia ſigna videt?
Nam velut euentus ſunt ſigna priora ſecuti,
Sic hoc effectu nemo carere putet,
Legibus & miſeris durum mortalibus omen,
Portendit cœli lugubris iſte ſitus.
Heu genus expoſitum varijs hoc tempore fatis
Qui cauſſam adflictæ relligionis agunt,
Hei crudele genus blaſphemaq́ pectora eorum,
Qui gaudent varia perdere morte pios,
Verum hæc cura Deo ſit cõmendata, precandum
Vt tantas cœli mitiget ille minas. (eſt,

ELEGIA XV.

SCRIPTA AD ILLVSTREM COMITEM VVILHELMVM Schwartzburgenſem, qua inuitat eum, vt ad Academiam Ienenſem redeat.

Hinc Salana tibi comes hanc Guilielme ſalutem,
Aonijs mitto Nympha ſacrata choris,

Nuper

Nuper vbi præſens certum bona verâ ſequentem,
Ornaſti ſtudij ſedulitate tui.
Si quid agam quæris, caſtam de more iuuentam
Pierij liquidis imbuo fontis aquis,
Hæc ſcio, reſpondes, ſtudioq́ oblector eodem,
Hoc mihi curriculo nil prius eſſe ſolet.
At cur lentus abes? quæ te fortuna moratur?
Inuidet & noſtris inuidioſa choris?
Vt ſtudia omittam, quæ te comitentur euntem,
Colloquione potes dure carere meo?
Siue pias duco cœli in veſtigia mentes,
Commemorans ſummi iuſſa verenda Dei,
Seu doceo abſtruſas naturæ inquirere cauſſas,
Seu motum iubeo nobile noſſe decus,
Siue viam monſtro, qua diſcat culta iuuentus,
Verba Periclæo pondere viua loqui,
Abſentem reuocans memori te mente requiro,
Sæpè puto vacuum penè dolere locum,
Votaq́ quo valeas, cum pro te candida feci,
Ingenio cogor multa timere tuo.
Scilicet à Muſis ne te malus abſtrahat error,
Quo ſolet hoc æuo vulgus inane frui,
Hæc ego dum meditor iuuenum, quæ veſtra libido
Forſitan eſſe alio captus amore potes. (eſt,
Fallor an hanc potius quam pridem fidus amaſti,
Vlla poteſt animo Nympha placere tuo?

Natus

Natus es illustri veteris de stemmate gentis,
Estq; tua hæc ætas mollis & apta capi.
Nec tibi fortunæ tanto in splendore paternæ
Obuia delitijs caussa deesse potest.
Raroq; in Aonias gestit descendere valles,
Qui gerit in celso nomina clara loco,
Et malè cum Musis pomposæ conuenit aulæ,
Quæ strepitu caussas semper agente calet,
Hæc sunt quæ metuo non quod tua commoda car-
Sed studijs cupiam dulcibus esse locum, (pam,
Aut igitur sequeris trepidarum lustra ferarum,
Dum rapis audaces per iuga nota canes,
Viribus aut tractas rigidas iuuenilibus hastas,
Militiæ tentans experimenta tuæ,
Aut trahis ornatis lætus conuiuia mensis,
Aut quod ego ô vtinam dicere fallar, amas.
Forte tamen placido non durum captat amore,
Quæ sedet ad pulchrum iuncta puella latus.
Vtq; solent, fingit Salanæ opprobria Nymphæ,
Quid nisi scribacem nouit habere manum?
Hoc vnum facinus veras nunc prægrauat artes,
Quas odio vulgus nobilitatis habet,
Quidquid agas tantum ne te blandita voluptas
Cassibus inuoluat detineatq; suis.
Hæc quondam Alciden teneris tentauit in annis
Subdola, sed frustra dulcia verba dedit.

ELEGIA

ELEGIA XVI.

SCRIPTA AD NOBILIS-SIMVM DOMINVM MICHAE-lem comitem à VVerthaim, qua monet vt doctrinam coniungat cum generis splendore.



Valis Apollonia cum doctus ab vrbe rediret,
Peliades sumpsit patria scep-tra puer.
Talis, & Heroæ spectabilis indole mentis,
Accedis patriæ iurà regenda tuæ.
Moribus, ingenio, pietate exculte, Michaël
Verthemio Francus sanguine nate Comes.
Fœlix, quem doceãt bona vera agnoscere Musæ,
Qui pectus rerum non sinit esse rude,
Nec te pœniteat semper meliora doceri,
Doctrina populos vult Deus ipse regi,
Certè crede mihi, rectè parere monenti,
In magno est etiam principe grande decus,
Climades Socrati pueriles præbuit aures,
Et fructum morum cultior inde tulit.
Prouidus Æaciden cõmendat Nestor Achillem,
Maius & hic tanto de Duce nomen habet.

Est

Est aliquid prisca titulos à gente referre, ,,
Sed doctrina decus nobilitatis alit. ,,
Tu quoq; si Phœbi iustum retinebis amorem,
Magne comes paruo tempore quantus eris?
Quod nunc Iustitia, quod seruat Carolus armis,
Imperij poteris totius esse decus,
Parce tamen generose comes te plura monenti,
Qui monet vt facias, quod facis, ille probat, ,,
Viue diu patriæ, facundis viue Camœnis
Viue tuis populis, deniq; viue Deo.

ELEGIARVM
LIBER SECVNDVS.
ELEGIA I.
DE ECLIPSI LVNAE QVÆ ACCIDIT ANno 1545.

CVm tanti inuoluant reges populosq; furores,
Quos trahit à vero mens aliena Deo.

Ne

Ne mirere ſuos oſtendere ſydera luctus,
Quæ toties hominum crimine mota dolent,
Ecce etenim Galli quanta eſt inſania regis,
Infert qui gnato triſtia bella Dei.
Vrbs erat antiquæ nupervicina Gebennæ,
A Fabijs nomen vulgus habere putat.
Cœperat hic Chriſti populo doctrina doceri,
Hæc ſpargi Gallus ſemina læta vetat,
Ac mandat Jæuis aboleri mœnia flammis,
Omnia vt iniecto tolleret igne furor,
Ergò hauſit miſeros rabies Vulcania ciues,
Incola cumq́ tua merſus es ipſe domo,
Cum ſobole hauſerunt miſeras incendia matres,
Pro ſobole in flammis matre vocante Deum,
Quinetiam è medio cæſos tulit impius enſis
Quos tulerant aliqua fata benigna fuga.
Nec quiſquam obijciens diuerſæ crimina Sectæ,
Hos fleo, qui flammis non meruêre mori.
Hos fleo qui Chriſto mortem ſubiêre vocato,
Hos fleo, conſtanti qui periêre fide.
Dumq́ vocat, ſibi cernit opem, pœnamq́ Tyrãno,
Gaudiaq́ ex ipſo vera dolore ſubit,
Impletur reſonans animis victoribus æther,
Dantur & in Chriſti iuſta trophæa ſinum.
Hei quanti ſtabit tanta hæc tibi Galle Tyranni
Cum ſtabis vultum iudicis ante Dei.

Conſultor

Conſultor ſceleris crudelem paſce furorem,
Mercedem capies iam SADOLETE tuam.
Tempus erit quando qui te tegit iſte Galerus
Accenſus ſtygio te premet igne ſenem.
Talibus atq; alijs Deus irritatur ad iram,
Quam monſtrant ſpecie ſydera mœſta ſua.
Cras etiam Phœbe proprijs inuecta tenebris,
Parte aliqua Solis lumina clara teget,
Prębebunt gemini ſpectacula talia, cœli
Vndecimæ ſedes qua patet alta domus,
Ingentes acuunt Mars & Cyllenius iras,
Qui ſua ſpectantes non procul arma tenent,
Spectator reſipiſce, Deumq; orare memento,
Mitis vt impendens leniat omne malum.

ELEGIA II.

QVAM PROPOSVIT IE-NÆ INITIO ACADEMIÆ, prælecturus Oratorem Ciceronis & Vergilij Georgica.

VT niſi fulgentis ſe vertat ad aurea Solis
Lumina, luciſluo Luna vigore caret:

Sic niſi diuinæ teneat veſtigia mentis,
Mens hominum ſolidæ nil rationis habet.
Lucis inops per ſe, lato vaga Cynthia cœlo,
Vſuram à Phœbi lampade lucis habet.
Noſtraq́ lucis inops humanis preſſa tenebris,
Accipit à ſolo mens decus omne Deo.
Et quiſquam humanis diuinam ſordibus auram,
Suſtineat veluti mole grauante premi?
Quin age ſollicitè, Muſis dilecta iuuentus,
Tale tuere bonum, tale tuere decus,
Dux pietas, doctrina comes, ſine ſuauiter olim,
Imponant capiti laurea ſerta tuo.
Hi ſines etenim noſtrorum & meta laborum,
Sunt precio meriti non caritura ſui,
Et quoniam arrectis hoc tempore lætior vndis,
Nobiliumq́ alacris Sala fauore Ducum,
Excipit errantes hoc duro tempore Muſas,
Præbet & Aonijs hoſpita tecta choris:
Ipſe tibi ſacras qua ſemita ducit ad artes,
Et Dux conueniens & Comes acer ero.
Non ego ſufflato Parnaſum in pectore geſto,
Nec mihi Pierio labra liquore tument,
Sed tamen exiguo quodcunq́ è pectore riui
Fluxerit, hoc ſtudijs ſeruiet omne tuis,
Nunc etiam auſpicio votis precibusq́ vocato,
Incœpti fœlix curſus vt huius eat.

Ille quibus ducat formatum ex artibus vsum,
Verba Pericleo qui velit ore loqui.
Monstrabo ternis Ciceronc docente libellis,
Quos ipso allatos ex Helicone putes.
Quinetiam agricolæ Georgica docta Maronis,
Iudicio studijs conueniente legam,
His poterunt longæ tibi congerronibus horæ,
Cedere, & ex ipsis fructibus esse breues,
Tu modò tranquillam casto pete pectore pacem,
Et finem study ritè tuere tui,
Ipse pijs aderit fœlix conatibus actor,
Omnia quo nobis sunt bona dante Deo,
Nec sua deleri vesanis organa bellis,
Quæ possunt Christi membra iuuare, sinet.
Contegit vt tepidis pullos Gallina sub alis,
Mater & assidua fida tuetur ope:
Sic sibi fidentem præsenti numine cœtum,
Et fouet, & duro tempore Christus alit,
Nec sinit huic mundi grassantis obesse furorem,
Sed tutum in medijs seruat vbique malis.
Quare age, qui doctis hoc Martis tempore Musis
Das operam, & Christo posse placere cupis,
Ne desponde animum, sed contra audentior ito,
Et verum infracto quære labore decus,
Sic tibi successum, sic sanctæ commoda Christus,
Iunctaq; cum vera præmia laude dabit.

ELEGIA III.

SCRIPTA IN PRAE-LECTIONEM FASTO-rum Ouidij.



Tempora qui primi certo distingue-re motu,
Ordine seruandos qui docuêre dies,
Fœlices animos, illis cognoscere primum,
Phas fuit, immensi numina tanta Dei.
Illis blanda quies, illis vbicunq; morentur,
Sit facies nitidi semper amica poli.
Qualia nam tulerint ciuili commoda vitæ,
Scire quidem facilè est, dicere nemo potest.
Heu quanta ratio caligine mersa iaceret,
Quæ regit & vitam non sinit esse rudem,
Quanta etiam premerent leges & iura tenebræ,
Iustitiæ pariter qualis imago foret,
Quantaq; turbaret sanctos confusio ritus,
Quos sieri certa relligione decet?
Scire quis historiam, quæ vitæ est regula, posset,
Res etiam cuius publica floret ope?
Deniq; quæ fidei vel quæ reuerentia pacti,
Quæ facies rerum, qui status orbis erat?

Tempora

Tempora ni certos eſſent digeſta per annos,
Officijsq́ ſuis quæq́ notata dies.
Ergo tibi meritæ peperiſti encomia famæ,
Qui palmam ingenij nunc quoq́ Naſo tenes.
Et Romana tibi tantum Reſpublica debet,
Quantum vlli, cuius munere nomen habet.
Nam tibi quod Latios placuit deſcribere Faſtos,
Exiguæ non eſt vtilitatis opus.
Da veniam, ex illis maiorem hæc tempora fru-
Quàm tua te viuo ſecla tulêre, ferunt. (ctum,
Hæc ſiquidem, ſi quis Muſis non prorſus iniquus,
Perlegit ingenij munera ſancta tui,
Plurima ciuili cognoſcit idonea vitæ,
Quorum opus in rebus publicus vſus habet,
Dum ſpectat rutilo labentia ſydera cœlo,
Ortaq́ cum Phœbo lapſaq́ ſigna notat.
Tam varij lætum capit admiratio motus,
Præſentem vt videat non procul eſſe Deum.
Atq́ ita noticiam diuini mente parentis,
Et reputat patriæ lucida tecta ſuæ.
Tum videt humani iuncta hæc conſortia cœtus,
Autorem vt celebrent per ſua facta Deum,
Dum curſu adſiduo labentem computat annum,
Cogitat et vitæ tempora fluxa ſuæ,
Neue quod eſt reliquũ vitæ malè conferat æuum,
Prouidus adſidua ſedulitate cauet.

Irrita dum veterũ relegit ſimulachra ſacrorum,
Qui tenet æterni dogmata vera Dei.
Increpat humanæ deliria friuola mentis,
Et deceant animum, quæ bona vera, videt.
Nec curare Deum ritus, ſed mentis amorem,
Immolet adſiduam quæ ſine labe fidem.
Deniq́ dum veteris relegit veſtigia Romæ
Plurima digna etiam cognitione videt.
Perſpicit in toto nil tam mirabile mundo,
Quod ſua non aliquo tempore fata trahant.
Hæc bona ferre poteſt Peligni è carmine vatis,
Qui ſapit, & nullo pondere mentis hebet,
At quibus inſano mens ſqualet operta veterno,
Qui niſi quod viuant nil rationis habent,
His ſatis infligit duras vita inſcia pœnas,
Ingenijs precium quæ ſolet eſſe pigris.
Si quis adhuc igitur Muſas dignaris honore,
Quas hoc ex animo tempore rarus amat,
Me potes Auſonios audire interprete Faſtos,
Hiſtorias, mores, ſydera, ſacra, dies.
Non tibi Ariſtarchum de me promittere poſſum,
Sed poteris ſtudium forte probare meum,
Quidquid id eſt tandem, tamen hoc promittere poſſum,
Lacturam ſtudij non facis inde tui.

ELEGIA

ELEGIA IIII.

QVAE IPSA QVOQVE PROPOSITA EST IN PRÆlectionem Fastorum Ouidij.

SI te dona Dei, per quæ natura iuuatur,
Inspicere & vigili mente notare iuuat:
Inspice sydereis fulgentia sydera campis,
Lapsaq; sub terras ortaq; signa nota.
Nonne putas ingens, & inenarrabile munus,
Quod labi certis motibus astra vides?
Quodq; eadem sentis cunctarum in semina rerum,
Flare animam, ad certas viq; agitare vices,
Atq; ipsum certo tempus distinguere motu,
Vt vitæ possint vsibus apta geri?
Sunt hæc crede mihi bona maxima, nomine quorum,
Nulla Deo reddi gratia digna potest.
Nos igitur quod posse datur, studia ista sequamur,
Nos bona quid prosit discere tanta iuuet.
Atq; animis cupidis monumenta legamus eorum,
Qui nos ingenio talia scire docent.
Quale est Naſonis florens & dulce Poëma,
Quo canitur Fastis quæq; notata dies.

Hoc legere incipiàm, Musis addicta iuuentus,
Vtile opus vitæ, cætera mando Deo.

ELEGIA V.

PROPOSITA STVDIOSIS IENENSIB: IN PRÆLECTIONEM libri de anima.



E ratione extant vitæ tot scripta beatæ,
Vt nequeat pluris messis habere comas.
At quotus hanc animo adfectat, quo cætera quæ-
ocia, diuitias, gaudia vana, gulam. (rit
Si nihil & tellus, & quod regit omnia cœlum,
Segnis homo, officij quo mouearis, habet:
At te ipsum inspicias, ipsum te nosse labora,
In te ipso normam, qua docearis, habes.
Vis animæ ternis vires è fontibus haurit,
In quibus obsequium mutuus ordo fouet.
Huic venæ simul & nerui famulantur et adsunt,
Vt peragant certas organa certa vices,
Prima recens nato cum sanguine pabula vitæ
Cordis ad excelsum viscera fundit epar.
Sanguinis è fumo cor viuam euentilat aulam,
Atq; epar adflato molle calore fouet.

Tum

Tum ſurſum exagitans viuo de fomite flammam,
Secretos cerebri ſpirat ad vſq; ſinus,
Ipſa anima intus agens, ſtudiorum cauſſa ſuorum
Adprobat obſequijs organa quidquid agunt,
At poſtquam rupêre fidem vitijſq; laborant,
Res animæ vitium publica grande facit.
Læſa dolet turpes operarum operumq; ruinas,
Deijcit imperij lora remiſſa ſui,
Morborum minuunt innatas ſemina vires,
Ægraq; in ægroto corpore vita dolet.
Hæc blanda officij nuſquam fallentis imago,
An bene viuendi de ratione docet?
Dic mihi Iuſticiæ rationem & dogmata veri,
Pagina quæ melius ſcripta docere poteſt?
Adde quod æterni veſtigia certa parentis,
In ſpeculo veluti conſpicienda monet.
Ergò ades atq; animã ſubiecto in corpore luſtra,
Hæc docet officium caſta iuuenta tuum.
Diſce Deum primum cognoſcere, diſce vereri,
Et præſtare humilem, quam cupit ille fidem.
Hinc virtutis amor te certæ ad munia vitæ
Incitet, hac verè lege beatus eris.

ELEGIA VI.

IN PRAELECTIONEM DOCTRINÆ DE SENSU audiendi.



Nde alios doceant homines, docentq́ vicissim,
Hoc oculi, hoc aures, dantq́ iuantq́ decus.
Vt videant oculi, cupidè moueantur et aures,
Conditor hoc tribuit munus vtrumq́ Deus,
Ergo Dei hic etiam mecum vestigia lustra,
Dum penetras aures casta iuuenta tuas,
Et simul hæc docilis laudandũ transfer ad vsum,
Quæ poterant aures te monuisse tuæ.
Nonne accepta Deo promissæ et certa salutis,
Crescit ab auditu robur adepta fides?
Aure sonum verbi capimus, mens iudicat aurem,
Cor natum est mentis sensa profunda sequi.
Inde sonus legis qui pectora terret et vrit,
Agnosci et veniæ vox patefacta potest.
His rudis ex animo qui non accommodat aures,
Propitium merito non habet ille Deum
Ergo vt et auditu pro re poscente fruaris,
Disce aures etiam nosse iuuenta tuas.

ELEGIA

ELEGIA VII.

QVAM SCRIPSIT DE

GANVS VVITEBERGÆ,

inuitans ſtudioſos ad petitionem gradus Magiſterij Philoſophici.



T Deus humano miſſurus origine natum,
Zachariæ patrio texit amore domum.
Cum populis motis, paſsimq́ vagantibus armis,
Sæua Palæſtinus bella timeret ager:
Nam licet huic Italus patrijs pedes horridus armis,
Hinc Parthus celeri bella moueret equo:
Attamen Abiades parua cum gente ſacerdos,
Propicium coluit tutus ab hoſte Deum,
Et ſynodum hanc paruam conuentus fouit amici,
Quæ norat natum non procul eſſe Dei.
Iam tum natus erat Chriſti tuba prima Iohannes,
Inq́ ſuis cunis dulce iacebat onus,
Hunc vt erat præſens, coniunctaq́ ſanguine virgo,
Plena Deo, Chriſti caſta futura parens,
Excipiens tenerum blandis tractabat in vlnis,
Et patrio puris more lauabat aquis.

Decretiq́

Decretiq́ memor cœleſtis vt abluat illum,
Sæpe dedit teneris oſcula blanda genis,
Senſit vt accreſcens humanos induit artus,
Iam noua ſub matris pectore forma Deus,
Applaudensq́ inter dulciſſima ſuauia, flatu
Infantis complet corda tenella ſuo.
Ergò vt difficili fidentem tempore vatem
Numine ſeruauit cuncta fouente Deus:
Sic nunc cum ſubito Germania mota tumultu,
Horrida ciuili ſanguine bella timet,
Conatiq́ diu Chriſtum extirpare Tyranni,
Miſcere horrendo cuncta cruore parant,
Noſtra Deo ſiſi firmemus pectora, certi
Tecturum hunc cœtus omnia membra ſui.
Debita nec doctis ideo commercia Muſis
Hic quiſquam audito ſegnior hoſte neget,
Sed ſtudia hæc nulla fracti aſperitate colamus,
Quæ verum vitæ dantq́ fouentq́ decus.
Organa quæ præbent, quorũ aut Eccleſia Chriſti
Officio, aut legum, publica norma viget.
Hæc tua militia eſt, ſtudijs addicta iuuentus,
Hæc decet officij te bona noſſe tui.
Ac velut his adfert meritas infamia pœnas,
Pierides ficta qui pietate colunt,
Calliope merita ſic illos fronde coronat,
Eſt quibus officij cognita cauſſa ſui.

Sint procul, accedunt qui ſic ad flumina Phœbi,
Vt medicata fugax pocula muſca petit.
Qui ſtudijs animum vitæ ciuilis ad vſum
Excolit, hunc meritò publicus ornat honos.
Si quos ergò caput ſacras efferre per artes
Iuuit, & ingenio conciliare decus,
Si qui operam tali nauarunt artibus œſtro,
Vt ſibi deberi præmia recta putent,
Secerniq́ rudis cupiunt à numine vulgi,
Et celebre à veris nomen habere bonis,
Temporis his aliquot certi decernimus horas,
Et cauſſam alloquij colloquijq́ damus,
Noſtra nec his deerit recta & ſtudioſa voluntas,
Qui recto officium pectore tale petunt,
Fortiter eſt nobis ſtudiorum hic ordo tuendus,
Quem ratio veteri publica more probat.
Vt pia ſeruetur ſtudij profeſſio noſtri,
Quod multi extinctum funditus eſſe velint.
Dum licet ingenio ditari, diſce Iuuentus,
Iſta dabit fruges, iſte colendus ager,
Cætera fide Deo, preſſis qui ſubuenit, ille
Excubias noſtro pro grege ſemper agit.

ELEGIA

ELEGIA VIII.

SCRIPTA AD INGENVVM ADOLESCENTEM Stanislaum Bornbachum, Polonum, in patriam abiturum.



Læta Stanislaum comitentur fata Poëtam,
Dum repetit patriæ, dulcia rura, suæ.
Hoc nitidi mores, & mens animosa meretur,
Et pulchris auctum dotibus ingenium.
Hoc cupiunt Musæ, charoq́ precantur alumno,
In quo spem raræ conditionis aluit,
Ergò Sarmaticus Thuringo Vistula Sala
Clarior in nostro te vetat esse choro?
Dumq́ suas ostentat opes & splendida vitæ
Munera, & antiqua nobile stirpe genus.
Iam tibi celsa calor subiens præcordia, maius
Musarum spreto munere suadet opus,
Iam iuuat ætatas tractare viriliter hastas,
Thraciaq́ audaci tela ferire manu.
Aut quocunq́ modo populo spectante probari,
Dum modò Musarum non videare comes,

Abſit

Abſit & in vanos hæc cedat opinio ventos,
Ingenij præſtat te meminiſſe tui.
Ampla minus quamuis effert opulentia Salam,
Et medium eſt aliquod quod ſinit eſſe decus,
At dum tuta facit facundis ocia Muſis,
Nobilior veris incipit eſſe bonis.
Iunctaq́ cum clara pietas virtute, vetuſtum
Ad decus his laudem nominis addit agris.

ELEGIA IX.
CONTINET EPISTOLAM SALÆ AD ILMVM, DESIderat autem Stigelius aduentum Philippi Melanthonis.



Lme tibi inuideo, tecum mea cura Melanthon,
Tu mihi ſperatum ſurripis Ilme decus.
Tu congeſta meis ſumis tibi gaudia curis,
Te penes eſt voti meta ſuprema mei.
At mecum exercens triſtes Salana querelas
In caput effundit non bona verba tuum:
Ilme niſi exceptum te pondere Sala leuaret,
A proprijs potus conficereris aquis,
Aut igitur nobis ſurreptum redde Philippum,
Aut faciam hinc in te dirus Iambus eat.

Nam

Namlicet ignores, Salanæ carmine Muſæ,
Non minus Italicis, Trinacrijſq́ valent,
Sed te ſi læto generoſus pectore Princeps,
Colloquioq́ ſuo docte Philippe tenet,
Proximus aut illi, ſanctarum gloria legum
Minguiciæ celebris gentis Eraſmus honos,
Clarus & eloquio & regum Franciſcus amore,
Et Latio & Graio dum lubet ore potens,
Aut tu ſaluifici præco fortiſſime Chriſti,
Doctrinæ Stolſi dexter in omne genus,
Et quem nulla latent geſtarum pondera rerum,
Excubitor Chriſti peruigil Aurifaber,
Naturamq́ hominum medica qui ſubleuat arte,
Mente pia pariter liber, & ore Simon.
Ingenioq́ valens Keſtnere & fauce ſonora,
Mercurij niueos docte mouere ſales,
Quiq́ agis hæredem linguæ Pontane paternæ,
Et pariter præſtas voce manuq́ virum.
Et regale pijs qui nomen moribus æquas,
Iuraq́ Socratica cum grauitate tenes.
Et tu Taſſo fori decus, & tu candide Pfreunde,
Cura ſodalicij dulcis vterq́ mei.
Do veniam, tanti ſe te remorantur amici,
Nec malè quod de me cogitet Ilmus habet.
Sed tamen hic etiam coram patiare videri,
Aq́ tuo noſter pendeat ore chorus,

Hoc

Hoc rogat Aonio potans è fonte luuentus,
Aduentum exoptat quæ venerata tuum.
Sicut apes denſæ venturi ad limina regis,
Neglectis ſtipant agmina longa fauis,
Et votis ardent memores & amore videndi,
Præſentis rapitur vulgus amore Ducis:
Haud aliter noſtri ſtudio impaciente tyrones,
In vultu ponunt omina læta tuo.
Ipſa ſedet poſitis triſtis Salana corollis,
Ingẽ horas cumulans irrita vota facit,
Huic fruſtra Phœbus, fruſtra ſua dona Lyæus
Exhibet, à ſocijs abſtinet ægra choris,
Ipſa volens nolens lenta turbatior vnda,
Penè etiam inuito flumine Sala feror.
Temporis exoſæ ſpacium ſqualente rigentes,
Humectant Muſæ ſalides imbre genas,
Omnia triſticia ceu frigore marcida languent,
Expectate diu tu quia lentus abes.
At ſimul his abeas veniens de montibus hoſpes,
Omnia ceu verno læta videbo die.
Iam venit, ille venit, triſtes ceſſate querelæ,
Audit facta pio pectore vota Deus.
Ite piæ Muſæ, venienti occurrite Vati,
Hunc eat excipiens carminis omne genus.
Nunc mihi Caſtalio littus fluat omne liquore,
Nunc mihi Muſa omni valle recepta ſonet.

Custodes hominum, quorũ ad mea littora nomen,
Officiumq́ pium templa sonora docent,
Excubijs vestris diuinum adducite Vatem,
Et seruate Deo dulce tegente caput.
At tu quod tandem decus hoc dimiseris Ilme,
Te manet ex hortis facta corona meis.

ELEGIA X.

SCRIPTA AD IOANNEM CHIOMVSVM ECCLESIASTEM Frimariensem, senem venerandum, qua complectitur Canticum Simeonis.

AN Cygnæa senis talis quoq́ cantio vatis,
Te puer amplexu Christe tenentis erat.
Qualis ab ore fluit venerandi vox Chiomusi,
Dum facit et dulci carmina voce canit.
Talis erat certè, per quem tua gratia cantu,
Iam rediens miseris significata fuit,
Legerat ille prius sacrorum oracula Vatum,
Siue tuum Daniel, siue Iacobe tuum.
Tempora continui collegerat ordine motus,
Ante fores genesin norat adesse tuam,

Viderat

Viderat ante animo quod præſens ore videbat,
Teq́ nouum mundi nouerat eſſe decus.
Ergò ſatur vitæ, ſitiens q́ ſalutis, & eius
Certus in id toto pectore nixus erat.
In ſolo vt mens certa Deo et peccata quieſcens,
Ex te vno vitam non aliunde ferat,
Hæc alijs etiam vt latè doctrina ſonaret,
Pectore teſtatus lætus et ore fuit.
Nunc age viue tuum Deus hinc dimitte miniſtrũ,
Tranquilla liceat nunc mihi pace mori,
Namq́ tuum his oculis natum mea gaudia vidi,
Vera venit tritis cordibus vnde ſalus,
Quem nunc conſtituis mundi tot gentib vnum,
Colligat amiſſi qui monumenta gregis,
Ille nouo auerſas reuocabit lumine gentes,
Et ſperata tuæ gloria plebis erit.
Sic cui larga ſeni de cœlo contigit ætas,
Laude Dei plenum cor Chiomuſus habet.
A prima docuit Chriſtum nouiſſe iuuenta,
Quem benè nunc ſenio nouit eunte ſenex.
Et quia fata videt mœſto properantia cœlo,
Hoc quibus in cineres orbis abibit opus,
Omne ait huc vitæ referas ſtudiumq́ decusq́
Noris vt æternum cum Simeone Deum,
Pacataq́ queas agnoſcere mente ſalutem,
Quam pia de Chriſti ſanguine corda bibunt,

Ille Dei eſt agnus, qui mundi crimina portans
Victima pro noſtra cæſa ſalute fuit.
Hunc vbi delicti vero contrita dolore,
Arripit, & certa mens rediuiua fide,
Vera quies ſequitur, q̃ mortis vincula rumpens,
Ante Deum lucrum non moritura facit.
Hei pereant, dubijs veniam qui poſcere votis,
Verè humilis munus pectoris eſſe putant.
Numinis æterni qui verſo à pollice mœſtos,
Penderet, & nigrum thita timere iubent.
Qui velut immitem morituri Phinea nati,
Ambiguum accedunt ſpeq́ metuq́ Deum.
Centonesq́ operum meritis attexere Chriſti,
Atq́ auro plumbum commaculare docent.
I procul Auſonij ſector ſcelerate fauoris,
Quid cumulus tenebris lumina noſtra tuis.
Vende alijs fumos, quos ſors iuuat iſta volentes,
Nomina nos ipſis rebus habere iuuat.
Tu dubites, veniamq́ petas, pereasq́ petendo,
Saluifica viuos nos iuuat eſſe fide.
Tu quæras in nocte diem flammæq́ quietem,
Nos iuuat è cœlo luce fauente frui.
Tu pete ſopitos veniæ ſuffragia manes,
Nos iuuat è Chriſti ſanguine viua ſalus.
Nos portum nouiſſe iuuat methodumq́ ſalutis,
Te trahat ad ſtygias impius error aquas,

Hei

Hei minimè eſt error? nequeat quod culpa vocari,
Mole ſui atq; omni crimine maius erat.
Si tamen hoc titulo ſceleris tibi Papa relictum
Auferat, hocq; tuus nomen adeptus honor,
Te nulla eſt peior, te nulla immanior Ate,
Nulla magis vero vis inimica Deo.
Eripis, & Chriſto raptos tibi ſumis honores,
Audaci miſces iusq; nephasq; manu.
Ipſi audes offerre Deo, quem miſit ab alto,
Vt merito offerret ſe ſemel ipſe ſuo.
Infatuas reges, atq; aſtu decipis orbem,
Illius & maculas turpiter omne decus,
Delicijs inhias, regnum venaris & aurum,
Dicere nemo auſit, quod tua Roma videt.
Securus vitæ, extremæ ſecurior horæ,
Non curas ſummum, qui videt iſta, Deum.
Multa quid enumerem tibi vera oracula dixit,
Ornauit tali qui tua facta ſono.
Ludere flagitijs, technis certare doloſis,
Romani proprium eſt præſulis officium.
Hoc vbi, ſic ſacri cum muneris exigit ordo,
Detonuit docto candidus ore ſenex.
Ad calamum verſus, carmen deducit, & illi
Muſicus & vates adplicat arte melos,
Mox numeris doctus ſociatas reddere voces,
Dauidicæ pulſat fila canora chelis,

Sic vitam exonerat curis, dum vera docendo
Et benè viuendo tempora læta trahit.
Fortunate ſenex, & Chriſti dulcis Iopas,
Quàm mihi ſic tecum viuere dulce foret,
Pace lates placida, ſtrepitu ſeiunctus ab omni,
Quem pariunt aulæ, curia, roſtra, forum.
Auertens oculos veſani à ſordibus orbis,
In ſolo ponis ſpemq; fidemq; Deo.
Quæq; ſcholas alibi, quæ templa perambulat Ate,
Non audet regni tecta ſubire tui.
Candida cum ſocijs ſeruit tibi gratia Muſis,
Quæ tibi victurum nomen vbiq; facit,
His ſimul excubias diuini & numinis auram
Accumulat patria pro bonitate Deus.
Hæc eſt vita: Deum poſitis agnoſcere curis,
Illius & notas ſemper habere vias.

ELEGIA XI.

MONENS VT PAVPERES ONERATI HONESTIS LABORIBVS ſuam ſortem boni conſulant, etiamſi non accipiunt iuſta præmia.

Ὄνος ὑπὸ ὑποδρόμου.

QVondam



Vondam asinus rigido iussus seruire colono,
Indoluit sortis fata seuera suæ,
Exiguumq́ cibum accusans, magnumq́ laborem,
Sæpè alium cupidè siccus hiabat herum.
Tunc quoq́ ieiuno plenos cum ventre quasillos
Ferret, in hæc fertur verba rogasse Iouem.
Iuppiter Arcadicis multum olim cognite syluis,
Arcadicum facili fer precor aure pecus.
Non ego nunc pellem fului mihi posco Leonis,
Sat premit hæc nostrum fabula trita genus.
Des alium dominum, dederis sic omnia tantum,
Seruitij durum deprecor huius onus:
Annuit, & figulo commendat Iuppiter illum,
Hæc quoq́ sors illi non toleranda fuit.
Imposito sudat Samiæ sub pondere terræ,
Atterit hirsutum tegula dura latus,
Sæpè etiam lapsus diffractis vapulat ollis,
Iunctaq́ cum multo verbere probra tulit,
Ergò iterum vt dominum misero mutare liceret,
Multa facit summo vota molesta Ioui.
Accipit hunc, veteres solitus deglubere pelles,
Impurà cerdo qui facit arte lucrum.
Hic dum sera graues labor ipsa senecta labores,
Ingrato minimè grata recusat hero.

Occidit immeritæ pecus ictum verbere clauæ,
Fataq́ detracta pelle suprema subit.
Hei mihi quàm frustra facto oblectatur acerbo,
Qui meritis poscit præmia digna suis.
Sis asinus quemcunq́ asinum sors aspera fecit,
Qui placidè sortem ferre scit, ille sapit.

ELEGIA XII.

SCRIPTA IN FASTOS OVIDII ET PROPOSITA in Academia Ienensi.



Actenus Andinæ per rura sonantia Musæ,
Naturæ varias quærere iuuit opes.
Pinguior vnde seges campis, nitor aureus hortis,
Quæ faciat lætum prouida cura pecus.
Quæ tibi dulcis apis, cœlo cognata facultas,
Mirandum æthereo nectare texat opus:
Nec puto dedecuit rigida cum Naiade Musam,
Dona laboriferi ruris amœna sequi.
Certè operæ precium est sociæ famulantia vitæ
Eruere, & certo commoda nosse modo.
Sed tamen in manibus terræ, quæq́ inde parantur,
Et bona fert iusso parta labore manus. (tur,

Plus

Plus eſt ingenio bona vera inquirere, & altæ
In promptu ſanctum mentis habere decus,
Et cauſſam pariter finemq́ agnoſcere vitæ,
Officy numeros & meminiſſe ſui.
Eſt locus anguſtis qua cœlum aperitur ab Horis,
Priſcaq́ longæui temporis aula patet,
Semper vbi teneris pubeſcunt menſibus anni,
Et reparat nitidum læta iuuenta diem,
Illic molitum cœli conuexa Gigantem,
Sub rigida tremulum mole ſtetiſſe ferunt.
Illic abſtruſas quædam ingenioſa latebras,
Incolit, & recolens omnia nouit anus.
Fortè rogas nomen, nomen veneranda vetuſtas,
Hoc illi verum longa ſenecta dedit.
Non tamen informis, non eſt inamabilis, ipſi
Ad latus eſt Hebe ſemper amica comes.
Vera loquor, memorem tanti non pœnitet vſus,
Hanc quoq́ non ficto ſi quis amore colat.
Omnia nam meminit, ſed non vt ſubdola Siren,
Credis & hoc, docilem cuncta docere poteſt,
Iam canit humani genus & primordia cœtus,
Cumq́ ſuis rebus tempora lapſa refert,
Iam ſtudia & mores, iam iura & fœdera narrat,
Et vitæ ſpeciem, quo tibi pingat, habet,
Cumq́ ſuis ducibus variantia regna recenſet,
Et mala præclaris obuia magna bonis,

Iam vitijs lapſas, iam ſtantes legibus vrbes,
Et tantum ſtabiles in leuitate vices,
Quinetiam ritus atq; argumenta ſacrorum,
Ad cœli varias mille reperta vias,
Pontificumq; dolos, atq; anxia vota piorum,
Mixtaq; cum falſis dogmata vera canit,
Quid mora? ceu ſpeculo depictam oſtendere vitã
Nouit, & ad cœlum dicere quâ ſit iter.
Vtq; hominum perhibent varijs diſtantia formis,
Omnia Diphtera facta notare Iouem:
Sic numero vaſtum recolens exempla per orbem,
Mille vbi monſtrauit, millia multa tenet,
Huc ades, hîc caſtis iuuenis comes addite Muſis,
Quos fugias mores, quos imiteris, habes.
Huc mecum libeat ſpreto ſecedere vulgo,
Atq; aliquas doctæ quærere mentis opes.
Ecce ſacræ Vatis monſtrant veſtigia Muſæ,
Cui primum ante alios fert Elegia decus.
Vatis Ephemeridas, ſignataq; tempora monſtrant,
Quæ dominam vt poſſis certus adire docent,
Roma vocat Faſtos, nam rebus idonea geſtis,
Tempora per certas rettulit illa dies.
Quidquid id eſt, certè natum ex Helicone Poëma
Dixeris, & dignum quod relegatur opus.
Quod facili lætus dum pangit carmine Vates,
Miretur Cytharam nemo Phileta tuam,

Ille

Ille canit, numeris aſpirant numina Muſæ,
Carmen ad argutum ridet amica Charis.
Blanda Venus ceſton, guſtum Nepentheos Horæ,
Tu niueos addis Pleiade nate ſales.
Qui cupis è medijs ludos ſpectare theatris,
Quid niſi cum vulgo vana videre cupis?
Qui petis obſcœnos ad ſera repotia cantus,
Quid niſi laſciua nocte venena petis:
Hinc petis indicio ſeriem moderante, quod vſus,
Quod vitæ ratio poſcat honeſta, tuæ.
Hinc pete quod curis mentem demulceat ægram,
Pelignum reficit triſtia corda melos.
Fœlix, innocuæ quem duro hoc tempore Muſæ, ,,
Non totum curis ſuccubuiſſe ſinunt. ,,
Cui releuant dulci triſtem ſermone dolorem,
Hauſtaq; Pegaſco pharmaca fonte ferunt,
Hæc, vtcunq; meæ fallax cadat alea ſortis,
Me notum Aonijs non pudet eſſe choris.
Da veniam Caſtor, veniam da ſplendide Pollux,
Ni faueant Muſæ, veſter hebeſcit honor.
Qui comes eſt Muſis, non hunc fugit inclyta vir-
Quem penes eſt virtus, omnia dites habet. (tus,

ELEGIA

ELEGIA XIII.

SCRIPTA IN ECLIP. SIN LVNÆ ANNI M. D. XXXVI.



Chraſtinus exactæ perfunctus mu-
nere lucis,
Soluerit emeritis cum iuga Phœ-
bus equis,
Cumq́ tuba gratam ſtomacho vulgauerit horam,
Qui campos media luſtrat ab vrbe vigil:
Quisquis ad inſtructæ properabis fercula menſæ,
Differ, habent paruæ quod vereare moræ.
Iam nigra ſuſpiciens Latonæ lumina dices
Fallor an obſcuris Luna laborat equis?
Signaq́ perluſtrans merſo contraria Phœbo,
Conſpicies verbis pondus ineſſe tuis.
Hoſpitis horreſcunt ad talia fata Gemelli,
Arctius & ſolito brachia iuncta tenent.
Incaſſum medij videt hoc de culmine cœli,
Iuppiter afflicta propietate timens.
Cætera ſub terris Erronum turba vagantes,
Antipodum populis nuncia fata ferunt.
Dic mihi qui taciti faſtidis ſydera cœli,
Hæcq́ nihil certi iuris habere putas,

Anne

Anne laborantis tam mœſta ſilentia Lunæ,
Arguis effectus non habitura ſuos?
Ah ne ſint alicui tam duri in pectore nerui,
In nos vt nitidi ius neget eſſe poli.
Durior eſt ſcopulis, nec cœlo ſemina ducit,
Qui ſolum ad cultum ſydera facta putat,
Quiq; humana negat dominari in corpora ſtellas,
Hunc nihil humanæ mentis habere reor.
Perlege ſcrutatus veterum monumẽta Sophorum,
Quicquid habet Latium, quicquid & Hellas habet.
Quicquid habet vetcrum non fictæ pagina famæ,
Hos cœli monitus, quo tuearis, habes.
Non fuit vllius regni mutatio, quæ non
Significata prius certa per aſtra foret.
Mitis ad errores, & iuſtam tardus ad iram,
Nuncia per fati nos monet iſta Deus.
Quæ dum ſecuri ventoſis tradimus auris,
Pro ſtulta pœnas impietate damus.
Quiſquis es ergo aliquid tribuens pietatis honori,
Confeſſo veniam pectore poſce Deum.
In promptu eſt, miſeri quæ ſit turbatio mundi,
Illius at nemo dicere fata poteſt.
Orandum eſt vitæq; modus melioris agendus,
Placari haud alia vult ratione Deus.

ELEGIA

ELEGIA XIIII.

SCRIPTA DE ECLIPSI SOLIS QVÆ ACCIDIT Anno M. D. LI.



Conſcia mundanæ rerum natura ruinæ,
Oſtenſo toties mœſta dolore gemit.
Ipſa etiam offenſi declarant numinis iram,
Menſa ſuas dubijs viribus aſtra vias.
Et tamen admiſſæ cumulat ſibi pondera culpæ
Dirus homo, & præceps in ſua fata ruit.
Crebra notabilibus præbet ſpectacula ſignis,
Et cœlum, & cœlo terra ciente dolens,
Exequias ducto monſtrarunt funere nubes,
Clanguit à cœli claſſicus orbe ſonus:
Eſt vbi puniceo ſudauit ſanguine tellus,
Et maduit pigro tacta cruore ſeges,
Ipſe tegi vidi nigro velamine Solem,
Vt tegit abſconſam parua tabella facem,
Tempore quo pictæ facies metuenda Chimæræ.
Auſa eſt in Chriſti ſede tenere locum,
Vidimus & plures velut vni illudere Soles,
Bellaq; ſignorum per ſimulachra geri,

Tempora

Tempora nonne etiam præsentis nouimus anni,
Noxia per terras mille fuisse locis?
Fulmine pugnantes & tempestatibus atris,
Irati pluuiæ signa dedêre Dei.
Cum stabulis pecudes, cum tecto & prole parentes
Missa repentinis sorbuit vnda vadis.
De cœlo tactæ perierunt fulmine villæ,
Irritaq; agricolæ spesq; laborq; fuit
Et quotus emendat vitioso in pectore sordes?
Et veniam culpæ corde dolente petit?
Vndiq; dum largo petulantia gramine florum ,,
Luctifico spicas gignit odore graues, ,,
Vnde seges miseris mortalibus ampla malorum, ,,
Messis & assiduo plena dolore venit. ,,
Nunc etiam obscurum fatalis linea Solem,
In Lunæ tenebras impedientis agit.
Namq; hodiè à summi digressus cardine cœli,
Cum primum placidis pronior ibit equis.
Limen Aristææ summo qua surgit Olympo,
Obscura faciem lampade tectus erit.
Ipsa vicem domini, dum conspicit, hospita virgo,
In terræ lachrymans climata longa gemit,
Impius obscœna vinctus cum Cypride Mauors,
Accendit fœdas ad scelus omne faces.
Quid reliquos memorem? spectrum ferruginis
Appendix fati totius esse potest. (huius

Accidet

Accidet humanis iterum conuerſio rebus,
Vt noua, ſic tanta vix prius orta vice.
Atq́ agitans aliquis ſolares fortiter axes,
Forte parem laudem cum Phaëtonte feret.
Hei cur dira trahit capitis contagia corpus?
Cur habet excellens brachia longa malum?
Sicut in humano cum corpore degener humor
Sæuit, & Euripi more ſolutus abit,
Omnia turbantur liquido putredinis æſtu,
Et leuiter vitam flammula cordis alit:
Sic commota ſemel maturo regna tumultu,
Exitium in populi viſcera tota ſerunt.
Hæc tibi quid memorem? ſentis Germania, ſentis
Quæ tibi ſub coſtis cauſſa doloris eat.
Tu patefacte tui nobis è munere uerbi
Præſto tua miſeris ſis bonitate, Deus.
Tantum iuſticiæ nobis ne ſubtrahe Solem,
Qui fons ad cœlum eſt exilientis aquæ.
En tibi peccamus, tibi noſtra errata fatemur,
Ante tuos oculos nil niſi culpa ſumus.
Vtq́ decem releuas rigidæ à prurigine leprę,
Sic tibi vix grates Chriſte vel vnus agit.
Reſpice confeſſos naturæ & triſte dolentes
Seruitium, in te vno noſtra ſtat vna ſalus.
Reprime damnati rabiem fraudesq́ Dacronis,
Illius & neruis organa frange tuis.

Adſere

Adſere propicia diuini numinis aurâ,
Qui cupiunt toto corde placere tibi,
Vt canat in terris tibi iuſtam Eccleſia laudem,
Hinc abeat meritis donec in aſtra tuis.

ELEGIA XV.

PROPOSITA IENAE
IN ECLIPSIN LVNÆ.

Docta propè Aonios qui tranſigis ocia fontes,
Quâ ſacra facundas Muſa propinat aquas,
Et quem laurigeri verſantem Heliconis ad vmbras,
A ſtrepitu vulgi vita remota iuuat:
Muſarum tacitis prodi pauliſper ab antris,
Ardua cumq; oculis pectus ad aſtra refer.
Iampridem mœſti monſtrans ſpectacula cœli
Vranie Aonios conuocat alma Choros.
Non decet ignaros cœli nos eſſe, parauit
Mitis vbi nobis regna paterna Deus,
Ergò vbi in Heſperias hodie deceſſerit vndas,
Cumq; ſuo Phœbus Pleiade merſus erit,
Adducens gelidæ cum prima ſilentia noctis,
Sopitis veniet rebus amica quies:

Mœsta repentinus tenebrarũ incurret in vmbras,
Marticolæ dorso Cynthia vecta Nepæ.
Et frustra oppositæ luctans cum corpore terræ,
Optabit faciem Phœbe videre tuam.
Terga Typhonæi premet Ægocerotis, & atrox
Falciger Eoo surget ab axe senex,
Ausus & afflictæ fallaci ludere vultu,
Hunc sibi scandenti gestiet esse locum.
Ponè sequens Mauors facto gauisus iniquo,
Iam propior tanto vellet adesse malo,
Illius aula etenim spectaculum id edit, & inde
Nonnihil huc nocti quæ dominetur habet.
Martis & inuitus sub castro Iappiter hæret,
Quâ plaga depressi cardinis ima patet.
Fortior hunc gaudet vultu terrere minaci,
Carnifici sitiens omnia fauce senex.
At procul auersa, molli comes Aphroditi,
Effigie Maiæ filius huius abest.
Hæc cœli facies sed qualia damna minetur,
Dicere proposito res erit apta meo.
Bella nephanda tibi restant, Germania restant,
Quæ rapido Mauors ense ciere velit.
Omnia sed miscens odijs Saturnus & ira,
Non sinet ingenuo prælia Marte geri.
Artibus heu quantis crudelia fata ciebit,
Heu quantis passim sæuiet insidijs.

Ille suam exacuens preciosa in funera falcem,
Famosa audebit messe replere solum.
Demetet Heroês, quibus opportuna potestas,
Visa est æternum iam stabilisse decus.
Demetet immeritos & pectora dedita cœlo,
Nomen ab inuicta qui pietate ferunt.
Huic ita fatalis coniuncta potentia cœli,
Ærumnis caussas hic & vbiq; dabit.
Fallor an irata tempestas pendet ab Arcto,
Producentq; nouas condita fata minas.
Fulmen ab extremo veniens Aquilone sonabit,
Heu quantum fati res ea tota trahit,
Ipse suum Boreas strepitu testante dolorem,
Esse suum late flare probabit opus.
Quidquid erit tu Christe faue, tua dona professis,
Fortiter impositam da tolerare crucem.
Irrita rumpatur perituri machina mundi,
Eripias humeris nos modò Christe tuis.

ELEGIA XVI.
SCRIPTA IENAE IN ECLIPSIN LVNÆ.

Orta reuersuræ sub prima crepuscula noctis,
Occiduos hodiè Sol vbi mergat equos.

Quâ patet horrendi cœlo graue carceris antrum,
Collaq́ scandentis torta Draconis habet.
Mœsta tenebrosos incurret Luna labores,
Totaq́ terrena nocte grauata tremet.
Impurata trahens humentis brachia Cancri,
Mars sua contiguo castra sub axe tenet.
Quem piger obliquis terræ Saturnus ab oris,
Aspiciens agili iunctior esse velit.
Phœbus at obiecto pendentis pondere terræ,
Languidus oppressa fata sorore dolet.
Solus in angusta residens regione Laconum,
Ferre malis aliquam Iuppiter optat opem.
Dum vagor vndisonæ sinuosa ad littora Salæ,
Et meditor mœsti tristia signa poli,
Ecce vir annoso veniens venerabilis æuo,
Ante mea extemplo constitit ora senex.
Qualis in Armenijs cum montibus astra doceret,
Ora pius poterat sancta referre Nohas.
Atq́ ita, cur cœli te tristis imago fatigat?
Semper homo pœnas cum mereatur, ait.
Sic tamen hæc habeas, qui cœli in culmine cernis,
Iampridem infaustum Mars meditatur opus,
Et licet euentus non sit nacturus eosdem,
Impius armata quos tulit ante manu:
Attamen hinc alias mox se conuertet ad artes,
Obuia Leucadio cum feret arma Deo.

Quin

Quin nunc deſpiciens uibrato lumine Solem,
Neſcio cui Regi funera mœſta parat.
Falciger ac cœpti ſibi qui ius arrogat anni,
Quam dirum gaudet cum Ganymede ſenex?
Is varia ignotis miſcebit ſemina morbis,
Humidus, & ſæuum ſparget vbiq; malum,
Ille pigris denſum corrumpens aëra ventis,
Frugiferos putridis imbribus vret agros,
Et iaculans ſæuam violenta per vlcera peſtem,
Humana laceram ſtrage replebit humum,
Febribus inuadet pecudes, ſub Pleiadis ortum,
Eluere Autumni geſtiet omne decus.
Hunc opera famulans Cytherea impura iuuabit,
Exitium fœdis ventribus illa feret.
Crebra trahent paſſim Circæos funera porcos,
Et pœnas meritas tetra libido dabit.
Dic pater, ô dixi, qui paci euentus & armis?
Continuò hæc tremulo rettulit ille ſono.
Sis inuicta licet tibi dico Sparta cauето,
Ne tibi vis tanti claudicet imperij,
Includet ſubitus paruo te tempore morbus,
Sæua tuum quatiet fluctibus vnda caput.
Plura rogaturum linquens in littore ſolum,
Ex oculis abijt protinus ille meis.
Ad te igitur carmen dulciſſima patria verto,
Imperij ô veteris Theutona terra decus.

Cur ita degeneras? quid dixi? heu ardor amoris
Cenſuræ veniam poſcere iure potest.
Iam pede te metire tuo, tua crimina cerne,
Cur toties cœlum lugeat, anne rogas?
Nam quotus est alijs qui vſuram lucis, & huius
Non etiam inuideat commoda parua moræ,
Omnia & Ebrietas, & amor ſceleratus habendi,
Pectora ceu vinclis illaqueata tenet,
Inde abeunt pleni vitiorum turbine riui,
Abſorbent altis qui bona vera vadis.
Quin propere vitæ delicta agnoſcimus actæ,
Et veniam petimus ſupplice mente Deum,
Reſpicit ille pios conuerſo in pectore motus,
Nec veras hebeti negligit aure preces,
Cum videt erecta reſipiſcere mente nocentem,
Præcipit angelicis gaudia læta choris,
Hæc ego nunc ſurdis cano forſitan irrita ventis,
Tu tamen hæc Muſis chara iuuenta, tene.
Et veniam culpæ lacrymans aſſueſce precari,
Leniet hæc miſeris tempora mœſta Deus,
Vt fugat Herculeum volucris criſtata Leonem,
Indice dum certas concinit ore vices.
Sic ardente preces ad cœlum è pectore fuſæ,
Sculpta etiam fati frangere iura queunt,
Adprobat has magna iungens ſe luce precanti
Linquere qui neſcit pectora fiſa Deus.

ELEGIA

ELEGIARVM LIBER TERTIVS.

ELEGIA I.

DE VTILITATE DOCTRINÆ, DE FABRICATIONE humani corporis.



Annua designat redeuntes meta calendas,
Et noua sperato lux abit orta die.
Sol toties pallens, bis dena per astra relapsus,
Lucifluum renouat pulcher ab axe iubar,
Quis putet? hunc etiam viui transegimus annum,
Vndiq; dum sæuæ nos petiêre minæ.
Et velut ingenti scrutans in flumine victum,
Excutit illapsas tergore mergus aquas:
Sic etiam solo mordaces pectore casus,
Turba Deo fidens ferre coacta, tulit.
Quis tamen hanc texit? quis vires addidit ægræ?
Omnia qui forti sub pede Christus habet,

Ille gerit ſceptrum duro inſuperabile ferro,
Quod vis inuidiæ frangere nulla poteſt.
Hoc ſemel exigua leuiter cum concitat aura,
Ad nutum Domini terra polusq; tremunt,
Ille premit furias et bella exanguia reddit,
Et ſibi fidentes hic & vbiq; tegit.
Huic igitur dicas præconia grata iuuentus,
Quæ ſacra Pegaſci flumina fontis amas,
Huic ardente tuæ vigilent ſudore Camœnæ,
Huic ſtudium ingenij ſeruiat omne tui.
Ergò hominis quando cauſſas fineſq; probandos,
Scrutati ex hominum conditione ſumus:
Iã vocat ad pulchros nos fabrica corporis artus,
Quæ mira autorem monſtrat in arte Deum.
Nam velut æquali diſpenſans fœdere mundum,
Non aliquod temerè condidit autor opus,
Corporis humani poſitas ſic ordine partes,
Iuſticiæ voluit ſigna referre ſuæ.
Alta Dei ſedes ſpacioſi machina cœli,
Præſentis ſeriem numinis intus habet.
Aureus in medio Sol aſtra ſequentia ducens,
Prolifica rerum ſemina luce fouet,
Ima ſed errantum mater fœcunda vaporum,
Subiecto tellus aëre fulta iacet,
Inde niues abeunt, & ros, & ventus, & imber,
Vt reditu foueant cuncta iuuentq; ſuo.

Omnia

Omnia mens intus latè diuina gubernat,
Et ſapiens cura firmat & arte iuuat:
Sic etiam humano diuerſa in corpore membra,
Vnanimi ſtruxit fœdere iuncta Deus.
Nam quia in extremas à puncto corporis oras,
Effigiem cœli circulus actus habet,
Totius arx cerebrum eſt, rotante ſalubre vapore,
Motibus & teneris ſenſibus, vnde via eſt.
Cor tenet in medio vitalis regna caloris,
Et cerebro officium dulce iuuante facit.
Inde abiens tenero exhalans ſanguine flamma
Singula viuifico membra calore mouet,
Quæ ſimul ac cerebri radios transfudit in arcem,
Lucida cœleſti redditur aura nota.
Hæc agitat vigiles cerebri per nubila ſenſus,
Acribus & neruis percita membra mouet.
At ſimilis terræ, denſis creberrima fumis,
Abdita ſub riguo ventre culina iacet.
Huius opus, molles iecoris per viſcera ſuccos,
Fundere, & aſſiduo membra fouere cibo.
Cætera quid memorē? vigiles ſub fronte miniſtri,
Excubias oculi limen ad arcis agunt.
Libera compoſitum diſtendunt brachia corpus,
Congruit & varijs artibus apta manus.
Hæc mens proſpiciens, mentiſq; miniſtra volun-
Omnia, conſilium quù moderentur, habent. (tas

Heu miſeros mundum quicunq; coiſſe putarunt,
Materiæ ex atomis triſte fluentis opus.
Ite procul caſus dubiæq; abſcedite ſortes,
Præſentem hæc monſtrat dulcis imago Deum.
Condidit æterno qui prouidus omnia verbo,
Prouidus hic memori condita mente regit.
Ille malis tribuit pœnas & præmia iuſtis,
Et rerum certas ordinat ipſe vices.
Quid quod ad arcendos facit hæc ſpeculatio mor-
» *Qui benè ſe nouit ſanior eſſe poteſt.* (bos,
Corporis ignari mortem inter prandia cœnant,
» *Crapulaq; eſt homines quæ vetat eſſe ſenes.*
Hoc ſitus, hoc ordo, præclaraq; munia monſtrant
Iuncta quibus toto corpore membra vides.
Nam quia ventriculi calor abſorbetur, aduſtum
Sanguinis haud multum gignit alentis epar.
Cor quoq; defectu iecoris marcere neceſſe eſt,
Integra nec cerebro vis ſupereſſe poteſt.
Inde fit, vt multos onerans incuria perdat,
» *Et gula plus noxæ quam celer enſis habet.*
Conuenit & vitæ, moresq; illuſtrat, & æſtus
Pectoris enormi non ſinit ire via,
Hinc monitus ſtrictum Pelides retrahit enſem,
In clades temerè cum Catilina ruat.
Sponte faces animi generoſas obruit Aiax,
Iuuidiæ pectus triſte dolore grauans.

Inde

Inde obtusa malis temerè mens moribus errat,
Tristis & accelerat fata suprema furor.
At quia sentinam nouit sub corde malorum,
Et rapidum vigili pectore frenat equum,
Integer & compos generosæ mentis Vlysses,
Omne animi rectis moribus ornat opus,
Qui videt alterno defungi membra labore,
Dum peragunt certis mutua iussa locis.
Nec vacat officijs nec vitam moribus ornat,
Turpiter ille hominis nomen inane gerit.
Corporis ergò tui quæ sit structura Iuuentus
Discere, non minimum noueris esse decus,
Huic studio posthac operam tribuemus et horas,
Dum licet & Musas vmbra galæa fouet.
Interea quatiet dirum Bellona flagellum
Huic quoq; diuina stat sua meta manu.
Tu modò funde preces & laxos contrahe mores,
In medio poteris turbine pace frui.
Christe tua pariter, pariter virtute parentis,
Omnipotens viuo numine Christe Deus,
Mitis ades miseris, duro succurre labori,
Et dubiæ præsens dirige nauis iter.
Funestis odijs feruentia pectora Regum
Flecte, salutaris fac bona pacis ament,
Atq; tui splendens alas extende fauoris,
Vt bona te mentes vera probante colant.

Dum

Dum loquor, exaudit quę terra atq; astra verentur,
Prospera iam cœptis aura secundat iter.

ELEGIA II.

PROPOSITA SVB ENARRATIONEM ALIQVOT CICERONIS orationum, & Commentarij de Anima, programma propositum ingenijs inuitandis ad studium dicendi, cum rerum cognitione coniunctum.

PEr suadum mundi nobis vestigia pastor,
Quæritur ad Cytharam Psaltria Musa tuam,
Sermonis quoties dulces mirata figuras,
Adplausit numeris læta Iuuenta tuis?
Ipse etiam orator cœli, Doctorq; piorum
Rhetora se docuit spiritus esse sacer,
Illabensq; animis, diuini largus amoris,
Ad studium eloquij mouit amore pios,
Confutansq; rudes, ipso qui in lumine cœci,
Arte parata Deo verba placere negant:
Vnde decus veniat verbis, & gratia rebus,
Exemplo monuit pectora casta suo.

Hoc

Hoc duce cur pigeat linguam exercere loquendo,
Tam benè flexanimi, quem iuuat ore loqui?
Is probat & donat facundæ munera linguæ,
Mens sibi cum recti conscia, verba regit,
Quid quod ad humanas placidè se accommodet
Cum verba è media plebe petita facit. (aures,
Fingere nec solum, sed pingere verba laborat,
Vt moueat dulci pectora nostra sono.
Hei malè lymphati, & muto sermone diserti
Sermonis, quibus est res odiosa, decus,
Si sat habet crudo profiteri murmure nomen,
Dum reliquas cuculus cocytat inter aues.
Non ideò vitio dandum est, si suauius edit
Daulias artifici gutture carmen auis,
Lingua nec obstabit nugacis garrula Sturni,
Quo frigilla minus carmen equestre sonet,
Quid tibi profuerit fontes hausisse Platonis,
Naturæq; omnes euacuasse sinus?
Si vèlut ex tripode obscuro sermone loquaris,
Si tua flexanimi lingua nitore caret?
Excitat ingenuas dicendi gratia mentes,
Comprimit effrenes, ingenuasq; regit.
Inde tulit rerum Regina oratio nomen,
Inde decus regnis, vrbibus inde venit.
Laude sua maior res est mulcere loquendo
Pectora, & artifici ducere corda sano.

Præcipuè

Præcipitè insano cum motum turbine vulgus
Irruit in leges, iusticiamq; premit.
Tum si forte datur dicendo audire valentem,
Cui pietas cordi est, iuris & acer amor,
Illum omnis placidè recto de iure docentem,
Inspicit in medio densa corona foro.
Namq; sagax rebus dat pondera, lumina verbis
Vt faciat viuos vox animata sonos.
Nunc variat sensus, nunc læto schemate pingit,
Plausibilemq; sonum moribus esse facit.
Separat à vitio iusto discrimine laudem,
Hinc odio, hinc animis figit amore, faces.
Sic implet patulas cautis sermonibus aures,
Inq; animos Linguæ flumine totus abit.
Offundit tenebras, inducit lumina nocti,
Arte animos fingit, quo lubet, arte trahit.
Hoc erat arua Linum, celsos Amphiona muros,
Orphea cum brutis saxa mouere feris.
Certè ita sunt homines adfecti, ita moribus errat,
Vt velit eloquio simplice nemo regi.
Picta probat vulgus, laudant insignia docti,
Et benè translatis auris aperta vacat.
Quisq; libens audit, moto quod pectore sentit,
Quæ caret adfectu dictio rara placet.
Ne, cit in humanas migrare oratio mentes,
Socratico quamuis pondere plena cadat,

Compta

Compta coloratis niſi Suada & Gratia formis
Res habitu, & dulci verba nitore iuuent.
Nec tamen hic aliquis media de fece Laconum,
Scommate nos falſo, cur reprehendat, habet.
Non nos verbiſonis Aſiana licentia nimbis,
Sed medium memores inter vtrumq; iuuat.
Nec fatui ſummam temerè adſpiramus ad artem,
Hei mihi, quàm tali rarus in arce ſtetit?
Verum aliquam laudis cõtenti quærimus vmbrã,
Qua poſſint alij non ſine fruge frui.
Iam tibi ne deſit formandæ occaſio linguæ,
Vt potero ſpecimen de Cicerone dabo,
Inde tamen phas eſt iucundum & grande ſonan-
Eloquij dulci ducere fila ſono. (tis,
Sic tamẽ huic horas dociles tribuemus, & vſum,
Sic & in hoc ſtudio noſter abibit equus.
Vt ſimul humanæ naturam & ſemina mentis,
Atq; animæ totum perſpiciamus opus.
Hoc etenim à brutis homines nos ſeparat ordo,
Poſſumus è vigili quod ratione loqui.
Corporis excelſi ratio dominatur in arce,
Atq; aciem arguti dirigit ingenij,
Accenſumq; fouens naturæ ab origine lumen
Senſa animi è radijs luminis hauſta, rapit.
Colligit his ducibus rerum ſimulachra, notansq;
Diſcernit ſpacijs phasq; nephasq; ſuis.

Inde

Inde velut magno fundens se amplissima gyro,
Iudicium è rerum cognitione facit.
Huic comes est solers & pars adiũcta voluntas,
Vt placidè amplectens, quæ probat illa, velit.
Hæc regit imperio motus in corde vagantes,
Quod dolet & gaudet spéq; metuq; tremit,
Dirigit & neruis motos flectentibus artus,
Ne temerè errantes & sine lege ruant.
His tribus vt pulchræ constarent fœdera pacis,
Vnde Dei æterni nascitur omnis amor.
Ipse opifex hominis rerum inscrutabilis autor,
Fecit amicitiæ talia vincla Deus.
Et quia cor certo motam spiramine linguam,
Adiuuat è fibris pulmo porose tuis.
Hanc idem voluit cordi seruire loquendo,
Vt voluit menti cor obedire piæ.
Ergò suæ hæc animo naturæ dona recordans,
Officij agnoscat munera quisq; sui,
Atq; animum intendat sanctis ante omnia rebus,
Cor sapiens votis compleat vnde bonis.
Proxima deinde viam dicendi monstret ad artes,
Eloquium ratio quæ pietate regat.
Sic mens grata Deo, sic lingua accepta probanti
Verum homini est certo fine datura decus.
Namq; decus verum est, recte sentire, docere
Rectè alios, solum semper amare Deum.

ELEGIA

ELEGIA III.

IN LECTIONEM GEORGICORVM VIRGILII, proposita in Academia Ienensi.



Docta suis numeris versum vincire sonorum,
Iussa Deo primum est auspice Musa loqui.
Scilicet vt memores diuina oracula mentes,
Facunda breuitas grata doceret ope.
Hinc hominum veteres Hebræo carmine Vates,
Pectora de veris erudîre bonis.
Atq; aliquis longo Christum mõstrauit in æuo,
Dum canit ad doctam verba sonora lyram.
Nonne canit viuo facundum numine carmen,
Psaltria de CHRISTO, dicere docta chelys?
Transtulit has dotes ad inanes Græcia nugas,
Docta, sed à vero mens aliena Deo.
Illa orbem nugis cumulat lasciua canoris,
Paucaq; formandis moribus apta dedit,
Et bona si qua dedit, Graijs tractata Camœnis,
Turpiter immundis sunt maculata iocis.
Transijt Ausonias hic mos obscœnus in oras,
Impediens Samij dogmata sancta senis.

Inde alius turpes versu decantat amores,
Bella alius media nocte tegenda canit.
Qui bona naturæ vitæq; salubria tractet,
Rarus in hoc Vates ordine nomen habet.
Sunt alijs aliæ nugæ sua cuiq; libido,
Causſa vagabundi carminis esſe solet.
Solus ob ingenij doctrinam & carminis artem,
Andinus meruit nomina clara Maro.
Perlege mirando Georgica scripta decoro,
Hîc aliquid semper quod mediteris, habes.
Iudicet hæc Momus, vel si quis acutior illo est,
Non aliquod Vatum doctius extat opus.
Dum docet Agricolam cultæ de semine terræ,
Rem facere, & proprio parta labore sequi.
Dum canit hortorum cultus, & pascua campi,
Dum doctas hominum laudibus ornat apes.
Eloquio pariter præstans, & pondere rerum,
Vrbibus & regnis vtile condit opus.
Nam velut auriferas voluit Pactolus arenas,
Nec tantum liquidis pascua mulcet aquis,
Sed quicunq; bibit pulchrè labentis ab vnda
Huic offert radians aurea grana liquor:
Vtile sic docti, variumq; Poëma Maronis,
Dignum aliquid decies ducit vbiq; legi.
Qui legit hic cultæ campestria commoda terræ,
Inde animi pariter quæ bona discat, habet.

Credo

Crede mihi occultum ſpecies hæc cõtinet aurum,
Ruſtica dum magnum, dum profitetur opus.
Non igitur docti decus ille tuebitur vnquam,
Qui non hoc memori mente Poëma tenet.
Adde quod hinc petitur ſapienter norma docẽdi,
Quæ poterat ſtudijs vtilis eſſe tuis.
Namq; vt apis certos delibat ſedula flores,
Inq; vnum redigens ſingula condit opus:
Sic varia è varijs concinnans Muſa Maronis,
Eſſe ſui Iuris, quæ videt apta facit.
Hoc eſt ingenij, decet hoc ſapientis acumen,
Ex alijs phas eſt optima quæq; legi.
Ars tamen accedat, iuſtum quæ vendicet vſum,
Propria qua fieri res aliena queat.
Mille puellarum formas expendere Zeuſis
Dum ſolet, inde vnam concipit arte tamen,
Illius à varia ſic pingit imagine vultum,
Laudis vt excellens auferat vna decus.
Artis idem ſcriptor ſtudium venetur, in æuum
Vt Genium vitæ poſſit habere liber.
Diſce igitur verbis coniungere pondera rerum,
Verba ſine electis rebus inane ſonant.
Sed caueas turpi ne ludat voce voluptas,
De vitijs ſermo nullus honeſtus erit.
Virgineam debent regnantem in pectore mentem,
Scripta boni autoris ſemper habere Ducem.

Quod ſi exempla petes, exempla Poëma Maronis,
Quo canit agricolis rura colenda, dabit,
Hoc tecum repetam, rerum ſtudioſe bonarum,
Semina qui ſolidæ cognitionis amas.
Hic ſimul ingenij exemplum ſcrutatus & artis,
Ingenio, dices, pollet & arte Maro.
Et transferre aliquem pridem conatus ad vſum,
Quæ legis hæc cupidus ter repetita leges.
Interea vires animæ explorare latentes,
Propoſiti maneat cura ſecunda mei.
Quæ ſedes dominæ, quæ cœlo agnata facultas,
Quam propriam cerebri regia celſa tenet.
Huius & hoſpitij quæ lux ſit in arce refulgens,
Qui varios motus ſpiritus intus agat.
Quis radius mentis, diuinæ mentis imago,
A quo ſint vigiles fomite noticiæ.
Tum quo mentis eant, quouè ordine ſenſa ferantur,
Indicio donec ſit ſua parta quies,
Vnde habitus duplices animi, quæ proferat artes,
Quæ ſua virtuti ſemina cauſſa ferat.
Quem Deus opponat finem mortalibus ægris,
Quæ ſit & ante ipſum vita futura Deum.
Hæc ſimul aſſueta iuuet indagare ſub hora,
Hinc operæ precium caſta iuuenta feres.
Fœlix, cui tribuunt faciles hæc ocia Muſæ,
Ad bona quæ curſum vera tenere ſinunt.

Illum

Illum animum è terris ſublatum celſius effert,
Et propius notam munit ad aſtra viam,
Aſſpirat vires, ſucceſſum & viribus addit,
Semper amans, rectè pectora docta Deus.

ELEGIA IIII.

DE CAVSSIS ET VSV LIBERALIVM ARTIVM, PETITVRIS GRADVM MAGISTERIJ IN ARTIBVS PROPOSITA IN ACADEMIA IENENSI.



Mnia qui verbo motum ſpirante creauit,
Omnia qui patrio ſeruat amore Deus,
Hoc orbis ſpacium tribuens mortalibus ægris,
Hoſpitium certi temporis eſſe cupit,
Ex quo vera ſonans autori gloria laudem,
Muniat ad cœli regna beata viam:
In quo grata Deo pactos commercia ciues,
Obſequium caſto iuris amore regat.
Hinc via doctrinæ duplex: quarum altera ſoli
Adſerit hunc cultum, quem probat ipſe, Deo:
Altera diuinæ monſtrat veſtigia mentis,
Quam natura procul continet iſta, parens,

Illa igitur lecti propria est possessio cœtus,
Additus est pura qui tibi Christe fide.
Moribus hæc hominum ciuilibus apta, per artes
Humanis dociles vsibus esse facit.
Ergò vt vita breuis longas exerceat artes,
Et simul imploret casta, colatq; Deum,
Idcirco ingenij meditantis in omnia lumen
Multiplici illustrat cognitione Deus.
Addit & huic varium linguæ et mirabile donũ,
Reddere quæ verbis sensa animata potest.
Quæ si non cnuit delectu prompta voluntas,
Cognitio certo non sine fine subit.
Quin habitus etiam solet & firmata facultas,
Cognita iudicio ceu rudimenta sequi.
Inde artes, vitæ nerui fontesq; bonorum,
Siue domi quæras commoda, siue foris.
Inde etiam accipiens viuax sua semina Virtus,
Vrbibus & regnis seruat in orbe decus.
Sed quibus emergant primis è fontibus artes,
Hoc memor exponens tempore Musa refer.
Adde simul fines, ob quos ita discimus artes,
Improbet offensi ne grauis ira Dei,
Ipse suos nostris impressit mentibus ignes,
Mens sine principio, mens sine fine Deus.
Vnde homo diuini fulgens autoris imago,
Ingenij lumen res capientis habet.

Noticijs q̃ regi discit, studijs q̃ iuuari,
Quæ Deus ad laudem postulat ipse suam.
Nam sua lux cerebro est, ipso cum lumine cœli,
Cognata huic animæ est principis aura comes.
Aura vehens motum, totoq̃ in corpore sensum,
Aura animæ præstans organon atq̃ decus.
Tum radio fulget diuino, & lumine in ipso,
Igniculos viuos mens generosa gerit,
Inchoat his ducibus meditatrix omnia, & altis
E rerum cumulis quodlibet haurit opus.
Obseruat dominam rerum fidissima custos,
Omnia sincerè quæ meminisse potest.
Noticias igitur rerum mens prouida gignit,
Hæ collectæ artis prima Elementa serunt.
Indice nam sensu quæ rerum Idola feruntur,
Arripit, & certus conficit illa modis.
Tum variè inter se rationis acumine voluens,
Singula quæ fuerant, iungere plura potest.
Deinde faces addit, quibus omnis texitur ordo,
Quas habet in promtu semper & in numero.
Sic compressa suis, nec dissilientia metis,
Iudicij gyro non variante tenet.
Ordo parit normas, studium confirmat & vsus,
Hinc habitus caussam quilibet artis habet.
Caussa suum finem vitæ ciuilis ad vsum
Doctrina studium concomitante, regit.

Ergò videns rerum magno in discrimine caussas,
Omnia per caussas mens generosa docet.
Quidquid & est, usu facit experientia notum,
A duce consuescit dum ratione regi.
Nonne vides series quã parua ab origine crescat,
Quæ primis aperit grammata iuncta notis?
At collecta suis cumulans præcepta figuris,
Nascitur hæc alijs artibus vna parens.
At quæ verba docens pleno cumulare palatu,
Eloquij rebus densat & aptat opus,
Illa tibi est genitrix, præstans ô copia fandi,
Quæ sapere & pariter dicere grata potes.
Docta secare dolos, clausumq; euoluere verum,
Huic comes à latere est, nata docere soror,
Quæ nec templa queunt, nec proxima curia tem-
Vlla nec humani forma carere boni. (plis
Quæ numeris aperit secreta volumina rerum,
Officij numerum non habet illa sui.
Quæ variè secto quærit discrimina cyclo,
Mille vias alijs artibus vna dedit.
His velut alatæ per cuncta negocia mentes,
Inueniente viam luce scienter eunt.
Principia è numeris pendent, & lucidus ordo,
Omnibus in rebus quas didicisse decet,
At mensura dedit rerum cum pondere formas
Aptatosq; suo limite scire modos.

Hinc

Hinc ea, quæ numeris ſeriem miſcere ſonorum,
Et mulcere hominum triſtia corda ſolet.
Veteris indicio cycli, qui picta figuras,
Artifici ſculpis qui ſimulachra manu,
Hinc artis rudimenta tuæ, qui molibus altis,
Dædalea fabricans extruis arte domos.
Hinc habet horriſonas ſulcans magnete procel-
Fortunæ miſeras vt regat arte vias. (las,
Hinc habet ignitæ iaculator glandis, vt altas
Longinquum in turres eiaculetur onus.
Quiq; cauis ducit tractas Syphonibus vndas,
Quiq; ſuo ſignans limite caſtra locat.
Ex his quid memorẽ producta mathemata riuis,
Vincere menſuras vtilitate ſuas?
His nec bella queunt, odijs quoq; digna carere,
Nec bona quæ largo pax tenet ampla ſinu,
Cætera vt omittam, poterant quæ plurima dici,
Artibus his noſtris ars minor omnis eget.
Sufficit hinc diues varia inſtrumenta ſupellex,
A quibus artificum pendet alumna manus.
Præteream cœli docilem ſeptemplicis artem,
Ordine quæ vario ſydera mota notat?
Inficias iero motu reuolubilis anni,
Semina naturæ cuncta parentis ali,
Tu, qui ſponte tua ſic ferri ſydera reris,
Prorſus vt effectu vana carere putes,

Videris

Videris euentus certa ratione moueri,
Numinis, & certo non ſine fine, docet.
Nonne dies nobis nunc impendere videmus,
Quos olim ex aſtris præcinuêre ſenes?
Quiq́ extrema trahunt iunctorum vincla malo-
Humanum in terris obruitura genus. (rum,
Namq́ quid infeſto toties ceu fœdere candent
Infausto terris ſydera iuncta loco?
Quid rutilo toties arſerunt crine cometæ,
Et tremuit gemini ianua celſa poli?
Signa vocas, ſunt ſigna quidem ducentia cladem
Turbato quoties ordine turba micant.
„ Ipſe regit motus quos conditor addidit aſtris,
„ Nec caſu æthereos ſic ſinit ire choros.
„ Nec vires adimit, quoties errantia cœlo,
„ Aſtra quaſi in ſynodum iuncta coire ſinit.
„ Sed precibus motus armatos temperat ignes,
„ Irati precibus frangitur ira Dei.
Ergò hæc ſigna decet reuereri vt ſigna futuri,
Adducunt tacitè quod ſimul ipſa, mali.
Sed ſapere hic nimium, ſupraq́ oſtenſa vagari
Indicia, hoc vitij eſt non rationis opus.
Vana ſuperſtitio mores corrumpit & artes,
Hanc caueas curæ qui cupis eſſe Deo.
Qui regit ipſe poteſt mutare & vertere fatum,
Tu modo qui metuis triſtia funde preces.

Fundo

Funde preces, vitaq; Deum meliore verentor,
Placari haud alia vult ratione Deus.
Interea hanc etiam ne neglige sordidus artem,
Quæ motus cœli, syderaq; ipsa notat.
Nam nisi labentis seriem distinxeris anni
Omne premet vitæ nox tenebrosa decus.
Non erit historiæ, non legum certa bonarum
Noticia, in pactis non erit vlla fides.
Lubricus obscuris oberit contractibus error,
Mentibus, haud oculis, ille nocebit iners.
Sed mea reginas rerum quæ prædicat artes,
Musa magis iunctas relligione probat.
Namq; quid & nexus & iunctæ fœdera curæ,
Quid referam alterna mutua iura fide?
Quid memorem obsequium, concordi pace ligatũ,
Militiam exercet quo chorus iste suam?
In commune docent, certant prodesse iuuando,
Vnde etiam nomen libera turba tenent.
Artibus ingenuis debet qui semina rerum,
Naturæ in gremio quærere tecta docet.
Quiq; vagos ægro pellens è corpore morbos,
Prudentem medicæ colligit artis opem.
Artibus ingenuis debet qui moribus vrbes,
Qui docet officijs consilijsq; regi,
Artibus ingenuis debet, qui iura professus,
Litibus accisis pendula corda leuat.

Nec

Nec neget in templis prouincia ſancta docendi,
His acceptum aliquod ſe quoq; ferre decus.
Nam velut arcanis ſociatæ viribus herbæ,
Pharmaca ceu iuncto fœdere mixta ferunt:
Sic ſtudijs promptæ quaſi conſpirantibus artes,
Humanis gaudent conſuluiſſe bonis.
Has quoniam veteres vitæ dixêre magiſtras,
Nomen idem, rectè qui didicêre, ferunt.
Idq; nec immeritò, quoniam tradentibus illis,
Agnoſcit mores vita, regitq; ſuos.
Vendicat & meritum ſibi quæq; profeſsio nomẽ,
Quæ decus à doctis artibus orſa capit.
Credis & hoc nobis, cui nullus in arte Magiſter
Contigit, hic nulla fruge docere poteſt.
His maiora loquor, prior eſt Doctore Magiſter,
Nam benè qui didicit, plenius ille docet.
Sed tamen hic facili qui promouet omnia curſu,
Lucidus oſtenſam muniat ordo viam,
Ordo facem præfert, quæ res illuminat omnes,
Cum facili iungens vtilitate decus.
Nonne vides cultis oculos dum paſcit in hortis,
Vtile conſpicuus præſtet vt ordo decus?
Quintus vbi ſecto diſtinguit limite punctus,
Arboreum numero conueniente nemus.
Vt ſimul vtilitas quæſitum ſuggerat vſum,
Formaq; ſit pulchri digna fauore loci,

Sic

Sic quemcunq; iuuat doctrinæ diuitis vsus,
Qui recta didicit iusta, docetq; via,
Ille salutaris prodest vel millibus vnus,
Et tenet illustrem dignus honore locum.
Obstat amans lucis cæcis erroribus ordo,
Explicat ille animos, nec sinit esse pigros,
Ingenijsq; addit partum virtute fauorem,
Quem grauis inuidiæ vis abolere nequit.
Inde gradus studijs veteres sanxêre decenter,
Absolui numeris & voluêre suis.
Ne decus & nomen ruditas sibi sumeret audax,
Quod studijs merita par erat arte dari.
Excepêre sacræ, quos primo à limine Musæ,
His data prima pari laudis honore fuit,
At quibus accessit doctrinæ robur ab ipsis
Artibus, ingenua quas coluêre fide,
Annulus his datus est meriti ceu testis honoris,
Quem virtute solet ferre probatus eques,
Laudibus hic dignus mos est & iure tuendus,
Tam benè qui custos ordinis esse solet.
Nos quoq; qui paruas profiteri dicimur artes,
Sustinet hic quamuis non leue cursus onus,
Hos quicunq; pio studio meruêre fauorem,
Ornandos titulo ducimus esse suo.
Namq; dari studijs æqualia præmia phas est,
Et probat hoc virtus ense libraq; potens.

Hue

Huc ades ergò bonis qui deditus artibus, apto
Ingenij veras ordine carpis opes,
Qui vaga ſicut apis nemorum per florea Tempe,
Omnia ſic libas, optima vt inde trahas:
Docte tibi, docture alios, inſigne Magiſtri
Qui petis & rectè nomen habere cupis:
Huc ades, & noſtro veniens candore fruare,
Turba ſumus veri qui ſtudioſa boni.
Noſtra tibi Salana patet, tibi laurea ſeruat
Serta, comis texit dum diadema tuis.
Ecce tibi Muſæ libris gratantur apertis,
Quo doceas alios ius erit inde tibi,
Tu modò nobiſcum placido ſermone locutus,
Ordine grata Deo te didiciſſe doce.
Non tibi cũ rigidis lingua eſt acuenda Sophiſtis,
Non amat hic noſter talia monſtra chorus.
Colloquia expetimus collatis mutua rebus,
Quæ careant nigro candida tota ſale.
Hæc eſt vita: frui docto ſermone viciſsim
Dulceq; doctrinæ ſemper amare decus.
Quid iuuat ignoto fortunam quærere Ponto,
Credereq; vndoſæ Thethyi triſte caput?
Quæ vitæ tandem ratio eſt, ſi Nerea totum
Hauſeris, vt dubias nauta ſequaris opes?
Omnia ſi noris tecta ambitioſa potentum,
Et populi vario creber in ore ſones?

Si tibi

Si tibi cum vulgo ſapiendum eſt, nec tibi Muſæ
Optandi complent pectus amore boni?
Ecce bonis denſos nimbos, largitur & imbres
Qui fouet hæc mundi pulchra theatra Deus.
His tamen vt certis poſſimus legibus vti,
Hoc dedit ingenuis artibus autor opus.
Rurſus iô phas ſit ſanctas mihi laudibus artes
Tollere, quas ſapiens carpere nemo poteſt,
Mitibus his ſtudijs naturæ arcana latentis
Agnoſci voluit, conditor ipſe Deus.
Mitibus his ſtudijs leges, artesq; togatæ,
Mitibus his ſtudijs aſpera bella vigent,
Mitibus his ſtudijs, ſancto ſeruitur honori,
Quem probat in Gnati iuſtus amore Deus.
Artibus his ſapiens rerum ſub pondere vincit,
Dum res ingenio conſilioq; gerit.
Artibus his artes vitæ mores q; reguntur,
Et ſuus imperijs iuſtus habetur honos.
Et quiſquam has auſit tumido contemnere faſtu,
Fortunæq; breues pendere pluris opes?
Ito procul noſtris qui præfers artibus artes,
Quæ cumulant falſis pectora cœca bonis.
Si tibi Sarrano menſæ ſternuntur in oſtro,
Aurea ſi varius pocula ſignat onyx,
At tibi decerptæ poſt vltima ſtamina vitæ,
A luxu nullum diuite nomen erit.

Improbitas

Improbitas alios popularis ventilet aurę,
Et temerè ascitus qualibet arte fauor.
At premit à Musis aliena & sordida vitæ
Pœnaq; stulticiæ, gloria falsa subit.
Fœlix qui studijs doctrinæ incumbit, & artes
Ignotas vulgo discere rectus amat.
Et fontem studij numen cœleste veretur,
Et fructum veri semper amore petit.
Non hunc ambitio, non gloria nominis vrit,
Non auri, scelerum mater, auara sitis.
Ingenuum didicit virtute ambire fauorem,
Dumq; facit rectè sat putat esse sibi.
Mente Deum casta patefactum è limine verbi
Nosse studet, iussis & celebrare modis.
Tum sese intuitus, vel paruo in corpore cernit,
Magnũ opus, atq; hominẽ, quid velit esse Deus.
Huius & in rerum quærens vestigia caussis,
Esse Deum iustum munificumq; videt.
Hinc vitæ expendit leges normamq; colendæ
Iusticiæ ex habitu iusta volente probat.
Nec tamen est asper, cõmunem aut durus in vsum,
Sæpè & opem multis quam ferat vnus, habet.
Et licet obscura videatur viuere in vmbra,
Et sibi præferri nomina vana videt.
Non tamen interea, cœlesti à numine spretus,
E terris viuum nomen in astra refert.

Hoc,

Hoc, bona posteritas annorum abeuntibus horis
Excipit, & memori semper honore fouet,
Viuere sic doctos par est, sic nomina docti
Secula post æui mille fluentis habent.
Viuite fœlices dignis in honoribus artes,
Firma sit ô voti spes animosa mei.
Viuite fœlices, qui rectis artibus vltrò,
Saxonici facitis vcia grata Duces.
Tu pacem concede Deus, concede Camænis
Hospitia, & studijs da loca tuta pijs.
Non est pacificæ spes abijcienda salutis,
Artibus his aliquem dum finis esse locum.

ELEGIA V.

PROPOSITA IENAE AD INVITANDOS STVDIOSOS, vt petant gradum Magisterij Philosophici.

AOniæ quondam cessârant currere lymphæ,
Inuidia clausas impediente vas,
Victor ab oppressa rediens cum laude Chymæra,
Damna gemens doluit publica Bellerophon.

Nec mora vectus equo, siccas ter lustrat arenas,
Et redit obstructæ vena perennis aquæ.
Aonias feriens ictu pedis elicit vndas
Impiger audacis Bellerophontis equus,
Ingenuas sapiens sic Princeps excitat artes,
Ocia dum studijs grata fauore facit.
Hinc decus imperijs, hinc sanctæ commoda pacis,
Et bona priuatis publica iuncta fluunt.
Et tibi Bellerophon præstò est Salana dolenti
Castaliam votis tardius ire tuis,
Ocia namq; tibi Princeps qui præbet & vmbram,
A patre qui nomen grande secundus habet,
Nuper vt hus studijs decrescere vidit honorem,
Quæ sapere è rerum cognitione docent:
Emersura dolens venturo damna sub æuo,
Edidit hoc sapiens verba diserta modo.
Non tamen ingenuas sæui pugnamus in artes,
Asserimus soli dum sua verba Deo.
Mentibus excultis linguarum floreat vsus,
Multiplicem quarum vita requirit opem.
Seruet honos artes, fontes quos esse bonorum
Nouimus, exemplo maxime Cyre tuo.
Iura recognoscens, æquarum & semina legum,
Instituat mores vita, regatq; suos.
Sint, hominum medica seruent qui corpora curâ,
Pæonia celebris floreat arte chorus.

Sint

Sint ſua naturam ſcrutantibus ocia Muſis,
Vnde viri laudem mens ſapientis habet,
Inueniat numerus, radius definiat artes,
Omne regat ductu circulus autor opus.
Docta tribunales peragat facundia cauſas,
Munificum celebrent carmina caſta Deum.
Sic ait, excepit vocem Salana fauentis,
Nympha prius fati mœſta dolore ſui.
Et conſiſa Deo, ſtudijs inſtaurat honores,
Quæ bona doctrinæ publica luce regunt,
Huic comes accedens ſpes nuncia læta futuri,
Roborat oſtenſis publica vota bonis.
Ipſe loci Genius, ſolito formoſior, ipſe
Propitium votis numen adeſſe monet.
Numen adeſt certè, tua nam clariſſime Princeps,
His ſtudijs pietas numine ducta fauet.
Eſſe Deo puræ præſtandum mentis amorem,
Eſſe hominum certis iura tuenda bonis:
Tu quoq́ cum noris, vtrumq́ hoc ordine ſeruas,
Inſtituit certa quem ratione Deus.
Cur tamen eſt aliquis, ſtudijs qui demat honorem,
Artibus in vita quæ decus omne regunt?
Hei quantum temerè tibi ſæua calumnia ſumis,
Dum ſtudia hæc, odio, non odioſa grauas,
Nec cauſas penitus nec metas improba monſtras,
Inuidiæ tantum peſte ſuperba tuæ.

Si quis adhuc tamẽ eſt, hic qui diſcrimina quærat
Non erit huic toties dicta referre labor.
Vt Deus omnipotens vero celebretur honore,
Doctrinæ geminam ſanxit in orbe viam:
Altera diuina eſt, qua ſe patefecit, & vnum
In Chriſto docili iuſſit amore coli,
Omnibus hæc propria eſt, paruo quos agmine iun-
Gratuita gaudens pura ſalute fides, (git,
Hæc eadem domina eſt, & rerum maxima Prin-
Quam vitæ debet tota palæſtra ſequi. (ceps,
Nam velut Arctoi ſublimia vertice cœli,
Vertitur Herculeus ſemper ad aſtra lapis:
Sic ſtudia & curæ, ſic vitæ deniq; mores,
Sincera debent à pietate regi.
Altera ciuili ſeruit doctrina ſaluti,
A duce prouenies quæ ratione fluit,
Non inuiſa Deo, niſi quando auerſa, iubentis
Negligit autoris dogmata ſancta ſequi,
Nam quoniam à brutis hominem ratione diremit,
Et radios, artes eruat vnde, dedit,
Inde homini eſt proprium res explorare ſciendo,
Atq; docere alios quæ didiciſſe iuuat.
Hinc iuuat inuentis artes producere cauſis,
Quæ vitæ auxilium præſidiumq; ferant.
Semina virtutum ſcrutari, & amabile morum,
In vitæ officijs, diſtribuiſſe decus.

Viribus

Viribus eloquij fremebundos ducere cœtus,
Crudaq; doctrinæ flectere corda ſono.
Hæc ſtudia, hanc curam vitæ damnare regendæ,
Sæuiciæ eſt iunctus cum ruditate furor.
Obuia cum ferret Phœbo veſtigia Momus,
Omnia qui tetra carpere mente ſolet.
Ecquid habent certi miſeræ, quas prouehis, artes,
Cum mens ſit tenebris obruta ſemper, ait,
Hunc Dux Aonidũ, ſceptro quatiente repellens,
Hinc procul ad coruos inuida peſtis eas.
Aſpice quos ætas Conſultos priſca vocabat,
Quos penes ingenio iura docere fuit,
Quo tamen angustas rationis acumine Leges
Mirificè ex cauſis explicuêre ſuis?
Certius an Iuris fontes aperire latentes,
Verius an dubium ſoluere Mome potes?
Scit Medicus morbi ſcrutando inquirere cauſam,
Quæ facilè optatam cognita monſtrat opem.
Idem etiam ſuccos legit ex adſinibus herbis,
Temperat & docta pharmaca certa manu,
Quid? quod & ante hominis naturam explorat &
Adfectum q; poteſt arte notare locũ? (vſum,
Hæc non Æolias veniunt oblata per auras,
Artibus & ſtudio tale paratur opus.
Tolle igitur medicas, cum iure & legibus artes,
Ecquis erit toto firmus in orbe ſtatus?

Au quia Solares neſcis diſtinguere vires,
Iudice te fallax illius vſus erit?
Dixerat hæc Phœbus: furtim ſe proripit ater
Arbiter, vt viſis fuſtibus anguis abit.
Gratia Phœbe tibi cultis Amaranthon in hortis,
Educat in nomen docta iuuenta tuum.
Hoc caput eſt, recto doctrinæ colligit vſu,
Luce ſui verbi membra recepta, Deus.
Diſcendiq́ probat ſtudium, præſensq́ docendo,
Chriſtiadum caſtis gaudet adeſſe choris.
Et quia nos cœpti velut intra mœnia regni,
Iuſticiæ ciues geſtat alitq́ ſuæ.
Artibus & linguis, per quas diuina doceri
Vox queat, occluſam non ſinit eſſe viam.
Nos operas etiam, quibus erudienda Iuuentus
Gaudeat, aſſiduo ferre labore iuuat.
Et quia fit meritò, vt gradibus lætentur honorũ,
Præmia per certos qui meruêre gradus,
Omnibus his æqua propenſi mente fauemus,
Ingenij faciunt qui documenta ſui.
Candor vtrumq́ facit, meritum teſtatur honorẽ
Propoſitoq́ bonos laudis amore vocat.
Exhibet ædilis ſpectacula publica, & idem
Ferre ſua in circo præmia quemq́ ſinit.
Ergô age Palladias quem ſic ſudaſſe per artes
Iuuit, vt adplauſus ex Helicone petas,

Qui

Qui cupis auditus Romano more probari
Si qua petis puram candida turba togam,
Colloquium accedas nostrum, nomenq; professus,
Ad certum venias iussus adesse diem.
Non tibi Cecropiæ dabitur censura cicadæ,
Itala nec vesti bulla gerenda tuæ,
Si tibi ius alios æqua ratione docendi
Quo nullum est vitæ grandius huius opus.
Discite dum floret cessura laboribus ætas,
O iuuenum studijs dulcibus apte chorus.
Non parit egregius deses ignauia laudes,
Seruitium est ingens ocia pigra sequi.
Aspicis vt liber venetur in aëre Falco,
Cum strepat impura sordidus anser humo.
Sed neq; adhuc rudior, dum cæuet in aëre Nisus,
Ex auibus prædam, qua saturetur, agit:
Nec tu qui studio passim rimaris inepto,
Omnia cum vera, præmia laude feres.
Ordo viam monstret, res vera inuitet amorem,
Sponte sua studium viribus aptat amor.
Accedant per vota preces: sic numen ab alto,
Infœlix studium non sinet esse tuum.
Accipit vt sparsas fraterno à lumine flammas,
Humida natiua Cynthia luce carens:
Gratia sic nostros firmat diuina labores,
Et vigor his studijs à pietate venit.

ELEGIA VI.

DE CALENDARIO

PAVLI EBERI.



Hanc tibi Stigelius muſcoſo mittit ab Ilmo,
Candide Pegaſei fontis Ebere decus.

Hinc, vbi ſepoſitis placato à pectore curis,
Libera per campos ocia ruris agit.
Ocia ſeceſſum feſſis præbentia Muſis,
Ruſtica, ſed veris non inimica bonis.
Obuia nam picti luſtrans miracula campi,
Naturæ intueor dum parientis opus,
Aut mihi planta ſuis numẽ demonſtrat ab herbis,
Præſentemq́ refert quælibet herba Deum.
Aut operis ſeries autorem tota recenſet,
Qui facit, & læto cuncta vigore fouet:
Emicat ex ipſis diuina potentia terris,
Et leuis eſt ceſpes, qui probat eſſe Deum.
Quin ſegetes, animæ decus immortale loquuntur,
Quæ viuum exangui corpore germen agunt.
Sicca ſub inuerſas conduntur ſemina glebas,
In quibus effectus dixeris eſſe nihil,

Hac

Hæc tamen arcano ſurgunt creſcentia motu,
Et robur tacitis viribus aucta gerunt:
Sic quoq; noſtra cauis illata cadauera tumbis,
Accipient viuum glorificata decus,
Merſa prius letho, mox vera inſignia vitæ,
Ante Deum æternæ tempora lucis agent.
Hæc ego populea meditor dum fuſus in vmbra,
Et mihi blandiſonis accinit Ilmus aquis,
Redditur à noſtro mihi littera miſſa Philippo,
Redditur & digitis charta notata tuis.
Vtraq; docta tui memorans monumenta laboris,
De Faſtis adfert nuncia læta tuis.
Ingemui, primum læto mihi carmine ceptum,
Hoc opus, effectum non habuiſſe ſuum.
Mox lætata tuo mihi mens erecta labore,
Addidit auſpicijs candida vota tuis,
I fœlix liber, & dextra prognate Minerua,
Conſpicias Genij tempora longa tui.
Namq; nihil dubito de te doctiſſime Paule,
Lecta ſit hæc veris quin tibi Gaza bonis.
Hoc facit ingenium, facit hoc prudentia rerum,
Qua titulum multis clarior vnus habes.
Quicquid habẽt Graiæ, quicquid monumenta la-
Hiſtoriæ, hoc docto pectore Paule tenes. (tinæ
Adde quòd è ſacris quædam præſtantia rebus,
Extant ingenio publica facta tuo.

Quæ memorant priſcæ Reges & prælia gentis,
Quæ tenet à ſceptro nomen Iuda tuo.
Ergò quòd aſſignas cum geſtis tempora rebus,
Et vitæ ſtudijs vtile pandis opus.
Grata tuum memori nomen ſeruabit in æuo
Fama, ſub extremis non moritura, rogis.
Agnoſcant vtinam quos talia noſſe decebat,
E faſtis ingens prouenit vtilitas.
Cedite, naturæ nullus quos adficit ordo,
Degeneres, ipſi turba odioſa Deo.
Hoc quoq; diuini monumentum inſigne fauoris,
Quo ſibi nos curæ comprobat eſſe Deus,
Diſpoſitum pinxit mirandis æthera flammis,
Quas ſua diuerſo tramite norma vehit,
Non modo vitales vt Sol pater adferat auras,
Matris agat certas humida Luna vices.
In rebus moueant arcanos ſydera fluxus,
Siue ea certa ſuum, ſeu vaga nomen habent:
Verum etiam certas mõſtrent vt temporis horas,
Et ſpacia humanis vſibus apta ferant.
Vnde petat notas ſua per veſtigia metas,
Et rediens certis menſibus annus eat.
Hoc primi obſeruans Heroica temporis ætas,
Immenſum vitæ comperit eſſe decus.
Tunc quoq; iactata vel cum veheretur in arta
Noha, vel ablutam cum renouaret humum:

Credibile

Credibile eſt natis monſtrantem ſydera cœli,
Orta ſub Armenijs aſtra notaſſe iugis.
Sæpè notans ortam ſub vernum Pleiada menſem
Hæc Zephyro dixit lapſa ſequente pluet,
Sæpè Canis tolerans ſub raſtris grandibus æſtum,
Hæc ait eſt noſtris addita pœna malis,
Nec varias tantum ſubiecta in corpora vires,
Apta ſed ad quoduis tempora norat opus.
Currentem obliquo cognorat tramite Solem,
Ducere per certos tempora lapſa gradus.
Palantemq́ vago ſcrutatus lumine Lunam,
Compererat ſpacijs congrua puncta ſuis.
Hinc ſimul annorum metis, numeroq́ reperto,
Doctus ab antiquis geſta tenebat auis.
Vtq́ ſedens patulæ frigente ſub arboris vmbra,
Dictabat ſoboli dogmata ſancta ſuæ,
Arboreo motum monſtrans in cortice Lunæ,
Et Solis geminum ſignificabat iter.
Temporis à primo ſeriem numerabat Adamo,
Sciret vt hiſtorias caſta iuuenta ſuas.
Qualis enim et quantis merſa ignorantia monſtris,
Quanta lues vitæ cæcutientis erat?
Certa niſi ætatum noſſent diſcrimina gentes,
Nulla vetuſtatis ſi monumenta forent?
Tempora cum rebus niſi mens humana teneret,
Conſilijsq́ modum temporis ordo daret.

Neo

Nec disperſa decus diuini Eccleſia cultus,
Publica nec ſociam res retineret opem.
Barbaries mores, ſanctas laſciuia leges,
Saluificam premeret vita prophana fidem.
Nam quia cum ſpreto pugnāt hæc ſecula Chriſto,
Quid facerent ſi non tempora nota forent?
Huc animos orbi dominantes vertite Reges,
Hoc opus à veſtro munere poſcit opem.
Cur cœco mundum cupitis lacerare furore,
Et geritis dubia mutua bella vice?
Quin cœlum inſpicite, & finem perpendite vitæ,
Principis eſt virtus maxima, noſſe Deum.
Noſſe Deum doctrina docet, ſed promouet illam,
Temporis & rerum non dubitata fides.
Cura ſit enormis rectè emendetur vt annus,
Hæc quoq; munifico functio grata Deo eſt.
Quando igitur viua celebrari voce merentur,
Huc operam memori qui pietate ferunt.
Colligis è priſcis quòd idonea tempora faſtis,
Quòd cœlum & cœlo tempora lapſa notas.
Paule tibi referet meritas Eccleſia grates,
Hac etiam ſpeculum quæ videt arte ſuum.
Paule tibi referet meritas Reſpublica grates,
Cui ſuus hoc ſtudio vindice conſtat honos.
Geſta ſuos recolens expendit lector ad annos,
Et mundi hiſtoriam parua tabella refert.

Ille etiam astrorum lapsus obseruat & ortus,
Quæ varias anno dantq; negantq; vices:
Cosmicus Eois cum Sole ascendit ab vndis,
Cosmicus Hesperijs manè notatur aquis.
Emicat Heliacè sydus Sol quando recedit,
Heliacè admoto sydera Sole latent.
Tollitur Acronycho sub vespere sydus in ortu,
Post Solem Acronychus sydera casus agit.
Et cœli mores, & fluxum sydera monstrant,
Temporaq; ad metas cuncta redacta suas.
Nam siue Eoo cum Sole sub axe leuantur,
Siue sub occiduo cardine lapsa cadunt.
Solis ab infuso blandè stimulata vigore,
Exercent vires officiumq; suum.
Adde quod est cœli summis vis insita templis,
Naturam tacita quæ ratione ciet,
Ergò vbi nocturno rorantem Pleiada lapsu,
Arduus ad Veris tempora cardo tenet.
Obseruans timidus pendentem rusticus imbrem,
Sit bonus hic teneris frugibus humor, ait.
Humida natiuum tunc temperat aura calorem,
Concipit & læto terra soluta sinu.
Addunt se socios venti rorantibus alis,
Qui longa madidi flant ab Atlantis aqua.
Inde aër liquidos paßim molleßcit in imbres,
Laxaq; respirans arua recludit ager.

Occidit

Occidit Eous Maia comitatus Orion,
Et fata cœlesti condita spargit aqua,
Tunc benè triticiæ conduntur semina messis,
Cum bibulas implet frigidus humor aquas.
Afflat anhelantem maturis frugibus æstum,
Pressa licet ventis mollibus, orta canis.
Tunc Cererem campis lectam sitientibus æstus
Condit, & aggestas area tundit opes.
Terga sequens Aquilam cœlo leuat aspera Del-
Halcyonis sobolẽ dum maris vnda tenet. (phin,
Tunc exanguis hyems prægnantem frigore terrã
Claudit, vt internus molliat arua calor.
Cynthius Austrino radijs à cardine fractis,
Luce breuem spargit debiliore diem.
Hæc natura ipsi debet discrimina cœlo,
Quod certis vicibus corpora quæq; mouet,
Cætera temporibus posita interualla, perenni
Vnde dies motu, mensis & annus eunt.
Non minus ex ipsis cognosci noueris astris,
Splendida seu veniant, seu tenebrosa cadant.
Commoda si referam, quæ temporis efficit ordo,
Vndisoni fluctus enumerabo freti.
Præcipuè officium res gestas scire volenti,
Historiæ custos temporis ordo facit.
Atq; ingens decus est, & lux pulcherrima vitæ,
Ad certos veterum gesta notare dies.

Hinc

Hinc morum ſpecies vitæq; illuſtris imago,
Hinc vitia, hinc virtus, quo memorẽtur, habẽt.
Certa fidem facient faſtorum exempla tuorum
Paule, per hiſtorias tu quoq; digne cani.

Damna ſuæ immeritus ſuſtentat Scipio laudis,
Qui domuit Lybicæ regna ſuperba plagæ.
Immemores audent illum accuſare Tribuni,
Debita cui meriti gloria ſumma fuit.
Obuia res odijs, quanquam liberrima virtus, ,,
Et benè qui meruit præmia rarus habet. ,,
Inuidia premitur quem nulla infamia tàxat, ,,
Et cui iura fauent vis inimica nocet. ,,
Etiam prodierant variæ certamina famæ,
Iudiciumq; vagæ mobile plebis erat,
Iamq; coronatur falſa grauitate tribunal,
Dicta dies aderat, fictaq; culpa reo.
Ancipites ardens tenet expectatio mentes,
Orbis & argutum complet in vrbe forum.
Vt Leo magnanimus canis inſignis & annis,
Impauido aſtantes aſpicit ore feras:
Sic animum oſtendit vultus grauitate profeſſus
Mente vir, auguſta Scipio fronte, ſenex.
Dumq; reum expectant crudelia roſtra faten-
Non expectato ſic ait ille ſono: (tem,
Hæc eſt illa dies, hæc lux memoranda, Quirites,
Qua mihi pro patria res benè geſta fuit,

Qua

Qua mihi succubuit proiectis Hannibal armis,
Qua fœlix Tyria victor in arce steti.
Quin igitur sacris humiles aduoluimur aris,
Soluimus & meritis debita vota Dijs?
Ipse petam supplex Tarpeij limina templi,
Muneris & grates debitor huius agam.
Commoda cui res est Pietas, comitetur euntem,
Templa Dei insano sint potiora foro.
Dixerat, inuadit trepidam reuerentia plebem,
Et populo in toto vox fuit vna, probo.
Nec mora consensu iunctos firmante fauores,
Progressum sequitur plurima pompa Ducem.
Luxq; viro multo fuit hæc celebratior illa,
Qua victo rediens dona Syphace tulit.
Optime fastorum, fortissime Scipio, custos,
Quàm tibi lux fœlix ista notata fuit.
Sic decet inuidiam vulgi superare furentis,
Nulla sibi rectè conscius arma timet.
Pascere liuor iners odio, saturare furore,
Mors tua, recta Deum facta colentis erunt.
Talibus exemplis clarorum facta virorum,
Qui leget è fastis Paule diserte tuis.
Gaudebit rerum thesauro, atq; indice doctus
Iam totum intenta mente notabit opus,
Heroum capiet mirantem illustris imago,
Et persona suum proferet ampla decus.

Ista

Iste fuit, dicet, veræ virtutis alumnus,
Quàm malè ab antiquis degeneramus auis?
Subdola damnabit versuti facta Lysandri,
Sinceri celebrans omne Cymonis opus.
Sumet ab exemplis, vitæ quod poscit honestus,
Quod rerum ad patriæ postulat vsus opem.
Stabit Aristides sumptis iustissimus armis,
Consilio pariter militiaq; potens.
Quiq; Asiam Europæ medijs venatus in vndis,
Persica laudato reppulit arma dolo.
Quiq; hostem reprimens accepto vulnere victor,
Militiæ pulchra præmia morte tulit.
Sed recitare omnes Heroum ex ordine formas,
Non erat incœptum temporis huius opus.
Ardua sic picti discernens sydera cœli,
Multa videt simili non reputanda modo,
Omnia continui tamen approbat ordine cursus,
Vtileq; ex toto corpore censet opus.
Ergò tuo partum nomen tibi Paule labore,
Obtinet à longa posteritate decus,
Et iam fata tuis aspirant mollia chartis,
Sentit & æternos pagina viua dies.
Adijciunt Musæ lætæ frondentia lauro
Serta, Aganippæi fonte rigata iugi.
Et comes aspirans animam sensumq; libello,
Ætatum genius semina longa trahens.

Quando erit aura meos vt cernat libera fastos?
Quàm miserè hos pressæ cõtegit vmbra specũs?
Amisere suam patriæ cum lumine lucem,
Quando oculum amisit patria mœsta suum.
Vtq́ iacet partus catulorum informis, & ipsum
Formidans nescit sustinuisse diem:
Sic meus iste labor cæca sub mole laborat,
Dum mihi præfixo lumine meta caret.
Sed redeat patriæ decus, & sua gratia Musis,
Et poterit fastis vita redire meis.
Cumq́ tuis forsan Naso mea scripta legentur,
Dum mundi inclinat fessa senecta caput,
Sed nunc Paule tui fœlici sydere fasti,
Docta sub æterno flore per ora volent.
Tempore quo iuncti cœlestis munere vitæ,
Præsentem electi stabimus ante Deum,
Diuinos dulci fastos sermone canemus,
Interea hoc vitæ sustineamus onus.

ELEGIA VII.

IN REPETITIONEM LIBRI DE ANIMA.

Quid-



Vidquid vbiq; vident, oculi, mens,
pectora, sensus,
Quo reliquis solus munere præ-
stat homo.
Monstrat id omne Dei certis vestigia signis,
Artificemq; suum testificatur opus,
Nulla sed vberior tenet admiratio mentes,
Quàm quæ animos animæ de ratione monet.
Esse incorporeum quiddam cum corpore iunctũ,
Res homini dubij plena stuporis erat.
Attamen istud idem summo qui semina cœlo,
Qui rerum in causis semina ducit, homo est.
Vtq; Dei pars est, sic terræ affinis & astris,
Mirandũ hinc pariter constat, & inde genus.
Credis & hoc? omnem tantillo corpore mundum,
Mixturæ varia pro ratione refert.
Fœlices quibus hæc prisco nouisse sub æuo,
Et duce vera Deo cernere cura fuit.
Non ita prolapsi fœdi in genus omne furoris,
Captarunt promptas ad scelus omne vias.
Agnouêre suæ naturæ ab origine fontem,
Et riuos aliquà continuêre fide.
Sordisluo cupidas domuêre in pectore flammas,
Atq; mali caussas erubuere sequi.
Frena voluntatis dominanti consona menti,
Ad nutum autoris composuêre sui.

His triſtes pepulit nebulas à lumine mentis,
Et dedit ingenio vera videre Deus,
Nos mundi feces, nos cœli clauda propago,
Quid dignum humano poſſimus ingenio?
Dum iuuat impuros immittere fontibus apros,
Et laxare lupos ſponte ferocis equi,
Dum nebulis lucem obruimus, cordiſq; venenum,
Ferre per exitium, dulce putamus opus.
Nam quàm noſtra malis deliret moribus ætas,
Ipſa etiam videas ſydera mœſta queri.
Quã ſibi nil ſimile eſt? quã promti labimur omnes
Quò ſua corde latens quemq; Megæra rapit?
Et tamen audemus fraudes fucare Sinonis,
Atq; aliquis vitij quæritur arte color.
Et pulchrè obijcitur diuinis glaucoma pœnis,
Atq; ipſi ſtruitur fraus ſpecioſa Deo,
Ergò volutati prauæ per crimina vitæ,
Huc operam ne ſit, vita probanda, damus.
Et velut infantes infirmo poplite nutant,
Sic titubant animo non ſibi ſtante ſenes.
Ipſa etiam errores animorum regna ſequuntur,
Moribus & cedunt iuſq; piumq; malis.
Publica priuato gignuntur damna veneno,
Et turpes ſequitur curia ſæpè lares.
Quin potius noſtros nobis ſcrutantibus artus
Cura ſit è cauſſis, diſcere quid ſit homo.

Quid

Quid ſit homo, & certo, quid iuſſus debeat vſu,
Hæc ſit vt apta ſibi vita, probata Deo.
Corporis hoc monſtrat pulcherrima machina no-
Atq; animæ triplici vis operoſa modo. (ſtri,
Et licet infirma non omnia mente videmus,
Quæ ſunt diuini ſigna magiſterij:
Attamen vt liquidis in fontibus ora notantur,
Sic cerni vero proxima forma poteſt.
Hac quoq; nos generis lætemur imagine veri,
Quæ ſua ab æterna ſemina mente trahit,
Quodq; deeſt nobis, vt conſpiciamus in illa
Supplice diuinam voce precemur opem.
Noſtra gubernabit ſic dextro pectora motu,
Et reget à vitijs corda aliena Deus.
Suauiter vt iuſſum ferat in commune laborem,
Et colat autorem vita probata Deum.
Hoc ſtudio, doctis hominem pingentia chartis,
Scripta Philippæo pectore nata legam,
Atq; ea ſic repetam, mecum vt ſe noſſe iuuentus
Diſcat, & officium norit vt inde ſuum,

ELEGIA VIII.

SCRIPTA IENAE IN NATALEM SVVM, QVO MORBO grauiſſimo liberatus eſt, Anno 1556.



Xoriare dies auram ſpirante ſerena nam,
Qui prima eſt omnis lucis origo Deo.
Hæc eſt prima dies, decimam quæ tertia Maij,
Pone ſequens cunis fulſit oborta meis.
Feſta erat illa dies, tibi Chriſte dicata Redemptor,
Nominis à titulo nomen adepta tuo.
Grata tuam in templis repetens Eccleſia vocem,
Gaudebat dulci patris amore tui.
Illum hei quis memoret fando? quis cogitet amplũ?
Menſuram numeri non habet ille ſui.
Ipſe ego qui toties ſummo in diſcrimine vitæ,
Exemplo ſubij tetra pericla meo.
Hoc quod adhuc ſpacium conceſſi metior æui,
Munus ab æterni patris amore fero.
Nunc quoq; quod rapida reuocatum à morte nouauit,
Quæ puerum naſci vidit amica dies.
A bonitate Dei ſolius id omne profectum eſt,
Dicere quam poſſum, non numerare queo.
Mortis erã proprias procul hinc detruſus ad vmbras,
Me tuus in vitam Chriſte recepit amor.
Ergò ego non moriar, ſed te ſic vindice viuam,
Laudibus & veris te celebrabo Deus.
Tu ſpacium vitæq; dabis iuſſiq; laboris
Quando meo gratus munere functus ero.

Da calamos, da Musa chelyn, iam carmen vtrisq;
Continuet miti vox mea grata Deo,
Quid mihi barbaries tecum? iam libera Fastos,
Principe vel nullo Musa fauente canat.
Tu modo Christe viã monstra, qui ductor ab ipsa
Morte, tua arsisti me reuocare manu.
Da Deus, vt quid sit bonitas tua, scire laborem,
Quanta sit hæc etenim discere nemo potest.
Amplexusq; tuum tam fonte in diuite verbum,
In nato ponam spemq; fidemq; tuo.
Et discam numerare meæ spacia vltima vitæ,
Et mea in arbitrio claudere fata tuo.

ELEGIA IX.

SCRIPTA AD PAVLVM PRÆTORIVM QVA INTERcedit pro amico Micaele Gut.

Semper in innocuos violenta calumnia mores,
Quæq; bonis omni sæuius angue nocet.
Me quoq; dilecti causſa compellit amici
Hæc tibi vir iusto docte dolore queri.
Candide Prætori, Musarum dulcis amice,
Hæc age Musarum nomine pauca lege,

Lectaq́ cognoscens æquo perpende fauore,
Iudicij causſa est, digna fauore tui,
Ille tuos inter tibi non ignotus amicos,
Cognomen Michaël de bonitate tenens.
Roditur immerito morsu liuoris iniqui,
Criminis & falsi sustinet esse reus.
Obijcitur temerè, quæ nulla probabitur, illi
In benè promeritos lingua proterua viros,
Pressus vt incurrat commoti Principis iram,
Quem, bonus vt debet ciuis, honore colit.
Scilicet hoc turpis gaudere calumnia lusu,
Ex Erebo inuidia nata parente, solet.
Ardescens odio pulchræ virtutis, & ira
Laude viros dignos, labe notare solet.
Sordida sic pulchris insidere floribus audet,
Quæ vario campe terga colore gerit.
Non nisi læta pigræ rodunt frumenta Cicadæ,
Inuolat in nitidas sordida vespa rosas.
Sed tamen vt crocitans furtiua ad pabula cornix,
Indicio capitur proditus ipse suo.
Quisquis es, hunc falsis lacerans rumoribus, oſor,
Infantis propriæ crimine vocis eris.
Namq́ quis officij memor est, studiosius illo,
Quis magis ingenuæ nomina laudis amat.
Quis maiore viris studio præstantibus vnquam
Fauit, & obsequium promtus ad omne fuit.

Et

Et cadat in talem fatuæ lasciuia linguæ,
Ausa etiam summis dicere probra viris.
Non adeò infœlix aduerso est sydere natus,
Vt mala Thersiten mens petulanter agat.
Non ita peruersis assueuit moribus olim,
Vt nequeat linguæ frena tenere suæ.
Cultor vt Aonidum generosas suspicit artes,
Nobile virtutis sic amat ille decus.
Iura Magistratusq́ colit, nec Principis altum,
Iusticiæ sedem, non videt esse thronum
Exhibet huic meritum quem debet ciuis honorem,
Florentemq́ bonis omnibus esse cupit.
Adde quòd vt cuperet lingua petulanter abuti,
Non sineret tali ludere more locus.
Nouit & agnoscit qua se fortuna locarit,
Qua seruire alijs lex statione velit,
Nec tamen exemplis potius quàm iure tucri
Se cupit, & coram iudice poscit agi.
Dicere si causam liceat, nihil amplius optet,
Dum mens censuram iudicis æqua ferat,
Nouit in illustri mansuetos Principe mores,
Iusticiam vigili qui pietate regit.
Non igitur veniam, sed ius à Principe sperans,
Cognosci causam supplice voce petit.
Non metuit iustæ te facto interprete causſæ,
Flagitat hac operam conditione tuam.

Quod petit iniustum non est, succurre petenti,
Laus tibi seruato ciue perennis erit.
Ipse tibi addictus studioq; operaq; fideli,
Perpetuus meriti debitor huius erit.
Interea ad Stygios rabiosa calumnia manes
Prorsus in exitium præcipitata ruat.

ELEGIA X.

SCRIPTA AD VIRVM CLARISSIMVM NICOLAVM Nicolai Grudium consiliarium Imperatoris CAROLI V. semper Augusti.

Sic vbi dulciſonum Philomelæ carmen Acanthis,
Audijt, enerui mutæ rigore tacet,
Et cantus oblita sui meditata canentem,
Esse suum obscura fronde latere putat,
Vt tua miratus numerosis carmina filis
Ducta, meum exosus carmen & ipse fui.
Nam velut ex sese dulces meditata camœnas,
Natiuum resonat Daulias ales opus,
Pauca salutatrix multo dum Pica labore,
Nugari cupido vix bene discit hero:

Sic

Sic quibus ingenij vis est innata valentis,
Nec seruum angustæ mentis acumen obest.
Omnia neglecto promunt effusa labore,
Libera seu placeat, seu pede vincta loqui.
Mœuius Aonias dum siccus anhelat ad vndas,
Infœlix refugæ sollicitator aquæ,
Ingenio pariter Musis acceptus & arte,
Fauce bibit pleno flumina sacra Maro.
Et tibi Pegaseas Grudi doctissime Lymphas
Adfluere, è versu res probat ipsa tuo.
Pieridum spirant dulcem tua carmina fontem,
Musicus eloquij profluit vnde sonus.
Quæ quia Palladiæ socijs comes additus Argûs,
Heroum strepitus inter & arma facis:
Quid faceres vacuis Musarum liber in hortis,
Præstat vbi sapiens ocia docta quies.
Ipse tuos prima cum versus fronte notarem,
Nescio quæ Pitho visa subesse mihi est.
Protinus hic dixi Vates & Apolline dignus,
Et qui carminibus magna sonaret, erat.
Agnoui facili radios è mente micantes,
Vis quibus inueniens omnia docta subest,
Hei miseros, aliquo teretis qui verbere metri,
Esse decus carmen scribere inane, putant.
Quæ vatem generat, mens est, oratio cedat,
Quæ nata in labris, est sine mente, sonus.

Æmulo

Æmula Musagetæ dicens conuicia Phœbo
Inuidia, hos rauco protulit ore sonos,
Ecquid habet laudis, tornato carmina versu
Fundere, & Aonijs verba ligare modis?
Cum tot nugisonos videas stridere Poëtas,
Arida quot muscis vilibus arua scatent,
Quot graculi lapsa portendunt Pleiade Brumam,
Quot timet infestas Palladis ales aues.
Hanc Deus admisso contactam calce repellens,
Increpat, & tali voce locutus, ait.
Non quia sub sacro resonant Helicone Cicadæ,
Inter aues nomen, quo celebrentur, habent.
Nec quia deponunt mellacea sputa crabrones,
Nobilium titulo condecorantur apum.
Nunquam etiam à quouis apis ingeniosa liquorem
Flore, sed è lecto germine, mella legit,
Nec quiuis latices sacras adhibentur ad aras,
Sed quæ de liquido fonte petuntur aquæ.
Gratia Phœbe tibi, nugaces cedite Fuci,
Pegasides sobolem quos fugit esse Iouis.
Ficta quibus turget mendaci gloria lauro,
Omnis & infami carmine charta tumet.
Pascitur vt lento frugalis vitice Cygnus,
Qui Venerem, succi vim reprimentis habet,
Sic bona facundos scrutari & docta Poëtas,
Grata Deo, & vitæ moribus apta decet.

Hoc

Hoc homini positi fines, hoc monstrat imago
Hospitium q̃ animæ fabrica docta monet.
Mens princeps habitat, summa dictator in arce,
Cui vis iuncta volens vt bona posit adest.
His velut à Ducibus quicquid mõstratur honesti,
Arripit, & sensu cor iuuat acre suo.
Inde etiam viuam tenui cum sanguine flammam,
Semita pulmoni spirituosa vehit.
Quam simul admixta nodatam circinat aura
Fistula, & arcana percutit arte larynx.
Plena Magisterio verborum, & mille figuris,
Eloquium mentis nuncia lingua sonat.
Sic oritur sermo, non vt sine munere cordis,
Extremo temerè natus in ore sonet.
Ergò acies mentis tibi quando & gratia linguæ,
A summo pariter sunt data dona Deo.
Laudo quod ad fœdos Musas non cogis amores,
Nec cadit in versus vlla libido tuos,
Laudo quòd Heroum doctis exempla Camœnis,
Exemplo monstras esse canenda tuo.
Nam tua Socraticos referunt monumẽta lepores,
Ludicra nec casto Musa pudore vacat.
Carmen & vt fœlix Phœbæa defluit aura,
Sic abit in versu gratia nuda tuo.
Sic age perge, sacro tibi pridem è flore coronam,
Posteritas famæ texit amica tuæ.

Hæc

Hæc tibi facundi cum littera poſceret Haci,
Non potui numeris diſſimulare meis,
Et quoniam ille tuum mihi cõmemorauit amorẽ,
Te quoq́, ſi tibi ſum non oneroſus, amo.
Seu nox, ſiue dies decurrat, rettulit idem
Eſſe tibi ſemper nomen in ore meum.
Non video tanto cur me digneris amore,
Qui ſcio virtutem præter amare nihil.
Indidit hanc cẽſtum diuina potentia Muſis,
Gluten amicitiæ mentibus eſſe ſolent.
At mihi, ſi ingeniũ eſt, curis hæc tempora fran-
Addictum Muſis poſſit vt eſſe minus. (gunt,
Quicquid id eſſe tamẽ, mihi candida pectora cen-
Huc ſtudeo, vt veris ſeruiat omne bonis. (ſent,
Hoc tibi ſi charus ſum nomine, lætor & opto
Hic nobis placido ſydere duret amor.
Verum age non meritum qui me tibi iungis amis-
Et ſtudij ducis me ratione tuum. (cum,
Fer placidè quodcunq́ rogo, nam peſſima non eſt
Cauſſa, tibi ſupplex qua mea Muſa venit,
Vt comes es Ducibus Pegaſea clarus in Argo,
Ingenio & lingua, carminibusq́ potens:
Sic rogo, quas Orpheus ſibi ſũpſit, ſuſcipe partes,
Hic reſonent Cytharæ fila ſonora tuæ.
Ille homines pariter cantu ſuperosq́ mouebat,
Te cuperem ſuperos flectere poſſe duos.

Da ve-

Da veniam, quod quisq; suo pro principe votis
Postulat, hoc à te, si finis ipse peto.
Mentibus inseuit Deus hunc quoq; mitis amorem,
Quisq; solet patrium ciuis amare Ducem,
Sic ingente nihil quo maius in orbe videmus,
Te fidum æternus Cæsaris vrit amor,
Ecce animo magnus, qui fatum agnoscit acerbum,
Triste vlcus, lustri tempore captus, habet.
Eloquar? an melius suppresso nomine causſam,
Scilicet, hoc duro tempore motus agam?
Non tamen hunc Italus, non auersatur Iberus,
Sæpè huic magnanimi nomen vterq; dedit.
Hic modo, Sidonijs velut errans Teucer in oris,
Exilij patiens fertq; doletq; moram.
Non illi coniunx, soboles non visa tot annos,
Quæ poterant aliquâ triste leuare malum.
Quamq; Deus comitem vitæ, sociamq; laborum
Addidit, illa procul fata seuera dolet.
Orba viro qualis gemit alta turtur ab vlmo,
Et Ialemo complet triste sonante nemus.
Non illi nemorum frondes, non pabula curæ,
Ærumnas lachrymis deuorat ægra suas:
Causſa sit vnde mali, quid versu dicere refert,
Res olim hæc seræ posteritatis erit.
Fregit in Argolica remum Tyrinthius alno,
Non tamen hinc Mycenæ destituêre Duces.

Illum

Illum dura grauj fortuna exercuit vsu,
Grande est Heroum factus at inde decus.
Difficiles armant Heroica pectora casus,
Plurima qui tulerit, doctior esse potest.
Doctus ab euentu, melius formatur ad vsum,
Vt vaga Dulichij monstrat imago Ducis.
Ille sua caussa melius non poscit habere,
Qui patriam expertus multa docere potest,
Si quis est talis, uotis desiderat illum,
Quicquid habet passim mœnia, quicquid ager,
Multa Cymon passus, patrias reuocatus in oras,
Gratior exilij ciuis honore, fuit.
Respicite Heroes, alius quid mentis haberet,
Quem simili traheret sors inimica rota?
Quemlibet hoc poterat tentare, quod accidit illi,
Sed poterant pauci ferre, quod ille tulit,
Nemo potens animi, sibi sumat in exule plausum,
Perpetuum alterno viuitur exilio.
Non gaudet sapiens fatis Aiacis Vlysses,
Ne similem casum tactus & ipse ferat.
Ebria fortuna est, titubat, nec semper eodem
Illius incedit lubrica planta, gradu.
Vota tamen fiunt, placeat magnatibus illud,
Quod capto populi vox bona sæpe dedit.
Quamuis hostis erat, Mithridate Roma putatur,
Parte aliqua, in medio sæpe probasse foro.

Et

Et poterat venia magni victoris amari,
Corporis atq; animi robore magnus homo.
Ipse nisi inuidia, atq; ira stimulatus acerba,
Rupisset vitæ stamina dura suæ.
Non hic impatiens fortunam agnoscit & iram,
Quæ tantas cœli spargit ab arce vices.
Inuictum expectat pacato in Cæsare vultum,
Ære libraq; volens illius esse cupit.
Adfluat ô tantum sibi mitior aura fauoris,
Et patriam propius possit vt esse, petit.
Munus id est cœli, tantũ inclytus annuat Heros,
Quem tremit Europes hic & vbiq; sinus.
Hæc tu duciloquo facundæ munere linguæ,
Orpheaq; potes vota iuuare lyra:
Sume chelyn Vates, Orator & exere vires,
Ne dubita Musas audiet ille tuas.
Quo quisq; est maior, veniæ placatior idem est,
Cæsare nil maius te rogitante dabit.
Fortibus is certè velut est infractus in armis,
Lene cor adserta sic quoq; pace tenet.
Pellæi canitur moderatio nota Monarchæ,
Propicius capto qua tibi Pore fuit.
Victori victoq; tulit clementia fructum,
Persa potens veniam qua tibi Crœse dedit.
Cur eadem non sit generoso in Cæsare virtus,
Qui gestis non est rebus vtroq; minor.

Lenta quid imperij, Germania mole grauatum,
Dum pro te vigilat destituisse voles?
Aurea dum sudat tibi secula condere Cæsar,
Hoc aliqua poteras parte iuuare bonum.
Cur impune furit Christi implacabilis hostis,
Blasphemo Scythicus milite Turca potens.
Et qui non meritos in nos ferus expuit ignes,
Cacus Auentini propria pestis agri.
Huc vertenda fuit socij vis Martia belli
Sic opera pacem conderet ille tua.
Capta sed est oculis, odijsq; immersa nephandis,
Nec sibi quid prosit Teutonis ora videt.
Vos ego per sacros fontes, Heliconia Tempe,
Pierides Musæ, per sacra vestra rogo,
Flectite in excelso placabile Cæsare pectus,
Amissum patriæ reddat vt ille Ducem.
Sed veniet tempus cum magno optauerit emptum,
Teutona quod tellus nunc malè cernit opus.
Sponte pius Cæsar venia dignabitur illum,
Nomen & Heroês inter habere, feret.
Quidquid adhuc clausũ est, in lucẽ proferet ætas,
Signa simultatis nulla manentis erunt.
Tunc procul Oceani pulsis è littore Turcis,
Dulcis in Europa tempora pacis erunt.
Vnanimes Heroês erunt & nobilis Argo,
Phasidis imperio littus vtrumq; premet.

— Tu

Tu mecum interea Grudi, clariſsime Grudi,
Concipere hæc animo candida vota velis,
Eloquioq́ tuo venturæ commoda pacis,
Militiæ ſocijs inſinuare tuæ.
Hinc tua mox faciles alij argumenta ſequentur,
Nemoq́ non vltrò tale probabit opus.
Sed quo Muſa rapit me pacis amore vagantem,
Da veniam, patriam non ſimulanter amo.
Hanc quoniam amiſſo triſtatam lumine ſpecto,
Quod patriæ debent ſingula membra precor.
Viue valeq́ diu Muſisq́ tibiq́ ſuperſtes
Stigeliumq́ tuum quod cupit, eſſe ſine.

ELEGIA XI.

SCRIPTA IN HORTVLVM ILLVSTRISSIMI PRINCIpis, Domini Icannis Friderici, Ducis Saxoniæ, natu minimi.

Nclyta Saxonicæ canitis quæ nomina laudis,
Quâ vehit Aonias Sala Thyringus aquas.
Dicite Pierides, inſignem Principis hortum,
Nobile cui nomen gratia paxq́ dedit.

Tertius illustri qui Principe natus ab illo est,
Quem pia constantem tollit in orbe fides.
Arx iacet Oenagoræ propè mœnia culta vetustæ,
Splendida munificis ædibus, ampla loco.
Arx quondam Augusti sedes Regalis Othonis,
Cum pius Ausonius Cæsar haberet opes.
Salue arx Saxonici meritis celeberrima sceptri,
Quæ decus à longo tempore grande tenes.
Si tamen vt par est, hoc vera fatebimur æuo,
Nobilius nostro tempore nomen habes.
Triste quod exilium pro Christi nomine passus,
Promeruit Princeps nomen in orbe tuus.
Nomen ab antiquis quo nullum Heroibus vnquã,
Verius, atq; ipso pondere maius erit.
Consitus hic frondet florentis Principis hortus,
Qui natu minimus, cor graue magnus habet.
Quid memorẽ arboreum decus atq; herbosa vireta,
Naturæ eximium dixeris esse locum.
Pierides molli ludunt in gramine Musæ,
Iuncta quibus Charitum gratia semper adest,
Iunocuiq; ioci virtutigeniq; lepores,
Et puer, à Musis non alienus amor.
Præcipuè Pietas, quæ vitæ ex sordibus huius,
Ad cœli verum sydera monstrat iter.
Lene fluens Ilmus gemmantes radit arenas,
Et placido nitidas murmure voluit aquas.

Multa

Multa virens arbor ripas complexa decoras,
Alituum præbet castra sonora choris.
Illæ conspicui gaudentes lumine cœli,
Efficiunt dulci pectora læta sono.
Inuitant gelidæ tremulis sub frondibus vmbræ,
Et loca palantum passibus apta pedum.
Quemq́ oculis gratum fecit natura colorem,
Non alio poterat gratior esse loco,
Suauiter vtq́ oculos intrat, sic rursus ab illis,
Abdita per neruos organa mentis adit.
Illius immisso detergit nubila sensu,
Efficit & solito lætius ingenium.
Tramite Dædaleo passim seducit euntem,
In Labyrintheas area flexa vias:
Vna quibus tantũ est aditus via, & exitus vnus,
Qualis erat Theseu qui tua fila tulit.
Dum sedet hic animo puerilibus altior annis,
Saxonicæ Princeps spes generosa domus.
Contemplator opes terræ miratur alentis,
Et summum grato prædicat ore Deum.
Cuius & è minimis maiestas ampla relucet,
Et cessante carens fine paternus amor.
Aut hic aurora lucem referente diurnam,
Commendat precibus facta diurna Deo,
Cum liquor humentes irrorat gemmeus herbas,
Siccior & reducem ventilat aura diem.

Aut vrente diem radiantis lampade Solis,
Frigore per virides captat opaca thoros.
Ocia fallendi rationem dictat honestas,
Et studium virtus nobile iuncta facit.
Nunc ludit pictos sub inermi rege latrones,
Et belli miseras æstimat inde vices.
Nunc tenui escati captantur arundine pisces,
Pendula nunc pedicis pinguibus hæret auis.
Iam iuuat ad summas falconem emittere nubes,
Iam tentare agiles voce monente canes.
Hinc iuuat armatæ studio certare Palæstræ,
Fallere vel missa tempus inane pila.
Impulsum positus nunc annulus excipit orbem,
Nunc plaudit misso dextra trigone manus.
Hæc lusus ratio: Sed quid cum surgit & exit,
Altius humanis mens generosa iocis?
Tunc ciet ingenium mirandis dotibus hortus,
Tunc rerum causas perdidicisse iuuat.
Multa iuuat per se cognoscere, multa rogando,
Dum coit è veris gaza parata bonis,
Cœlestem ostendis vitæ immortalis honorem,
Qui vitreis manans Ilme perennis aquis.
Arrident varijs radiantes floribus herbæ,
Vnde potens lucet magnificusq; Deus.
Ite procul, studium quos anxius vrget habendi,
Cor quibus astrictum liuida cura terit.

At non

At non Cydereo Salomon ſic ſplenduit auro,
Vt roſa natiuis fulget amicta comis.
Quod ſi opifex rerum ſic præſens induit illam,
Quam metit admiſſo quælibet vngue manus.
Quid faciet nobis, qui vitam haurimus ab ipſo,
Et ſacra diuinæ mentis imago ſumus?
Hæc vbi facundi ſic carmina protulit oris,
Pro ſolito promtos poſcit amore libros.
Iam quæ ſit Pietas, quæ ſit ſine crimine Virtus,
Ingenuum docili diſcere mente iuuat.
Iam legit hiſtorias annis puerilibus aptas,
Quærit ab exemplis quod decuiſſe videt.
Miratur teneris priſcos Heroas ab annis,
Miratur gentis nomina clara ſuæ.
Laudibus hinc vehitur teneris animoſus ab annis,
Arripuit celerem quisquis ad alta viam.
Hinc puer arridet Macedo, fœliciter audax,
Dum regere indomitum calcibus audet equum.
Inde Neoclidis generoſa inſomnia plaudit,
Qui malè Miltiadę fixa trophæa tulit,
Herculis ante oculos ludens infantis imago,
Diuinum enecto monſtrat in angue genus.
Nomen Ariſtidis iuſti, placidiq; Cymonis,
Scipiadæq; boni, vix patienter amat.
Principis hæc ſtudia: his mites componere mores,
His animi dotes exacuiſſe ſolet.

Vtq́ ferunt aquilas, & te pulcherrime Falco,
Eniti ex humili semper in astra solo.
Quoq́ queant ipsum propius contingere Solem,
Indolis hoc validas viribus esse magis,
Sic tener, Heroum mirator, in æthera Princeps
Grãde aliquid semper quod meditetur, habet.
Iam simul expugnat formosæ mœnia Troiæ,
Cui turpis cinerum fœmina caussa fuit.
Iam scopulos Hellis, celsaq́ Propontida lustrans,
Militiam recolit Persa superbe tuam.
Iam vehitur Minijs Pegasæa iunctus in Argo,
Et plena auricomæ uellera carpit ouis.
Sed Cynosura alia est, duce qua mare perlegat
Quàm quæ Peliacæ regula nauis erat. (olim,
Semina doctrinæ teneris percepit ab annis,
Quæ iubet æternum nosse, timere Deum.
Hac duce per fatui victor delitia mundi
Ibit, & ô viuat, sic quoq́ magnus erit.
Tu Deus hoc dederis, à te nam fonte perenni,
Vita caduca hominum, vita perennis, abit.
Da longos annos, animum Deus ante dedisti,
Quisquis amat patriam talia vota facit.
Illius ædificas iampridem in pectore templum,
Quo tibi quem mandas exhibeatur honos.
A duce dependet populus, da floreat ille,
Cum caput est saluum, non malè corpus habet.

ELEGIA

ELEGIA XII.

SCRIPTA BERNHARDO ET ERASMO FRATRIbus ſummi viri Eraſmi à Mingkuitz filijs.



Inguiciæ fratres ſuauiſſima germina gentis,
Et ſoboles tanti nomine digna patris.

Diſcite præ reliquis naturæ in corpore rebus,
Vnanimes verum ſemper amare Deum.
Inuitet Pietas, laudati & fama parentis,
Et virtus gemini nota ſub axe poli.
Ille animi dotes Muſarum è munere nactus,
Æterno dignum carmine nomen habet.
Res fractas patriæ generoſo pectore fulcit,
Ingenio ærumnas conſilioq́ leuans.
Hunc igitur ſtudijs imitari aſſueſcite veſtris,
Et pulchra ad verum laude venire decus.
Omnia ſic vobis cumulabit commoda vitæ,
Qui vitæ eſt finis principiumq́ Deus.
Eſt homini pietas, rerum ditiſſima meſſis,
Qui pius eſt veris neſcit egere bonis.

ELEGIA XIII.
IN ECLIPSIN LVNÆ.



Vrpibus hæc pœnas dum moribus attrahit ætas,
Dum sceleris largus regnat vbiq́ furor.

Hei quoties tristes cœlum denunciat iras,
Et veluti gemitu crimina nostra dolet?
Dum vaga discurrunt turbato sydera motu,
Aërius crebro dum micat igne sonus.
Dum faciẽ maculis dum crudo sanguine tinctus,
Sol proprio orbatus lumine lucis eget.
Nequicquam obscura dum Luna laborat in vm-
Incurrens tenebras terra globosa tuas. (bra,
Quid quòd & orbatas cœli per inane cohortes,
Vidimus & vario prælia Marte geri?
Cras quoq́ purpurcam cum Solis linea Phœben
Tanget, & aduersis recta tenebit equis.
Tempore quo vigilans rorantem carmine noctem
In media clapsa parte notabit auis.
Inuoluet captam terræ nox humida Lunam,
Illa fatigatis mœsta dolebit equis.
Atq́ ita pugnabit tetris se euoluere vinclis,
Donec ab Eois Sol erit ortus aquis.

Tum

Tum mœstum Oceani cedens caput inferet vndis,
Atq; abiens populis signa dolenda dabit.
Hæc ne aliquis studio non obseruanda putabit,
An nihil ad terras sydera quicquid habent?
Non ego nunc tanto mihi sumo in turbine rerum,
Dicere venturi nuncia signa mali.
Et tamen in foribus facies certissima rerum est,
Quam cœli adspectus talis adesse monet.
Nonne ita syderei sunt condita lumina cœli,
Vt doceant certis fata futura minis.
Ergô quid ignauos stertendo vincere glires,
Quid tantum terris esse studemus onus?
Tollamus capita, & prope cœli in templa tuentes,
Supplice discamus mente timere Deum.
Pœniteat miseros vitæ tam turpiter actæ,
Sanctius assuescat prouida vita regi.
Diuini cupidas verbi vox personet aures,
Et subeat dulci pectora mota sono.
Hæc vitam Cynosura regat, qui negligit illam,
Naufragus in medijs sponte peribit aquis.

ELEGIA XIIII.

PROPOSITA IN ACADEMIA IENENSI, QVÆ INVITAT discentes ad sedulitatem.

CVM



Vm Deus assiduo formarit tempora motu,
Omnia quo fiant, ordine, tempus habent.
Sic pater omnipotens rebus prospexit agendis,
Duceret alternas certus vt ordo vices.
Quem quia sæpè malo peruertis more Iuuentus,
Quid quereris celerem temporis esse fugam?
Ecce vocant hodiè festæ te gaudia tædæ,
Cur his ante suum tempus adesse voles?
Cur properas? gratam Musis cur negligis horam,
Quæ tamen expediat, quid didicisse, monet.
Quo freno regat & mores & membra voluntas,
Vt ciuile colat candida vita decus.
Vtq; iterum accipiat diuinò à numine vires,
Quæ fuerat proprio saucia facta malo.
Hæc vbicunq; aliquo vitæ versaris in vsu,
Vtile consilijs est meminisse decus.
Des igitur studijs, quod debes, deinde choræis,
Da sua, sed certo tempora clausa modo.
Magna sui præstat pretiosum impendia tempus,
Qui minimum ex illo perdidit, ille sapit.

ELEGIA

ELEGIA XV.

QVAE CONTINET MV-SARVM Εὐλόγιον, IN HORTVM clariſſimi viri D. Eraſmi à Mingk-Witz Cancellarij Illuſtriſſ. Saxon. Ducum.



Vi benè vbiq; Deo ducente mereris
Eraſme.
Non tantum gentis gloria vera tuæ.

Quid bona miraris, lætus quibus hortus abundat,
Quem tibi fœcundis abluit Ilmus aquis.
Reſpice te viui florentem dotibus horti,
In te ipſo veras educat hortus opes.
Vir bonus eſt hortus patriæ, qui largus in omnes,
Quæ bona ſuppeditet, publica ſemper habet.
Hei cur immeritis phas eſt decerpere fructus,
Cur redit ablatis gratia rara bonis?
Tu tamen incolumẽ, Deus adſere mitis Eraſmum,
Hortus vt is patriæ gaudeat eſſe diu.

ELEGIA

ELEGIA XVI.

SCRIPTA AD ERAS-MVM MINGVICIVM Cancellarium.



Vâ vehit Ægoceros proni vestigia Solis,
Atq; hyemem radio languidiore facit.
Iam nouus ingrediens bis denâ per astra relapsus,
E metis renouat lubricus annus iter.
Christe tuis meritis, menses signamus & annos,
Sunt etiam auspicijs debita vota tuis.
Defluat vt fausta fœlix vertigine cœlum,
Tu præstare hominum caussa salusq; potes.
Quò ruimus miseræ postremi temporis vmbræ,
Turpiter & massæ degenerantis onus?
Quò miseras odij glisscentia semina mentes,
A veris rapiunt in mala quæq; bonis?
At morem hunc tenuit fœlicia fata precandi,
Gens quondam à vero longè aliena Deo.
Quàm nos & studio, & caussa meliore decebat,
Concipere auspicijs mutua vota pijs?
Vt Deus extremi demersos sordibus æui,
Dæmonicis pessum non sinat ire dolis.

Sed

Sed regat ad normam diuini pectora verbi,
Vt vera celebrent agnitione Deum.
Aureaq́ vnanimes iungat concordia gentes,
Inq́ Deum læta pace triumphet amor.
Hæc precor eueniant, tantarum in turbine rerũ,
Sub quibus hoc mundi vile laborat onus.
Donec in occursum Christi rapiatur amantis,
Corpore destructo mens animata fide,
Quid precor? insano dum feruent omnia motu,
Dum penè est mundo numen inane Deus.
Ecce fremunt Reges, sæuorum more Leonum,
Cum Ducibus populi surgit in arma furor.
Aspera in immeritã meditantur prælia matrem,
Degeneris nati pignora dura domus.
In lacerum pugnant membra indignantia corpus,
Cum capite horribili viscera peste dolent.
Vis tamen est aliqua non læsi parte vigoris,
Quæ manet vt corpus cunq́ dolenter agat.
Sæpè dolent artus, sibi dum mens integra constat,
Sæpè dolens aliquis pectore corde valet.
Cor sibi delegit morboso in corpore mundi,
Christi aliquod gaudens agmen amore Deus.
Hoc fouet, hoc seruat, licet omnia mẽbra laborẽt,
Deserit hoc nulla fautor & autor ope.
Illius es quoniam tu pars illustris Erasme,
Illius & dici pars quia lætor ego.

Vt no-

Vt nouus optatis tibi curſibus exeat annus,
Per ſua decurrens candidus aſtra, precor,
Vtq; tui partem cœlo Deus intulit alto,
Quando tuæ eſt æuo functa corona domus.
Sic diuina tuæ præſtet ſolatia menti,
Rebus & incolumem te ſinat eſſe tuis.
Laude pio ſimilì viuas cum principe fœlix,
O decus hoc præſens ſumme tuere decus.
Cede pio fidi cum Principe nomen Achatæ,
His virtus animis vera duobus ineſt.
Per mala, per furias, terræq; atq; aëris iram,
Nobilis infracto pectore Saxo ſtetit.
Quando aliquid iuſſus, ſapienti cedere mundo,
Mancipium veri maluit eſſe Dei.
Amplexusq; fide meriti myſteria Chriſti,
Nominis æterni præmia laude tulit.
Hoc animi ingentis robur miratus, in hoſte
Ex odij naſci ſemine cepit amor.
Faxit Io Deus, hoc ſpeclo ſibi cognita tandem,
Emendet mores Teutona terra ſuos.
Te dicente Ducum quos friuolus abſtrahit error,
Ex animis omnes deleat ille faces.
Vt ſopiat miſeras pacata obliuio clades,
Et proprium agnoſcas patria cœca decus,
Interea tanti notus ſub principis alis,
Dum meus in vulgus nititur ire Ioel.

Carmine

Carmine quem nuper cœli decreta loquentem,
Nostra Deo iussit dedita Musa loqui.
Te sibi propicium cupit exorare fauorem,
Præsidio vt tanti nominis ire queat.
Ille sua in nostros migrantia secula mores,
Stulticiæ metam non habuisse dolet.
Impia degeneris mundi sentina senectæ,
Crimina delicti disce dolere tui.
Et conuersa Deo, veniam confide daturo,
Corda geres pura si renouata Fide.
Talia dicentem fortasse hæc negligit ætas,
Ira Dei haud vna quam Babylone premit.
Quidquid erit, liceat quod nunc peto, cætera curet
Quem iuuat adflictis semper adesse Deus.

ELEGIA XVII.

DE ARANEA ET APICVLA MONENS DISCENTIVM cœtus expositos esse Tyrannorum sæuitiæ, cuius vindex ipse Deus est.

REte sub incuruo glomerarat aranea tigno,
Filosum gracili quæ pede ducit opus.

Dumq; notans prædam, vicino è poste requirit,
Et fixos oculos in sua regna tenet.
Nuper ab alueolis fato depulsa maligno,
Fertur in occultæ vincula fraudis apis.
Iamq; dolens hæret, iam poplite plodit & alis,
Et frustra optatam pendula poscit opem.
Non tua me virtus, non me mea crimina perdunt,
Me miseram casus, non mea culpa, facit.
Da veniam, veniam nulla improbitate petenti,
Caussa nisi pietas improbitatis erit.
Mellifico, fati ignorans, operata labori,
Amisso in clades agmine pulsa cado.
Illa suæ gaudens venatrix carcere prædæ,
Innocui ridet vincula mancipij.
Conspicit, explorans dispersum vt colligit agmen
Villicus, & captam liberat vltor apem.
Supplicium subito persoluit aranea letho,
Passa grauem duro sub pede trita necem.
Disce verecundè fortunæ moribus vti,
Quacunq; Imperium quisquis in arce tenes.
Te quoq; qui rerum summa famulante potiris,
Vel breuis in duras merserit hora vices.
Vera homini virtus, rectæ moderatio mentis,
Stare diu incolumis vis violenta nequit.

ELEGIA

ELEGIA XVIII.

FABVLA DE ANDROMEDE.



Fabula narratur quæ rem complexa latentem,
Exempli ſpeciem multa monentis habet.

A ſcopulo pendet monſtris obiecta marinis
Andromede, inſidijs ſæua nouerca tuis.
Hinc variè illudunt horrendis monſtra figuris,
Obijcit anguineum ſæua Meduſa caput.
Nec miſera effugium, nec ſpem videt ægra ſalutis,
Vincta manus clamat ſydera, vincta pedes.
Aligeris donec Ioue natum Perſea plantis,
Induit Atlantis, munit & enſe, nepos.
Ille Meduſæo tingens in ſangnine dextram,
Conijcit in celerem turpia monſtra fugam.
Liberat Andromedē, deſponſamq; accipit Heros,
Sanctaq; coniugij iungit vtrumq; fides.
Sic ea quæ veri dicta eſt à pondere Virtus,
Turpiter hoc noſtro tempore vincta iacet.
Falſa fidem præſtat ſæuæ doctrina nouercæ,
Quæ ſanam ſtabili non ſinit eſſe gradu.
Monſtrorum referunt ſæuæ præſtigia lites,
Quæ pariter numero iudicioq; carent.

Reddit Gorgoneos ſpinoſa ſuperbia vultus,
Quæ pia ſaxifico corda pauore ferit.
Sed deſunt ſimili qui imitentur Perſea facto,
Debuit hæc magnos cura mouere Duces.
Principis ingenui Perſeus Ioue natus imago eſt,
Quæ patriæ à monſtris ritè cauere docet.
Ætherea tales à Maieſtate iuuari,
Significant alæ Pleiade nate tuæ.
O aliquis venietis noſtro quoq; tempore Perſeus,
Talia diuina monſtra repellat ope.
Principis eſt, certè ſua ſtent vt pondera vero,
Stet ſoli vt Pietas officioſa Deo.
Sic ſua ciuilis ſunt integra munia vitæ,
Sic dátur æterno gloria vera Deo.

ELEGIA XIX.

SCRIPTA AD MAVRI-CIVM BRANTVM, NEOBERgenſem, qua donat Maronis Poëma.

Onijs cultor fœliciter addite Muſis,
Maurici & patri ſpes operoſa tuo.
Hæc tibi Stigelius dono monumenta Maronis,
Indolis oblector qui bonitate tuæ.

Monſtrat,

Monstrat, vt in speculo sapiens Æneidos author,
Efficiat virtus quale togata decùs.
Voluitur Æneas vario discrimine rerum,
Dum vulgus Phrygiæ ducit inerme fugæ.
Coniugis & sobolis generoso adfectus amore,
Officij laudes eius & huius habet.
Nec curam comitum studio cessante remittit,
Quos habet exilij conscia membra sui,
Excubat, & numen precibus reuerenter adorat,
Fortunæq; dolos prouidus arte cauet.
Fert animo magno non exorabile fatum,
Et ducente timet nulla pericla Deo.
Et sacra quæ statuit sinceris legibus ornat,
Et leges alijs quas facit ipse colit.
Nec piget instanti dextram admouisse labori,
Agminis auspicium totius vnus habet:
Sic decet esse virum, populos seu lege gubernet,
Siue domi teneat sceptra minora suæ.
Et Ducis & patris specimen laudabile monstrat,
Nomen ab Ænea cui Maro fecit opus.
Hinc igitur poteris quæ sit cognoscere virtus,
Et vitæ ratio quæ sit habenda tuæ.
Quod si etiam addideris veri præcepta timoris,
Quem iubet æterni vox patefacta Dei.
Iam via te excepit, quæ noto libera cœlo,
E terris hominum ducit ad astra genus.

ELEGIA XX.

PROPOSITA IENAE QVA AD ELOQVENTIam Studiosos inuitat.



T quando aërij nactæ iuga libera campi,
Deserto profugæ rure vagantur apes?
Dulcibus impulsi reuocatas ictibus æris,
Ad suæ continuò castra redire iuuat.
Tum repetunt operas, & cærea texta retractat,
Quælibet officij gaudet amore sui:
Sic quoq; decerptæ post ocia libera vitis,
Post fusa, & positis musta recepta cadis.
Cum satis hic genio dederis, dulciq; Lyæo,
Alueolos repetas casta iuuenta tuos.
Nos quoq; florilegum reuocent exemplа volucrũ,
Namq; sumus Christi mellificantis apes.
Quæ legimus flores diuini è numinis hortis,
Germinaq; Aonijs carpta fouemus aquis.
Apta Deo gratam seruent vt pabula vitam,
Quæ semel acceptos nos facit esse Deo.
Ergò ades et cultæ redolens modulamina linguæ,
Disce Periclæo verba lepore loqui.

Aurea

Aurea dulciloquo plantantem verba palato,
More ſuo tecum fer Cicerona loqui.
Eius & ingenuos dicendo imitare lepores,
Ferrea quæ motu flectere corda queunt.
Ipſe etiam toties, animoq́ vſuq́ peritus,
Se niſi cum Muſis viuere poſſe negat.
Quid tibi præſtandum? facundæ munere linguæ,
Spargere quem Chriſti nomen in orbe decet.
Scire Deo gratos, alijs quoq́ tradere fines,
Officium eſt hominis, præcipuumq́ decus.
Qui negat hos tradi linguæ ſine flumine poſſe,
Barbarus irato ſit precor ille Deo.

ELEGIA XXI.

PROPOSITA IENAE CVM ENARRARET DOCTRInam de ſenſu Odoris.

Hinc animæ varios quæ vis rimetur odores,
Diſcere nos etiam culta iuuenta iuuat.
Non operæ precium eſt nullum, quo tale mouemur
Propoſitum, fructum res habet iſta ſuum.
Aëre viuit homo, ſed ab aëre manat odoris
Gratia, ſic aliqua viuit odoris ope.

Mulcet odor cerebrum, de quo ceu fonte perenni,
Omnis abit ſenſus motus et omnis abit.
Multa nocent & multa iuuant, quæ ſingula lu-
Cu gustu explorans omnia frater odor. (ſtrat,
Ergò datus ſpeculator odor diſcrimina ſeruat,
Ad bona quæ certo noxia fine notant.
Aſpicis oblatas ouis vt faſtidiat herbas,
Suſpectas memori quas facit haustus odor.
At matrem agnoſcit multis è millibus agnus,
Hoc quoq; ab officio munus odoris habet.
Vtilitas igitur primum, dehinc gratia nobis,
Hoc ſtudium dignum cognitione facit.
Res etenim mira eſt, ſpirante calentia maſſa
Corpora ſic hominum ſuauiter afficere.
Aëreum ſparsit vis terræ agnata vaporem,
Cum tacito humorem ſuſtinet igne coqui.
Ille vbi per medium ſe purior aëra fudit,
Qua caua per nares eſt via, carpit iter.
Attractusq; aura per aperta foramina pergens,
In cerebri thalamos anterioris abit.
Acceptum aſſimilat ſibi Spiritus intus, & ipſi
Iucundum cerebro lætificumq; facit.
Ite procul, molles qui ſic miſcetis odores,
Vt foueant luxus putre fluentis opus.
Vnguentoſa quibus per veſtes, perq; capillos,
India cum madida Perſide tota fluit.

Non

Non hic finis erat ſtudij quod cenſet odores,
Optimus eſt veræ cognitionis Odor.
Fœlices veteres: quos iuuit ſimplice naſo,
Eſſe homines, temerè quicq; oluêre nihil.
Illis gratus odor, non qui de Pyxide fumat,
Sed quem de medijs gratia reddit agris.
Qualem flaua facit maturis meſſis ariſtis,
Aut vbi Nectareo vinea flore viret.
Hoc nouêre animis ſolamen, & omnia dantem
Aſſuerunt caſta mente timere Deum.
Nos quoq; per cauſſas autorem agnoſcere rerum,
Hinc dignum ingenijs eſſe ſciamus opus.

ELEGIA XXII.

PROPOSITA IN ACADEMIA IENENSI DE ſenſu ſaporis.

Nunc & odoratos quæ vis animata ſapores
Cenſeat, indicio pauca notante canam.
Tu quicunq; mihi non duras arrigis aures,
Hæc quoq; digna hominis cognitione ſcias:
Seminibus mixtæ quæ gignunt omnia vires,
Principium in ſeipſis omne ſaporis habent.

Namq; ea vis ſucci, quæ miti expreſſa calore,
Humida terreſtris rore vigoris abit.
Cum veniens bibulam mutat percepta ſaliuam,
Dicitur à neruis aſſimulata ſapor.
Nonne vides ſummæ tacta vix cuſpide linguæ,
In latus vt ſparſus diffluat omne liquor.
Ipſi etenim exiles tenui propagine nerui,
In linguam veluti retia tenſa cadunt.
Hic ſimul vt ſucci rorem mediamq; ſaliuam
Alterat, in neruis vis animata fluens.
Cenſuram peragit ſenſus, ſpecieſq; ſaporum
Quaſlibet, effectus à ratione notat.
Cur etenim varient, varia eſt decoctio ſicci
Cauſſa, per humorem prouenit vnde ſapor.
Cauſſa etiam eſt neruos mutans totumq; palatum,
Excedens vitio miſta ſaliua modum.
Quale ſapit rigida cui ſudat febre palatum,
Omnia cui dulcis reddit amara ſapor.
Nã quia multiplices ſunt linguæ in corpore ner-
Et ſimile ad ſimilis ſemper anhelat opem. (ui,
Certè illi vt variant patiendo, ſic quoq; guſtus
Obuia diuerſo cuncta ſapore legit.
Hinc omnes fines diſcernit lingua ſaporum,
Quæ varium ad cerebrum callida nouit iter.
Sed labor eſt ingens, certas diſtinguere formas,
Sæpè tamen fines lingua notare poteſt.

Contrahit

Contrahit, exiccat, denſatq́, aſtringit acerbus,
Namq́ ortum ex craſſo frigore, tardus habet.
Vt pyra, ſylueſtres nondum matura per agros,
Dulce minus ſapiunt, ſunt ſed acerba magis.
Lenior Auſterus, multoq́ remiſſior illo,
Plus vdi in ſicco plusq́ caloris habet.
Ergò leui tentans, ſummam prurigine linguam,
Stringentis leuiter vim rationis habet,
Vt ſi quando bibas cyatis ſylueſtria vina,
E dumis fundit qualia Sala tibi.
Nam quales medijs latices in vallibus edat,
Iena ferax, docto quis ſatis ore canat?
Hinc ſimul Aonio cum fonte, liquentia vina
Doctrinæ riuos lætitiæq́ trahunt.
Cætera deſiderantur.

ELEGIA XXIII.
IN LIBRVM DE *ANIMA.*

Proprijs hominem ſcrutando euoluere cauſsis,
Et poſito inuentum ſine videre decus.
Grande operæ pretium eſt, omnes quod protulit
Præſidio vitæ, quas iubet eſſe Deus. (artes,

Nonne

Nonne potens numeris memori vis insita menti,
Mille etiam est fœlix artibus vna parens.
Computat hæc animo, studio quod proficit vsus,
Et studium vitæ totius omne fouet.
Docta sonos numeris miscere, & pandere voces,
Efficit Harmonicis murmura blanda modis.
Quin etiam dulci modulamine cármina pangens,
E numeris caussam blanda Poësis habet.
Nec negat acceptum numeris se ferre disertus,
Pectora quod largo quælibet ore trahit.
Nonne etium ingenij scintillæ è luce micantes,
Principijs statuunt dogmata firma suis?
Cogere quæ potius, quàm persuadere videntur,
Dum mens propositi sponte rogata probat.
Inde mouens moles & corpora limite signans,
Ars fuit immensi nata magistra boni.
Quæ simul ac radio est vacuas ingressa per auras,
Vel cœlum totis orbibus omne notat.
Vsa oculis & luce simul spacijsq; locorum,
Constituit dotes Optica docta tuas.
Et docet ingenio, quidquid fabricatur & arte,
Quidquid agit fabri promta ministra manus.
Omnis ab his geminis, ars nata parentibus, omne
Docta comes vitæ, per genus huius, abit.
Ex homine aspectus variarum in corpora rerum,
Progrediens notas sensibus esse facit.

Ex

Ex homine in rerum occultas ſcrutatio cauſſas,
Intima naturæ cernere mente docet.
Ex homine ardeſcens diuini agitatio motus,
Quæ mentem fugiunt abdita, luce videt.

ELEGIA XXIIII.

SCRIPTA AD BARTOLOMEVM AMANtium Iurisconſultum.



Ic hominum varijs iactatur vita procellis,
Fertur vt in medio paruula cymba freto,
Vela fatigantes implent turgentia curæ,
Vixq; tenet mali vincula lapſa labor.
Inſidiæ miſcet fluctus, vis horrida ventis:
Sæpè etiam totas ſubruit illa rates.
Sæpè inhibent curſus, æquo prælata poteſtas,
Exitio puppim remigiumq; dedit.
Quid? quoties tremulum tentant ſubuertere ma-
Hinc odia, hinc rixæ, verſicolorq; dolus. (lũ,
Quod ſi etiam remis inſederis aulice Caſtor,
Arguerem certa fulmen adeſſe nota.
Interea ducens dubium mens nauita clauum,
Fertur Vlyſſæa per vada cæca via.

Sed

Sed tamen alata est, vnum hoc lætemur Amanti,
Perpetuus non est quem subit illa labor.
Quæ sibi si recti, si iustæ conscia vitæ est,
Ad cæli ex ipsis euolat astra malis.

ELEGIA XXV.

SCRIPTA AD IOANNEM SCHROTERVM MEDICVM, iturum ad Imperatorem Ferdinandum, et petiturum Priuilegia Academiæ Ienensis.

Grata relaturus Salanis ocia Musis,
Per loca dante redi tuta Schrõtere Deo.
Offerat hospicij pugnax ius omne Nariscus,
Præbeat optatum sylua Bacenis iter.
Incolumis densas Sudetum traijce syluas,
Incolumi præstet terra Moraua fidem.
Mœnia contigeris munitæ pulchra Viennæ,
Arx vbi Romanum regia nomen habet.
Illustrem poteris Musarum nomine Regem,
Aut tali, aut simili carmine, suspicere.
Saluc animi rex aucte bonis gratissime Musis,
Dante Deo ingenijs quæ bona vera fouent.

Vt tua præstantes superat sapientia Reges,
Vt tua non falsum gloria nomen habet:
Sic dignum te Rege facis, quòd honesta tueris
Hæc studia, à Musis quæ graue nomen habẽt.
Dona Dei Musæ, rectas mortalibus artes
Suppeditant, vitæ profluit vnde decus.
Tu sanctas alto custodis tempore Musas,
Distribuant regnis vt sua dona tuis.
Hinc decus Eloquij florens, artesq; togatæ,
Imperium exornant, hîc & vbiq; tuum.
Ecce Duces fratres, quos Saxonis ora veretur,
Pars sunt imperij non onerosa tui.
Annue ius, sacras ad se reuocantibus artes,
Non inuitus auus quod dedit ante tuus.
Pace tua fas sit tractare fideliter artes,
Quà vetus ad Salæ Iena fluenta iacet.
Iampridem hanc sedem Genio Salana benigno
Deligit, Aonijs hospita facta choris.
Et conata sacris Charites coniungere Musis,
Auspicij gaudet ludere certa tui.
Iampridem hunc fructum diuersas edit in oras,
Docta piè verum vox celebrare Deum.
Dux studij est Pietas, artes candore docentur,
A studijs fucus dulcibus omnis abest.
Est procul à nostris rabiosa calumnia Musis,
Dulce decus veri simplicitate placet.

Hinc

Hinc quoq; te merito tantum veneramur honore,
Quantus es ingenio, quantus amore Dei.
Et tibi lætamur ſtudiumq; fidemq; probari,
Quem partum è ſtudijs ſcimus amare decus.
Et tibi, quem doctus non auerſatur Apollo,
Stigelius gratum carmine condet opus.
Ille Deo primas, Heroibus ille ſecundas
Annumerans, verſu teq; Deumq; canit.
Sis bonus & fœlix, ſtudijs florentibus auctor,
Inde quoq; æterna præmia laude feres.
Et tua poſteritas recolens Encomia noſtra,
In cœlum ante omnes te quoq; voce feret.
Ipſe tuas laudes celebrans Germania, dicet,
Auſpicio cœpit Iena docere tuo.
Larga tibi ex ipſa dabit incrementa Sione,
Imperij, vnde ſalus eſt reparata, Deus.
Hæc tibi tentanti facundia dicere lingua
Annuet, & pleno ſigna fauore dabit.
Euentu gaudens, ad nos fœlice redibis,
Et decus ex meriti nomine grande feres.
Hanc aurora diem, fauſto maturet vt ortu,
In reditum faciam debita vota tuum.
Interea abſentis poſſim vt meminiſſe ſodalis,
Mitte mihi artificis grandis, Albacis opus.
Quod docet optatam fabricis rationibus artem,
Quàm variè ex oculo linea ducta facit.

Sic

Sic abeas fœlix, redeas fœlicior opto,
Constet amicitiæ fœdus vtrinq; Vale.

ELEGIA XXVI.

DE SVA PATRIA.



Ota mihi patria est, flauis vberrima campis,
Hei mihi, cur campos præferat ingenijs.
Non tamen ipse animis male me sapientibus æquo,
Sat mihi, dum patriæ sum bona fama meæ.
Ingenuas aliquâ sum Musas laude secutus,
His propè quam patriæ notior ante meæ.
Parte aliqua debent, mihi se debere fateri
Certe aliqui, ingenio qui meruêre decus.
Ac poteram ipse etiam claras volitare per aulas,
Ni mihi Musarum gratior vmbra foret.
Nam quoniam hoc æuum passim malus abstulit
Et misi qui spirat grandia, nemo sapit. (error,
Me iuuat Aonia vitam traducere in vmbra,
Quâ diuina sacris fontibus antra sonant.
Quâ procul abiecto Pietas syncera cothurno,
Non renuit Musis dulcibus esse comes.
Quâ sonat è celso verbi vox edita cœlo,
Viuere quæ vera corda salute facit.

Hæc etiam, vivat modò Princeps, sede morabor,
Cum quo omne hoc patriæ stat̃q; cadit̃q; decus.
Quod si me alta quies vitæ traducat agresti,
Et possim proprij ruris amore frui.
Sic ego sancta docens florentem oracula prolem,
Optarim fieri cum ratione senex.

ELEGIA XXVII.

CONSOLATORIA SCRIPTA AD ILLVSTREM DOMINAM Catharinam Ducem Hennenbergensem, Illustris & generosi D. D. Heinrici Comitis à Schwartzburg &c. Coniugem.

SI mihi nunc Phrygij contingeret optio Regis,
Si voti arbitrium quod Phaëtontis erat.
Non ego cœlestes optem frenare iugales,
Aurea nec iactu reddere saxa velim.
Clara Ducum soboles Catharina insignia quorũ,
Et decet & meritò peruigil ornat auis.
Quorum nobilitas de stirpibus orta Quiritum,
Traxit ab Ausonijs nobile nomen auis.
Crede mihi patriæ quæ pro te concipit ardor,
Hæc etiam ex animo vota iuuare velit.

Ille

Ille tuus postquam functus vitalibus auris,
E terris Princeps funere raptus erat.
Sic tecum doluit, sic aspera funera fleuit,
Vt sit vix aliquem visa tenere modum.
Nunc tibi cum videat spem pignoris esse relictam,
Et patriæ totum non obijsse patrem.
Quando optata instent maturi tempora partus,
Sustinet ex aliqua cedere parte dolor.
Spe sua damna leuat, spe mitigat illa dolorem,
Speq́ putat certum, quod dubitare potest.
Coniugis vlcisci nato te pignore mortem,
Quod tecum seruet sceptra paterna, cupit.
Vt parias Dominum, Domini post fata mariti,
Concipit assiduas per sua vota preces.
Cumq́ legat priscis tot retro annalibus annos,
Per quos ad Geram floruit iste Leo.
Cum clara Heroum numeret monumenta suorum,
Et vetus hos norit Cæsareumq́ genus.
Quantum oneris populo mutatio Principis addat.
Nouit, & externum respuit illa iugum,
Illa beata potest merito Respublica dici,
Plebis vbi in Dominos tam pius extat amor.
Hoc patriæ studium, fœlix vbi nunciat omen,
Numine consensus non caret iste suo.
Adde quod & pietas laudataq́ vita mariti,
Inuidia quam solam mors abolere nequit.

Et tua, quæ peperit nomen tibi nobile, virtus
Auget, & hanc patriæ ſpe iubet eſſe rata.
At tu naturæ tacitæ inuiſibile munus,
Quidquid es, ô ueteri dulce tumentis onus.
Pro te iuſta preces genitrix perſoluit ad aras.
Aſſerat ut populis debita ſceptra ſuis,
Pro te ſancta facit deuotus uota ſacerdos,
Et fundit cupidas patria tota preces.
Te pius Aſtrologus certis prædicit ab aſtris,
Et canit in cunas omina læta tuas.
Naſcere magne puer, niſi te natura precanti
Inuidet, & patriæ tota maligna negat.
Fœlix illa dies niueoq; notanda lapillo,
Quam tibi natalem ſtella benigna dabit.
Quâ dabitur celebris Thuringa per oppida plau-
Geraq; tranquillis purior ibit aquis. ſus,
Tunc ego me totum Parnaſſum in pectore ferre,
Tunc ego me inuictum verſibus eſſe velim.
Non tamen omittam tua dicere nomina, quamuis
Non Hippocrenes, poto ſed Albis aquas,
Interea ut properet ueniens aurora precabor,
Hanc ſecum roſeo, quæ uehat axe, diem.

ELEGIA

ELEGIA XXVIII.

SCRIPTA AD OTHONEM BELLINCOVIVM abeuntem in Italiam.



Vi lucem teneris inſeuit mentibus author,
Quæ ſenſu ſapiens & ratione viget,
Huuc etiam aſperſit radium, qui limite certo,
A vitijs recti ſeparat omne decus.
Inde boni pariter doctrina eluxit, & æqui,
Quæ procul è riuis ducta duobus abit.
Inde datæ populis, ſapientum inuentio, leges.
Quæ ſociant hominum vincula ſancta genus.
Ipſaq́ perpetui virtus ſyncera vigoris,
Quæ ſolet ex æquo ius dare cuiq́ ſuum.
Huius Otho, cum ſis ſyncerus candide cultor,
I bene quo curſus te ſuus iſte vocat.
Italiam fœlix accede, vbi iura docentes,
Ipſius Aſtrææ numen habere putes.
Collectisq́ bonis, quæ nullum deleat æuum,
In patriæ facili commoda mente, redi,
O quantum decus eſt, tali Ius dicere norma,
Autorem Iuris conſtet vt eſſe Deum.

ELEGIA XXIX.

SCRIPTA AD BOCERVM POETAM QVA IPSVM INTER AMICOS NUMERAT.



Valis ab extremo nemorum venit aura recessu,
Quæ tibi triste leuat fesse viator iter:
Tale mihi variè, quem dura negocia versant,
Arctoo veniens carmen ab axe tuum.
Sic in amara cadens pascentis gramina roris,
Tacta liquor dulci grata sapore facit:
Vt mihi lenito macerati vulnere cordis,
Ocia cum Musis rursus amœna facis.
Agnoui flores viridi ex Helicone petitos,
Agnoui Aoniam Bellerophontis aquam.
Sed quòd amicitiam facundo carmine poscis,
Et gregis in numero quòd cupis esse mei.
Ingenijs tentas exemplum hoc tempore rarum,
Dum vitij sequitur semina quisq; sui.
Heu pudet, & dolor est tandem puduisse videri,
Vilis apud doctos fructus amicitiæ est.
Poma legunt auidi Nemesis quæ spargit Erisq;,
Quos placida felix pace decebat amor.

Dicite

Dicite quæ laus est, bello committere Musas?
Ad benè viuendum sicne docebis iter?
Quos iuuat ingenijs certare odijsq; superbis,
Exilium studijs & sibi triste ferunt.
Hinc duplices animi, candorq; nigredine tinctus,
Pondus amicitiæ non sinit esse suum.
Interea proprio vitium cum vulnere pugnat,
Dissidiumq; sequi proxima damnà solent.
Sic vbi diuersæ currum rapuêre quadrigæ,
Turbato infœlix ordine cursus abit.
Remige cum numerum cepit turbante relabi,
Icta facit tutum non benè puppis iter.
Nonne fuit satius ceruorum more pauentum,
Mutua per densas iungere terga niues.
Atq; ita ceu facto brumales agmine nymbos
Excipere, & iunctis ad mala stare globis?
Tu caussas animo melius finesq; reuolue,
Corda recens quorum nomine iungit amor.
Est aliquid simili studioum lege teneri,
Quæ similes etiam moribus esse facit.
Plus tamen hoc certè est, virtutis amore moueri,
Vt sit amicitiæ nomine firma fides.
Hæc amat, hæc redamat, laudũ ceu præmia cap-
Quæ patriã norit, quæ celebrare Deum. (tam,
Tu quoq; virtutis studijsq; exculte Bocere,
Hac ratione mihi iunctior esse cupis.

In tua paciſcor læto commercia vultu,
Talia cum ſapias, tu quoq; noſter eris.
Hunc diuina comes viuendi gratia morem
Adiuuat, hoc præſens larga tuetur opus.
Cum ſtudia Aonidum vero exercentur amore,
Ordineq; officium quisq; decente facit.
Quo decet in ſtudijs animo verſemur amici,
Quisq; ſuum memores & faciamus opus.
Quem iuuat enormi vitam traducere curſu,
Curret vt in dubio tramite claudus equus.
Iam caſum fortuna trahet, tu noſtra guberna,
Vt tibi præſtetur gloria facta, Deus.

ELEGIA XXX.

SCRIPTA AD HEINRICVM CHRANCHFELDT, QVA DENEgat ipſi laborem correctionis Epicedij, Scripti in obitum Alberti Comitis Mansfeldenſis.

Scribis, vt emendem ducta tua carmina lima,
Carmina, quæ Comitis fata ſuprema dolent.
Difficile eſt, quod amice iubes, quia carmina debent,
Natiuum proprij floris habere decus. Cernis

Cernis, vt inductus deformet corpora fucus,
Pingat vt innatus rectius ora color.
Mens etiam partes agilis dum fertur in omnes,
Inueniens proprium rectius ornat opus.
Nec videt accedens censor, quod viderat author,
~~Iudicij est ampli, scribere carmen, opus.~~
Adde quod vt cupiam, ratio mihi temporis obstat,
Nec mihi cum Musis ocia, sæua facit.
Nostra per aduersos iactatur vita labores,
Extraho pistrini dum iuga trita mei.
Exigis, vt saltet dura sub compede fossor,
Mersus & in medijs nauita cantet aquis.
Versibus an curis videor tibi posse vacare,
Dum gero non vnum temporis huius onus?
Des licet, ingenuis animum mihi viribus auctum,
Des licet Aonijs ocia grata choris:
Vena tamen fontis siccis oblanguit auris,
Scribendiq; mihi languidus alget amor.
Hoc faciunt casus, & iniqui tempora fati
Me miserum studijs non satis æqua bonis.
Quis moueat Cytharã, grassati ad murmura venti?
Quis faciles denso ducat in imbre choros?
At iacit inuidiæ rabies sua tela, per omnes
Aonij nemoris Pieridumq; locos.
Spicula nec Geticis iaciuntur plura pharetris,
Quàm sunt, qui miserè vatibus esse velint.

Hinc humiles passim trepidant formidine Musæ,
Improbus innumero quas grauat hoste furor.
Hæc quoq; me facies languentẽ ad carmina red-
Inq; suos rarò congero verba pedes: (dit,
Nec quondam optato mihi laus blandita fauore,
Ad studia hæc alacrem me velut ante facit.
Et quid erat, quare quæram mihi carmine laudẽ,
Carmine laudari dum propè nemo cupit?
Dum rarus laudanda facit, laudare Camœnis
Exigui certè est vile laboris opus.
Ergò mihi cum sit rarus nunc carminis vsus,
Hanc operam effectu vix comitante petis.
At meruit Pietas, huiusq; pedissequa virtus,
Carmine vt Albertus viuat in orbe Comes.
Et mihi iunctus erat, facili clementer amore,
Et mihi amicitiæ pignora grata dedit.
Sume animum, mea Musa vocat te iusta pro-
Officij est laudi caussa propinqua tui. (bandi,
Res gerere vt laus est, ita res describere gestas,
Heroum nostro nititur ore decus.
Iam tibi polliceor socium Graniuelde laborem,
Ne senis Alberti fama fatiscat iners.
Hoc meritò facimus, ratio quod postulat æqui,
Est pius Heroum dicere facta labor.

patriæ facta referri

ELEGIA XXXI.

SCRIPTA AD VRBEM IENAM.



Hinc, tua si piguit pridem bona nosse futuro
Tempore, læta tuum prospice Iena decus.
Valle iacens ima, per apricos vinea montes,
Elusis vuam frugibus, vnde legat.
Adde, quod Agricola est rerum sator, adde quod eius
Se similem viti filius esse docet.
Nos sumus in viridi pendentes vite racemi
Qui gerimus pura corda renata fide.
Adde, animis pacem iuga per montania ferentes,
Quod tibi cœlesti mittit ab arce choros.
Spiritus incessu quorum lætatur amœno,
Qui sacer Amydæ pectora vatis agit.
Qualibus & quantis igitur diteſcere possis,
Hospitibus fœlix Iena futura, vide.
Ipse pater mundi tua per vineta seremus
Ambulat, & numen cum patre Christus idem.
Hic sibi grata tuis plantaria colligit hortis,
Protegit hic dextra teq; tuosq; sua.
Addunt se Domino studijs famulantia Musæ
Organa, quæ faciunt ad bona vera viam.

Si

Sis facilis ſtudijs doctas gignentibus artes,
Fortuna poteris non meliore frui.
His tibi præſidijs tum res, tum gloria creſcet,
His poteris dici Iena beata bonis.

ELEGIA XXXII.

SCRIPTA AD QVENDAM PAVLVM, QVA illum hortatur vt in viam redeat.

PAule quid inſanis, nec noſtro pareis amori,
Nec vitæ curas ver iuuenile tuæ?
Cur tibi laxati maculant ſtudia optima, mores,
Cur oneras mentem mole grauante tuam?
Cur labem aſpergis Muſis, titulumq; tueri,
Quem cupis, haud æqua conditione, grauas?
Cur mihi non meritis oneras præcordia curis,
Cur mihi mens toties nomine mœſta tuo eſt.
Non his ingenium, non nomen moribus ornas,
Quodq; cupis dici, non ita Amandus eris.

Quod

Quod si nulla tui te flectit cura parentis,
Nec meus hic in te litigiosus amor.
Respice Pierides, ætatis respice flores,
Respice qui cernit, talia facta, Deum,
Te reuocant Musæ, tibi florens innuit ætas,
Officij memorem, te iubet esse, Deus.
Quod si forte tibi, cor gignit opinio, maius,
Quàm quod amicitiam curet opemq; meam.
Æternum valeas, sis tantus quantus haberis,
Non minus ingenio fortè fauebo tuo.
Heus tamen, hoc abiens tecum accipe, porcus in auro est,
Ingenium, morum quod grauitate, caret.

FINIS.

ERRATA

ERRATA.


A 5. pro impiorum, lege, imperiorum.
A. 8. vers. 5. pro propter l. præter, ibidem post de-e stantur insere, vel, ibidem pro videntur videantur.
B. 4. ver. 21. pro pius l. purus. B. 8. ver. 9. pro strenuis l. strenuus.
C. 12. ver. 8. pro omnia le. omina.
D. 14. ver. 24. pro perfidus l. forsitan.
E. 15. ver. 16. pro sua l. summa.
F. 12. post attenuant adde fera, ibidem pro licet l. quamuis.
H. 2. ver. 12. protenditur l. tunditur.
L. 9. ver. 7. pro rotante l. rorante.
O. 8. ver. 22. pro infantis l. infamis.
O. 15. ver. vlt. pro hinc l. hunc.
P. 1. ver. 13. pro dutiloquo l. dulciloquo.
P. 8. ver. 9. pro celsaꝫ l. celsamꝫ.

POEMATVM IOANNIS STIGELII LIBER QVARTVS, CONTINENS ELEGIARVM LIBROS TRES.

IENÆ

Excudebat Donatus Ritzenhayn, Anno 1568.

Cum Gratia & Priuilegio &c.



NOBILISSIMO VIRO, DOCTRINA, PRVdentia, authoritate et virtute præstanti, D. Ioanni à Germar, Domino in Gebsen & Illustriss. Saxoniæ Electoris Consiliario dignissimo &c. suo Domino colendo S. D.

ETsi nobilissime vir, in hac effœta mundi senecta & vlceroso seculo magna est rerum omnium perturbatio, & grauissimarum pœnarum expectatio, quæ totam Europam sunt oppressuræ: Tamen si verè iudicare volumus, ingens Dei donum est, conseruatio ministerij sui & artium scientiæ, quæ adhuc Dei præsentiam & bonitatem inter nos non obscurè testantur, cum non permittat Dia-

holo exercere ſæuitiam infinitam in pios magiſtratus & ſcholas harum regionum. Niſi enim DEVS vmbra ſuarum alarum contegeret pios cœtus, eosq; muniret et quaſi cingeret præſidio caſtorum angelorum, nemo noſtrum peruenire ad iuſtam ætatem poſſet, ſed in primis annis à Diabolo graſſatore immani ſæuitia extingueremus vel ruinis ædium, vel aëre infecto, ſubitiſue caſibus aut alijs mortis occaſionibus, quibus Diabolus hoſtis generis humani, tanquam telis vtitur ad delendos homines, ne perueniant ad exercitia pietatis, virtutum & artium. Horum autem beneficiorum Dei magnitudinem, ſicut pauci agnoſcunt, qui immerſi ſordibus huius mundi, vel opes adfectant, vel potentiam aut etiam beluinas voluptates expetunt: Ita ab ijs potiſſimum prædicatur, qui ſeſe

homines

homines esse agnoscunt, natos ad hunc finem, vt Deum verè agnoscant, celebrent, veris officijs colant, & in ciuili hominum consuetudine suo loco multis prodesse possint. Et quicunq; eum finem suæ vitæ, quem modò nominaui, non respicit, hunc ego secundum Poëtam, non hominem, sed rear esse feram, indignum consorcio humano & nomine. Dolendum certè est mores hominum eò hodiè dementiæ deueniisse, vt quisq; in vitium procliuis quasi cœcutientibus oculis conniueat vitiorum consuetudini, quæ facilè allubescunt & affricantur suo contagio, quando coniuncta sunt, vel cum voluptatibus vel cum opum affluentia. Pauci occupati sunt circa curam studiorum scientiæ, vt vel agnoscant eadem ipsi, vel alijs hortatores & adiutores sint, vt percipiant honestas artes,

præſertim ex eorum numero, qui generis dignitate & equeſtri ordine, eminere præ reliquis, & antecellere nobilitate aliis hominibus volunt, iactantes proauos & fumis oblita ſcuta, de quibus rectè inquit vetus Poëta Epicharmus, ὃς ἄντ᾽ ἐμοῦ φυσᾷ

Ἀγαθὸν ὑπάρχειν μηδὲν δικαίου πλέον,
ἐκθοῦ καταφεύγουσιν εἰς τὰ μνήματα,
καὶ τὸ γένος ἀριθμοῦσί τε τοὺς πάππους ὁπόσοι,
ὅθ᾽ ἕνα δ᾽ ἔχοις ἰδεῖν μόνον, ὅθ᾽ εἰπεῖν, ὅτῳ
οὐκ εἰσὶ πάππου. πῶς γὰρ ἐγένοντ᾽ ἂν πόθεν;
εἰ μὴ λέγειν δ᾽ ἔχουσι τοῦτο, διά τινα,
τύχην μεταβολὰν, ἢ φίλων ἐρημίαν
τὶ τῶν λεγόντων εἰσὶ δυσγενέστεροι;
ὃς ἂν ἓν γεγονὼς ἢ τῇ φύσει πρόσῃ τ᾽ ἀγαθὰ,
κἂν ἀνθίωψ ἢ μήτηρ, ἐσὶν εὐγενὴς.

Quos verſiculos ita conuertimus.

Dura quibus natura bonum pulchrumq; negauit,
Confugiunt ad auos proauosq; & nobile ſtemma,
Ordine dum longo numerant cæriſq; recenſent
Heroum genus, antiquo de ſanguine ereſtum

Verum

Verum age: namq; hominum toto qui natus in orbe est,
Natus auis sine nemo fuit, nasci potuisset
Nemo aliàs, nec quos tamen hi si forsitan illos
Enumerare minus possent, mutatio namq;
Sæpè loci uariat, distant quandoq; propinqui,
Propterea obscuros dicam, similesq; putarim
Atq; pares potius: nam quem natura benigna
Esse bonum uoluit, seu quem studia optima fingunt,
Nobilis est idem, uel si satus Aethiope atra
Matre sit, aut Scythica deducat origine gentem.

In cuius sententiæ recitationem propterea incidi, vt ostenderem aliis, quod certò compertum exploratumq; habeo, T. Excel. toto pectore discrepare ab aliis, qui contemptis neglectisq; bonis artibus contenti sunt sola generis præeminentia aliena à cognitione scientiarum. Tua enim Excellentia, sicut in laudata ac nobilissima familia nata est optimo exemplo ad generis splendorem & auitam nobilitatem adiunxit, optimarum rerum cognitionem dignam tanto viro,

qui non tantum omnium temporum res gestas memoria tenet & admirabili facundia ad vsum accomodare in hac politica hominum societate momentisq; officiorum omnium, rectè & cum laude potest: Verùm etiam prudenter res administrat, & præcipua quadam cura in id incumbit, vt scholæ conseruentur, quæ officinæ sunt pietatis, virtutum & artium, qui etiam omnes eos qui se in Philosophiæ portum abdiderunt vera animi beneuolentia complectitur, addo etiam qui deserto ordine Pontificio veram de Deo doctrinam amplectitur, amat ac prouehit, quæ virtutes quantum laudis addant generis splendori, quantoq; ardore grassentur ad posteritatem, vix dici potest. Eas autem sæpè admirabatur & prædicabat mihi & alijs, vir & Poëta optimus Ioannes Stigelius,

qui

qui adeò delectabatur Tuæ Excellentiæ conuersatione, vt illam præcipuè expeteret diceretq; se illa tanquam philtro quodam amatoria teneri. Tuæ etiam Excel. Encomium instituerat carmine, cuius titulus erat VIR BONVS, quod carmen inchoatum est non absolutum. Cùm autem hoc tempore in publicum emittere, quartum librum Poëmatum eiusdem Stigelij, qui Elegiarum, quoq; tres libros continet, quarum vt hoc etiam admoneam lectorem, aliquas adhuc adolescens scripsit, quasq; propter certas causſas non omittendas nec abijciendas esse putabam: Volui eundem sub. Tuæ Excel. patrocinio nominisq; tui authoritate munitum in manus hominum prodire. Nec dubito, Tu. Excel. tanti amici scripta æquo animo accepturam & probaturam esse, quem viuum summa

animi beneuolentia complexa fuit. Etsi autem usitatum est in enarrandis & publicandis authorum scriptis instituere encomium authoris, vt quid lector inde expectare debeat, compertum habeat: Tamen in hoc loco lubens omitto: tum quod partim in priorum librorum præfationibus quædam de præstantia & admirando splendore carminis Stigeliani dicta sint, tum quòd ita nunc publicè notum est laudatumq; Stigelij nomen, vt nisi hominum furiosorum, & nihil quidquam sanæ mentis habentium, morsus timendi non sint, eamq; ob causam non opus sit bono vino suspensa hedera. Tuam autem Excellentiam obnixè peto, vt hanc voluntatis meæ significationem & studium placida fronte accipiat, & inopiam orphanorum Stigelij benignè subleuet. Commendo Te


Excel.


Excel. filio Dei protectori Ecclesiæ suæ, quem toto pectore oro, vt in his fluctibus imperiorum & fatalibus calamitatibus Europæ, benignè inter nos conseruet, puram vocem Euangelij sui, scholas & pios magistratus. Datæ Vinariæ ipso die Solsticij hyberni 1567.

T. Excel.

Addictus

Iobus Fincelius D.





LIBER I.

ELEGIARVM.

ELEGIA I.

AD VRANIEN:

CONTINET AVTEM DEDICATIONEM EXPLI-cationis in dictum Psalmi 2. Osculamini filium &c.



Vrea dum redeunt natalis tempora lucis,
Qua Deus è pura virgine natus homo est.
Omnis & acceptam Christo fert lingua salutem,
Agnoscit verum quæ sine fraude Deum.
Dum geminat gratæ resonantia carmina Musæ,
Dum resonant Clariæ iubila festa lyræ.
Huc ades Vranie, patrij quæ conscia cœli
Astrorum monstras cognitione Deum,
Pauca meis verbis vicinam defer in oram,
Qua fouet illustres inclyta Dessa Duces.

Flumine qua patrios retinens abeunte colores,
Iungitur Albiacis aduena Mulda vadis.
Fallor an hîc addo pridem tibi calcar eunti,
O quàm ſæpè illuc ſponte venire ſoles.
Non ego Leucoreis loca dico incognita Muſis,
Sunt illîc veſtris omnia nota choris.
Namq; hîc dum canitis memores Heroa potentē,
Qui fouet hæc ſtudijs tuta Lycæa bonis,
Sæpè etiam reſonis diſpergit vocibus Echo,
Mitis ad Aſcanios quod ferat aura Duces.
Sæpeq; Deſſanam quæ deferat Albis in arcem,
Leucoreas vidi ſpargere ſerta deas.
Quin etiam è vobis aliquas deſcendere noui,
Implentes reſonis omnia rura lyris.
Sæpè ducum memini blanda vos voce receptas,
Cedere conuerſo vix voluiſſe gradu.
Vtq; ſolum Albiacum vobis natale Lycæum eſt,
Sic ſæpè hoſpitium Deſſa benigna fuit.
Quare age perge libens, nihil hîc remoretur eun-
Ingenijs aditum ſponte dat iſte locus. (tem
Veneris, vt terram propius quæ conſpicit arcem,
Nil vetet & pulchræ lumen ad arcis eas.
Forſitan hîc primum veniens Heroa videbis,
Cœlica cui nomen gratia mite dedit.
Nam penes eſt illum quia rerum certa poteſtas,
Publica non illum cura latêre ſinit.

Aut

Aut dare ius populis, aut ſanctas condere leges,
Aut aulæ ſtudijs inuigilare ſolet:
Aut patriæ fines æqua ratione tueri,
Aut placida ciues pace tenere ſuos.
Quidquid aget, ſi fortè aderit tu prona precare,
Hic oriens illi proſper vt annus eat.
Inde abiens, dextram qua ſaxea ducit in aulam
Cochlea, ſublimes ſcandere perge gradus.
Obuia contigeris medij pallatia tecti
Siſte gradum, ſedes hæc quoq; numen habet.
Hîc age ne ſtrepitu ſplendentia numina pulſes,
Hîc loca pax Muſis ſemper amica colit.
Hîc Charites habitant, animiſq; exercita virtus,
Hîc licitum eſt Muſis ludere quando volunt.
Huc dux quãdo libet Phœbi Ioachimus amator,
Aduocat Aonias ex Helicone deas.
Tum pariter doctas audire & reddere voces,
Diſcere multa iuuat, multa docere iuuat.
Non illi obſcurum eſt quicquid cecinêre Poëtæ,
Secula quos clario quæq; tulêre choro.
Quidquid & hiſtoriæ vitæ communis ad vſum,
Quidquid & arguti propoſuêre Sophi.
Sydera ſcrutatur tacitis famulantia fatis,
Maieſtasq; Dei quanta ſit inde notat,
Excutit & varias formas & ſemina rerum,
Quaſq; trahunt ſecum ſemina quæq; vices.

Rimatur varias formas, viresq; latentes
Quos authore refert quælibet herba Deo.
Lesbius aut quales tradit diuina locutus,
Aut Anazarbæi nobilis hortus habet.
Miraturq; viros qui rerum inuenta dedêre,
Sideraq; ingenio suppoſuêre ſuo.
Qualis inauratæ meruit qui præmia linguæ,
Attica terra tuus vaticinator erat.
Quiq; ſuam ingenio patriam defendit ab hoſte,
Hoſte ſed inuito cæſus ab hoſte fuit.
Et qui Niliacas orbem dimenſus ad vndas,
A patrio regum nomine, nomen habet.
Huius ad exemplum radio deſcribere mundum,
Et peragrare domi climata longa ſolet.
Sic animo magnum maiore inquirit in orbem,
Et quod agat patriæ nomine, ſemper habet.
Fœlicem, vereq; animo bona vera tenentem,
Dum tali ſtudio munit ad aſtra viam.
At neq; fortunæ, nec deſunt corporis vlli,
Omniaq; inſipidum quæ bona vulgus amat.
Seu frameam quaſſet, gladios ſeu vibret acutos,
Dixeris has vires poſſe decere Ducem.
Martia calcato ſeu ludat Equiria circo,
Pectus Erichtonium tale habuiſſe putes.
Huic etiam placido cum dixeris ore ſalutem,
Ad loca non dubio proxima perge gradu.

Ardua

Ardua prospiciunt medios palatia campos,
Qua tenet herbosus culta vireta locus.
Hanc solet Antistes habitare Georgius aulam,
Qui dextro id fœlix omine nomen habet.
Nam velut agricolæ sua rura & pascua curæ,
Sic illi est populi maxima cura sui.
Cœlica cui vero conseruat dogmata cultu,
Munere quo nullum grandius extat opus.
Et veluti diri non horruit ora Draconis,
Leucosyrus salua virgine fortis eques:
Sic non ille odium, non ille pericula curat,
Dum Christo merito præstat honore fidem.
Aut illum inuenies scrutantem dogmata Christi,
Astra quibus viua mandat adire fide.
Aut graue consilium magnis de rebus habentem,
Grande quibus pendet religionis onus.
Forsitan aut Martis Germani fata dolentem,
Dum rabidi lentus sustinet arma Getæ.
Quidquid agit, Musæ doctæ vni psallere Christo,
Semper ei claudunt sedula turba latus.
His operam nostras nauantibus imbibit artes,
Nec pudor est docti nomen habere Ducis.
Hæ doctos illi primùm infudêre liquores,
Quas larga mittit Christus Apollo manu.
Inde Pericleo facit ardua verba lepore.
Prouocat et Clarium lingua diserta chorum.

Addidit eloquio diues ſua numina Pállas,
Non Ioue, ſed vero nata parente Deo.
Hac veterũ expendens interprete verba Sopho-
Explicat hiſtorijs tempora quæq; ſuis. (rum,
Hunc reuerenter adi, memor & ſeruare decorũ,
Ipſe quod exemplo ſeruat vbiq; ſuo.
Et ſtudio expoſito, dictaq; ſalute, precare,
Accipiat læta qualiacunq; manu.
Viderit vt prima quòd habet ſub fronte libellus,
Materia hæc dicet carmine digna fuit.
Digna quidem certè, ſed tali carmine tantum
Vox canit ad blandam pſaltria quale chelin.
Non hîc ingenium, non ſpectet mentis acumen,
Hinc ego me doctis poſſe placere nego.
Non hæc ambitio, nec clari nominis ardor,
Sed pius in numeros verba coëgit amor.
Haud tamen vt meruit res auguſtiſſima dici,
Temporis vt potuit ſed breuitate cani.
Nam rudis vt primò deducens membra colore,
Quod benè non pingit, pingere tentat opus.
Arte ſed excellens, longoq; peritior vſu,
Adijcit artificis iuſta parerga manus.
Inſpiciens operis denſas ſic ſimplicis vmbras,
Quas mea fert craſſa linea ducta manu.
Ipſe ſua noſtras ornabit luce tenebrás,
Et rudè propitia voce iuuabit opus.

O tan-

O tantum cupiat legere hoc quodcunq; libelli eſt,
Iam Genius partus parue libelle tibi eſt.
Interea ſimili meditabor plura camæna,
Si probat hæc noſtrum ſæpè probabit opus.
Vade age, ne dubita vento properare ſecundo
Vranie, en altas temperat Albis aquas.
Interea expectent te læta fronte ſorores,
Inclyta Libanidos quas fouet aula ſcholæ.

ELEGIA II.

CONTINET QVERELAM SCELERVM IMPVnè graſſantium.

DEſine mens altas meditando euoluere curas,
Iſta carent certo ſtagna profunda vado.
Deſine ſcrutari purulenta tot vlcera mundi,
Menſuram numerus non habet iſte ſuam.
Sic teritur tineis annoſa frequentibus arbor,
Sic morbus vitijs roditur ipſe ſuis.
Sicq; venenato folijs triſtiſſima Campe,
Arboreas lacerans perforat axe comas,
Vt ſcelera arrodunt orbem vitiumq; niſi ipſe
Pene ſuo ſpectat Phœbus ab axe nihil.

Si bonus eſt aliquis vix ullo notior illo eſt,
Qui moriens ſummi naſcitur igne rogi.
Preſſa iacet Pietas, aſtutia libera regnat,
Hæc Leges regnis imperijsq́ facit.
Namq́ vbi Ius colitur? ratio quod recta guber-
Eſt vbi Iuſticiæ certus in orbe locus? (nat
Ecce ruunt iunctis conatibus Auſter & Eurus,
Et Zephyrum ſecum per freta cæca trahunt.
Hei quàm nunc alius, quantum eſt mutatus ab
Qui flare Heſperio eſt viſus ab axe prius. (illo
His ſcopus ille vnus, pelago vt ſtagnante natantẽ
Euertant Cymbam Chriſte benigne tuam.
Et tibi ſi neſcis, omnem Germane ſalutem
Eripiant, priſcum contaminentq́ decus.
Quæ tamen hos ratio remis armauit & alis
Quam cauſſam tantus ſidit habere furor?
Hoc niſi quod dicas alienum à Iure fideq́,
Nomen adhuc certè non habet illa ſuum.
Et tamen Europe crudeli Marte mouetur,
Et caput eſt, corpus quod perijſſe velit.
Illaq́ in extremas quàm fatum abſtruſit arenas,
Sicca ſub occiduo quæ loca Sole tenet.
Gens veris inimica bonis, quam fœda libido
Æterni memorem non ſinit eſſe Dei.
Plena dolis, furtis gaudens, aſſueta rapinis,
Cui lucra ſunt ipſo pluris opima Deo.

ELEGIA

ELEGIA III.

SCRIPTA AD VICTORINVM STRIGELIVM CVM stetisset in ruinis arcis vetustissimæ Gleisberg propè Ienam.



Per varias rupes, per tot ludibria venti,
Sperata montis victor in arce steti.
Et gaudens patriæ thesauros cernere terræ,
Subiectas oculis sum licitatus opes.
Thessala miretur, miretur & Itala tempe
Ebria Pegaseis Musa Maronis aquis.
Pax modo frugali non desit candida vitæ,
Hîc mihi & hîc Musis non aliena domus.
Hîc ego Pegaseas Christo seruire Camœnas,
Hîc faciam numeris astra sonare meis.
Quòd si etiam mecum mi Victorine fuisses,
Iam poterat penitus Iena placere tibi.
Sed placet hoc vnum, tibi vir doctissime cordi
Hoc Christo vt possis grata docere loco. (est,
Sint magni, quicunq; nihil nisi magna loquuntur
Nos iuuet esse Deo, quod iubet esse Deus.
Nil vitæ vtilius, nil Christo gratius ipsi
Quàm memorem officij quemlibet esse sui,

ELEGIA IIII.

SCRIPTA IN DISCESSVM CLARISSIMI VIRI Doct. Erasmi à Mingkwitz à Lobeda.



I liquidi fontes, hæc arridentia ripis
Gramina, & hæc gelidi cana salicta Salæ.
Floribus & tepidi passim spirantibus horti,
Tectaq; montanis vallis amœna iugis.
Nuper erant Musis loca grata & Apolline dextro
Læta, etiam veris rura beata bonis.
Mingkuitiæ excellens dum gloria gentis Erasmus,
Esset in hoc proprij rure colonus agri.
Quin Salana etiam læta se fronte ferebat,
Quæ fingit mores Iena vetusta tuos.
Ille abijt, Musis abijt comitatus Apollo,
Et facies tristi mœsta relicta loco est.
Redde mihi Musas, quò tecum euasit Apollo,
Ingeminat tristi Lauda relicta sono.
Redde mihi Musas, quas tecum abduxit Apollo,
Salanæ ingeminans vox quoq; mœsta sonat.
At tu siue procul facunde recedis Erasme,
Seu te vicinæ gentis habebit Amor.

Mente

Mente pios memori retine constanter amicos,
Quos tibi virtutis nomine iunxit amor.
Omne solum forti patria est, hoc inclyta virtus
Hoc pietas meruit vindice tuta Deo.

ELEGIA V.

SCRIPTA DE VENATIONE, ILLVSTRISSIMI Principis D. Iohannis Friderici, eius nominis Tertij.

EXierat nemorum gratus venator in vmbras
Orc puer Princeps, maximus ingenio.
Cum patre cui fecit nomen commune, togatas
Larga Dei cumulans gratia pacis opes.
Ventum erat ad lustrum, Musæ comitantur eum.
Et Charites Musis semper amica Trias. (tem.
At custos nemorum virgo studiosa pudoris,
Obuia formosum suscipit ipsa Ducem.
Iam tuba dat signum, iam prouocat aëra cornu,
Et terebrant naso tesqua sagace canes.
Maximus offertur spelæa per hispida ceruus,
Quà Dux excubias in statione tenet.

Lù

Lis oritur: præstat, Latonia clamitat arcu
Pierio præstat carmine, Phœbus ait.
Ille regens oculis certum rimantibus hymnum,
Mellifluo tales fudit ab ore sonos.
Fessus vt errando, quas nouit imagine sensus
Ad liquidas sitiens ceruus anhelat aquas.
Sic mens ægra mali quam culpa euertit & error,
In tristi veniam poscit agone Deum.
Et quia non dubitat veniæ se agnoscere fontem,
Fidentem placido respicit ore Deum.
Ergo Deus liceat mihi raptæ hæc cornua prædæ,
Arboris è densis ponere fixa comis.
Hac vt quisquis iter carpat regione viator,
Agnoscat veniæ ceu monumenta tuæ.
Sic ait, arrident charites, adplaudit Apollo,
Cum Musis votum læta Diana probat.
Viue diu Princeps iuncto cui munere virtus,
Et doctrina suum contulit alma decus.
At tibi qui chartis commendat talia vates,
Parte frui prædæ gestit & ille tuæ.
Sic tibi cum faueat, syluas Dictynna per altas,
Non minus in laudes Musa sit æqua tuas.

ELEGIA

ELEGIA VI.

DE OVILLIS HALLENSIBVS.



Vrbs iacet vndantis propter vada cœrula Salæ,
A Salis hæc nomen fontibus Hallis habet.
Illic blanda Ceres panium formatur in aguum,
Quis putet? id fiat qua ratione canam.
Mollia miscentur candentibus oua farinis,
Hæc liquidus puræ temperat humor aquæ.
Massa fit, hanc versat subiectum pistor ad ignẽ,
Format & hinc docta paruula liba manu.
Quæ sic ceu studio terebrata vapore leuantur,
Vt tumet expressa spongia mollis aqua.
Et quod humi strati speciem formantur in agni
Hinc illis nomen paruula fecit ouis.
Rides materiam, formam reprehendis Apici?
Nec facit ad mensas, ista vel illa tuas.
Quisquis es assidui qui gaudes munere Bachi,
Lurcones facile nec finis ire tuos.
Ex his pone tuis tantum vnum epulonibus agnũ,
Hæc ouis heu dicent vim retrahentis habet.

Vos,

Vos, quoq; formoſæ cœleſtia dona puellæ
Cura mea & ſolæ dulce bonumq; malum,
Vt diſceſſuros blandè teneatis amantes,
Philtra nocent, hîc vos nõ dare philtra velim.
Hæc ouium veſtris adponite fercula menſis,
Qui velit à vobis cedere, nullus erit.
Poma velut paſti teneri dulciſſima Loti,
Auelli à dulci non potuêre cibo.
Sic quicunq; epulis prædicti veſcitur agni,
Hæret vt in manibus pix tepefacta ſolet.
Et quamuis peragret diuerſas corpore terras,
Mente tamen ſola cedere ab vrbe nequit.
Hæc manet, hæc vrbis parietibus omnib? hæret,
Abſentũ hæc retrahit corpora quando lubet.
Heu mihi quid fiet, tunc cum diſceſſero, ſi mens
Non benè præſenti ſuſtinet eſſe comes.
Hâc pugnat corpus, pugnat mens ſæuius illâc
Aleaq; atrocem Martis vtrumq; facit.
Sed puto mens vincet, certè eſt præſtantior illo
Iam bona, ſi cauſa eſt, vincere iure poteſt.
Quòd bona ſit, circũ volucres teſtantur amores,
Ah malè non peccat quiſquis amanter amat.
Dum loquor, incumbens omnes tremor occupat artus,
Et mens neſcio quò ſe quoq; maior abit.
Nec volo, nec poſſum placitis diſcedere terris,
Eſt dolor aſſuetis grandis abeſſe locis.

Hoc

Hoc quoq; magnanimi ſocij teſtantur Vlyſſis,
Non niſi ſollicita turba retracta manu.
Eruat hinc aliquis niſi me quoq; fortis Vlyſſes,
Mox homo qui fueram totus ouillus ero.

ELEGIA VII.

SCRIPTA AD CHRISTI-ANVM PONTANVM.

Vris opes tenues et adhuc lactantia regna,
Te duce, ſed voti ſomnia magna mei.
Viſcere me Zephyri flatus Pontane monebat,
Frigore qui veris ſpem fugiente facit.
Fonticulum reperi, cœca ſub rupe latentem,
Dicitur vt veri ſæpè latere decus.
Frigida luſtraui macilentis prata ſub agris,
Factaq; brumali cana ſalicta gelu.
Et nemus exiguo mihi quod geniale receſſu,
Curarum interdum demo vincla ſolet.
His eadem facies, hoc quæ can. oris in æuo,
Qui niger & variè turbidus eſſe ſolet.
Singula dum luſtro violentis humidus alis,
Auſter atrox ſubitis æra mutat aquis.
Inuide quid temerè fraternis obſtrepis alis,
Quid noua ſta tuo tempore bella moues?

Congruit

Congruit Autumni nimbosis flatibus æstas,
Aere qui crasso plumbeus esse solet.
Cum grauis occasu pluuias deuoluit Arion,
Cum facit humentes Pleias orta dies.
Tu vitium salubres spargis pollinctor in auras,
Et seris occulto cœca venena dolo:
Corpora morbifico diffusa tepore resoluis,
Et teneris neruis languida fila facis.
Sanguinis offendis vitæ cum fomite fontem,
Pestiferaq; grauas viscera tota lue.
Vnde caput replent recidiui tristia vapores,
Et morbis varijs funera mille ferunt:
Sic ego multa pigro faciens conuitia vento,
Ceu surdo cecini carmen inane miser.
Fortius insurgens, oculos grassator & aures
Multiplici sonitu verberibusq; grauat.
Insonat in medio turbatum cardine cœlum,
Versaq; puluereo turbine fumat humus.
Ipse domū properans fusco vix vulpe reuectus,
Incolumis retuli tecta sub vda pedes.
Ecce tuas reddens, læto mihi paruulus ore,
Callimachus vitæ pars animosa meæ.
Has tibi vir mittit clarissimus ille, relucens
Pectore dependet cuius imago meo.
Scis pater arridens vt me laudabat, & olim
Ingenio excellens tu quoq; dixit eris.

Dixit

Dixit & hoc quantum eſt, in inſigne numiſma,
Indicium voluit me retinere ſui. (fauoris
Blande puer verbis tua munia ſuauiter ornas,
Sic tibi ſic pulchrè reddito, ſi quid habes.
Perlego, & ingenui veſtigia plena fauoris
Agnoſco, atq; animi ſigna vetuſta tui.
Fœdus amicitiæ teneris quod ſanximus annis,
Omnibus affectas viribus eſſe ratum.
Ocia promittis, dum facta puerpera coniunx
Grata mihi nata gaudia prole ferat.
Hortarisq; preces vt caſto pectore fundam,
Vt Deus huic operi præſtò ſit ipſe ſuo.
Hæc ſunt ingenui vera argumenta fauoris,
Sic valet hoſtili pectore nemo loqui.
Lætor amicitiæ tam firmo robore noſtræ,
Virtutem pretium quæ putat eſſe ſui.
Non ego muneribus quæ ſunt aliena Poëtis,
Hoc mihi deuinxi dulce piumq; caput.
Carmen amat, docto Pontanus carmine dignus,
Quàm qui digna facit carmine carmen amat.
Sed quid & ingenij mihi non infauſta reliquit
Natura, hoc magni ponderis ille facit.
Nec minus hunc animum, quàm ſi chariſſimus
Hoc humili dignum cenſet amore, loco. (eſſem.
Quidquid id eſt veros virtus coniungit amicos,
Mentis ab hac vis eſt non aliena meæ.

Mens quæ recta videt, quæq; adprobat ista vo-
Dulcis amicitiæ semina prima iacit. (luntas,
Hæc amplexus amor qui cordibus insitus hæret,
Arripit & motu viuidiora facit.
Omnis ab affectu crescit stimulata, virile
Quæ decet & iusto robore pectus alit.
Lumen vt è media penetrabile luce refulget,
Et procul in spacium qua nihil obstat, abit.
Accendensq; aliud contacto in fomite lumen,
Alternas celeri concipit igne faces.
Sic abit ingenuo de pectore cognita virtus,
Alterius facilis quam sibi iungit amor.
Iungit amor mentes, cœlo qui semina ducit,
Gignit amicitiam non vitiosus amor.
Hinc virtutis amans clarum virtute vereri,
Grande sui pretium muneris esse putat.
Sic Pontane tuis radijs mens tacta, vicissim
A virtute tua non aliena mea est.
Pectora conspirant, quia amor conspirat honesti,
Hæc tibi conueniens hæc mihi meta placet.
Talis & Alciden iunxit tibi gratia Theseu,
Talis te Pythiæ non moriture Damon.
Musa Menetiadæ iunctum decantat Achillem,
Candida virtutis pectora iunxit amor.
Et mea post cineres si viuent carmina, nostræ
Viuet amicitiæ non moriturus honos.

ELEGIA

ELEGIA VIII.

AD REGEM DANIAE,
QVA COMMENDAT
Osij Poëma.



Is ea quæ magnas sermone euol-
uere causſas,
Splendida quæ doctè nouit & apta loqui.
Verè ingens decus est ægris mortalibus, omni
Nostra loco cuius vita requirit opem.
Nam complexa bonas studijs ardentibus artes,
Thesaurum variæ cognitionis alit.
Inde procul positi monstrat vestigia veri,
Ad bona vera homines iuraq; sancta vocans.
Nam docet & ducit, monitis dū pectora mulcet,
Iudicio proprio non habitura fidem.
Pace domi regnat, foris ardua bella gubernat,
Eloquio populos regnaq; tota regit.
Illius è gremio prognata Poëtica, laudem
Carmine grata Deo, cum modulatur, habet.
Nam celebrare Deum, & verè virtutis amorem
Prouehere exemplis, huius habetur opus.
His tibi decerptos flores ex artibus offert,
Ausa loqui Graio Musa latina sono.

Inclyte ne doctas Rex auersare Camœnas,
Officij memores hæ quoq; regna decent.
Regibus ingenuas famulatur Musa per artes,
Ad bona quam veri vera gubernat amor.
Vana loqui, & miseris opprobria spargere char-
Res est, à tergo quam sua pœna manet. (tis,

ELEGIA IX.
AD POSTERITATEM
FRAGMENTVM.



T tu posteritas, nunc horum ig-
nara malorum,
Quæ sequeris tardo tempora
nostra pede.
Quã Dea Mnemosyne, Chronio est enixa marito,
Nubila Cymmerias qua tegit vmbra plagas.
Quæ nunc extra orbes celeres, & climata Solis,
Atlas vbi cœli sustinet astra, lates.
Hic vbi verso olim reuoluti vertice cœli,
Aspicies sera secula lapsa mora.
Quis tibi vultus erit? cum tempora talia cernes,
Pressa tot ærumnis, totq; onerata malis,
Quæ tibi miratam tanget dubitatio mentem?
Qualibus effundes qualia verba sonis?

Turpiter à patria degenerasse domo.

Viribus

Viribus haud fortem, ſed tantùm fraude nocentẽ,
Ad ſcelus edoctas omne habuiſſe manus.
Tot ſcelerum diro geſtaſſe in pectore formas,
Quot tenues radij Solis ab orbe micant.
Hunc leges turbaſſe ſacras, turbaſſe quietem,
Auſum omni patriæ damna mouere dolo.
Vſq; adeò Sathanæ ſeſe obſtrinxiſſe, putaret
Vt nullum præter Dæmones eſſe Deum.
Quodq; Dei poſſet veros euertere cultus,
Omne venenato corde patraſſe ſcelus.
Igniuoris populos paſſim vaſtaſſe ruinis,
Saluifica amplexos dogmata vera fide.

ELEGIA X.

AD LEONHARTVM.

Quem tibi non falſò piſcoſum iunxit ad Iſtrum,
Qui tuus in Muſas eſt generoſus amor.
Mittit & accipias optat Leonharde ſalutem,
Quam pius à ſummo numine quiſq; petit.
Si tibi reſpondent ex plenis omnia votis,
Hic quoq; cur pleno pectore plaudat habet,
Nam ſi quemq; alium, memori te ſemper in ore,
Semper & in fido pectore gratus habet.

Nullaq;

Nullaq; deducit Phœbeo carmina plectro,
Quin animum subeat mentio grata tui.
Sed tibi quid teneam longis ambagibus aures,
Hæc tibi Stigelij scribit amica manus.
Qui tecum longo coram sermone solebat
De rerum varia conditione queri.
Inter honoratos quem sæpè vocare solebas,
Et decus Aonio pieridumq; choro.
O quoties animo conuiuia læta recordor,
Et dulces Eclogas & sine felle iocos.
Vel tunc cum doctis Epulum geniale Poëtis,
Quod dare vix posset regia mensa dares.
Omnia tunc Cytharis resonabant, omnia naulis,
Plenus & argutis plausibus hortus erat.
Nam tunc pacis erat spes maxima, Carolus orbis
Cum domitor coram conspiciendus erat.
Signa quiescebant irati tympana Martis,
Horrebat raucam nulla puella tubam.
At postquā Lybicas Martem produxit in oras,
Adijcit & regnis Punica regna suis.
Quàm metui vsq; comes qui Cæsaris esse solebas,
Cogeret vt Mauors te pia fata sequi.
Rumor erat nostros aduerso vincere Marte,
Extera victrici regna domare manu.
Continuò dixi viuat cum Cæsare, quisquis
Nomen ab inuicti corde Leonis habet.

Sic

Sic ego, sic absens absenti sæpè precatus,
Nunc quoq; non aliter sis vbicunq; precor.
Tu quoq;, si quid agam, qui viuam, scire laboras,
Accipe disparibus pauca notata modis.
Albis vbi ingrediens Erymanthida versus ad
Saxona piscosis irrigat aruavadis. (Arcton,
Inter eos Musis hic qui profitentur & artes,
Principe certè aliquem seruo fauente locum.
Hic operor Musis & doctos prælego vates,
Mentio huic quorum est non inhonesta loco.
Et tibi cur inquis, quidquam est cum deside vitæ
Qui fueras aulis non inimicus Eques.
Ista tibi fateor, mens aspirauit ad aulas,
Nilq; habuit tali conditione prius.
Dum tituli splendor, dum cura inuitat honoris,
Perq; suos vsus viuida vita placet.
Nec mihi quæ galeam ceruix, quæ tela lacerti,
Nec manus in pugnam quæ gerat arma deest.
Corporis hæc etiam non est mens viribus impar,
Vincere quæ casus quoslibet alta potest.
Nec mihi apud magnos locus atq; occasio reges,
Nec mihi apud magnos defuit illa Duces.
Nouit id æstiuas, quæ contrahit Anglia noctes,
Quà Thamesis multo creber olore fluit.
Nouit id Arctoo fortis sub vertice Cymber,
Quà Nereus gelidam Balticus ambit humum.

Quod si ita vel ratio ferret, vel postulet vsus,
Auxilio poteram clarior esse tuo.
Publica, sed quoniam vigilante negotia mente
Pondero, & emoto quis sit in orbe status.
Atq; odijs video fractum ciuilibus orbem,
Qui fato in peius deteriore ruit.
In sua dum video grassantem viscera mundum,
Esse salutem aliqua parte latere puto.
Hic igitur portum nactus, sic transigo vitam,
Vt metuens rapidas nauta quiescit aquas.
Vinctaq; Phœbæa redimitus tempora fronde,
Carmen ad auratam personо sæpè chelyn.

ELEGIA XI.

SCRIPTA AD CLARISSIMVM ET NOBILEM VIRUM D. Ernfridum ab Enda in VVolckenburg, φιλόμουσον.

DVcia qui nobis adflat spiracula vitæ,
Quo tuti excubias semper agente sumus.
Cuius & Angelicæ ponunt sua castra cohortes,
Vt nos à veteri fortiter angue tegant.

Quicq

Quiq; ſodalitium q; heſternum, epulumq; iocoſum
Hoc voluit nobis eſſe ſalubre die.
Idem te ducat Deus, & coniungat vtrumq;
Sæpius, & patrio ſemper amore regat.
Eluat ex animo quidquid ſibi diſplicet, altè
Inſerat omne animi quod probat author opus.
Hæc eſt vita Deo gratiſſima, viuere læto
Pectore, & æterno mente placere Deo.

ELEGIA XII.

SCRIPTA IN LECTIONEM LIBELLI DE ANIMA.

Sic hominem radijs Deus inſignivit, vt eſſet,
Diſcere qui ſenſu, qui ratione velit.
Ergo homo quiſquis amas hominis decus, ergo age
Quæ cauſſas hominis ſcire decusq; iuuat. (mecũ,
Perge animæ occultas quærendo diſcere vires,
Ingenij lumen ſpargere diſce tui.
Ex te ipſo, ducente Deo, te noſſe labora,
Adprobat hoc ſtudium ductor amatq; Deus.
Et ſimul adflatu diuinæ proſperat auræ,
Vt fœlix alijs commoda certa ferat.

Quod si huic addideris veræ documenta salutis,
Quam docet æterni vox patefacta Dei.
Tunc hominis nactus decus immortale beati,
Ante Deum veras semper habebis opes.

ELEGIA XIII.

AD PHOEBVM PRO IOACHIMO MOLLERO Poëta.

Optime Leucoream Musarum dux ad Albim,
Huc ades Aonia Phœbe canore lyra.
Eu tuus Ausonias abiturus alumnus ad oras,
Deserit Albiacæ templa beata scholæ.
Caussa viæ tuus urget amor, tua sacra colentes
Atq; loca ingenijs clara videre cupit.
Qua tenuit magni Ciceronis Silius hortos,
Inclyta quà Siren busta Maronis habet.
Quà vel ad Alphonsi Naso venientibus antrum,
Pocula Castaliæ plena propinat aquæ.
Deniq; Pierio qua floret Felsina cœtu,
Qua viget Euganeæ candida fama scholæ.
Aspira pie Phœbe viæ, ne Pleiades illi,
Ne noceat pluuijs creber Orion aquis.

Sic

Sic rediens partas ferat in tua templa coronas,
Fœlix cui titulo gloria parta tuo est.

ELEGIA XIIII.

SCRIPTA AD BRVSCHI VM POETAM QVA GRATIAS agit pro misso poculo.



Ccipio gratus, quòd donas optime Bruschi,
Amoris ergò comprobandi poculum.
Munus & id madido deberi iudico Vati,
Quem mixta dulci Hypocrene iuuat mero.
Sed cum tot pariant hæc tempora tristia curas
Studijs molesta nostris his Poëticis.
O vtinam posses Helenen quoq; mittere, gustu
Quæ poculum mihi misceat Nepentheos.
Tunc dulces cupida potantem fauce liquores,
Me sobrium non vlla cerneret dies.
Interea Bruschi memori hoc quem sufficit Albis,
Liquore curas vel coactus reprimam.
Donec in amplexus veniat mihi Tyndaris illa,
Gustum mihi quæ misceat Nepentheos.

ELEGIA

ELEGIA XV.

AD D. BASILIVM MONNERVM, QVAM SCRIpsit adhuc puer.



Regone Saxonicos Monnere subire penates
Diceris? & notos rursus adire lares.
Anne venis? verum est? an falso fama susurro
Auribus hæc fingit nuncia vana meis.
Esse puto verum: mihi sic prædixit ab alta
Ilice, & à læua mœsta volauit auis.
Tempus erat medij quo summa cacumina cœli,
Phœbus adit nitidis axe micante rotis.
Iamq; fames epulis fuerat depulsa, volebam
Pierides studio rursus adire meo.
Cum tuus aduentus nostras perucnit ad aures,
Quo mihi nil quicquam gratius esse potest,
Gaudebam, sed quid multis ambagibus vtar,
Gaudia dicendo quanta fuêre mea.
Talia (vt ingenuè fatear tibi) gaudia cœpi,
Vt sensi puppes approperare tuas:
Qualia per reduces longo post tempore natos,
Gaudia gauisi corda parentis agunt.

Cœlitibusq;

Cœlitibusq; ſacro perſoluit munere grates,
Et cremat in tepidis thura Sabæa focis.
Ter tibi cæruleum miſſurus carmen ad Iſtrum,
Hinc qua Saxonicos irrigat Albis agros.
Ter ſua ne noſtris ſint inſtar numina votis,
Diſtulit incœptos lentus Apollo modos.
Maluit alterius quòd & alter ab ore loquentis
Pendeat, & præſens pectora tentet amor.
Verum ego quo vultu, quo te nam carmine tra-
Te quibus excipiam pro pietate modis. (ctem,
Qui mihi iam primis fueras præceptor ab annis,
Prima tuæ fidei credita cura fui.
Ac veluti plantas vbi ruſticus inſerit aruis,
Sollicito curas pectore ſemper agit.
Si qua parum ventos validas vel ſuſtinet auras,
Aut nequit Icarij tempora ferre canis.
Sedulus hanc crebro ſolet accurare labore,
Donec in aërium culmina lumen agat.
Sæpè docet madido creſcentem moleſcere libro,
Spargitur & pingui fibra tenella ſimo.
Vtq; ferat dulci præſtantia munera fœtu,
Sæpè latus dulci melle fauoq; linit.
Hoc facit vt quæ parua fuit, ſe læta per auras
Arbor agat: ſummum ſumma flabella petant.
Sic quoq; ſudaſti, fragilemq; rudemq; iuuenta,
Poſſe meam ſtudys excoluiſſe bonis.

A te

A te prima mihi nostræ cunabula Musæ,
A te prima data est si qua Thalia mihi.
Quæ licet exilis sit adhuc tenuisq; leuisq;,
Attamen vt spero tempore maior erit.
Quæ fuerant olim paruæ & sine pŏdere plantæ,
Tempore crescendo nubila celsa petunt.
Parua fuit quondam sed nunc se tollit in auras
Effusasq; comas Chaonis arbor habet.
Aspicis vt crescens abies super æthera surgat,
In cœlum summo fine minante comas.
Et si materies fuerit quæ prima requiras,
Radix illa leuis fibraq; parua fuit.
Sed quid inutilibus spumescunt æquora remis,
Quid mea necquicquã Cymba moratur aquis.
Gratulor aduentum, quo nil mihi gratius vnquã
Contigit, ex vero pectore vera loquor.
Ingredere hanc vrbẽ superis comitantibus æquis,
Te cupit exoptans hic studiosa cohors.
Ingredere & præsens præsentibus vtere amicis,
Ingredere auspicijs hospita tecta bonis.

ELEGIA XVI.

IN DECLAMATIONEM DE LAVDE HOMERI.

Esse

Esse sacros olim veteres dixêre Poëtas,
Et Vates magno dignus honore fuit.
Nam quòd agi sacro dicuntur numine Vates,
Sic mouet illorum numine corda Deus.
Atq; iubet casto vitiosos flectere mores,
Eloquio & vitæ dicere quod sit iter.
Sic dulci traxisse cheli Rhodopeius Orpheus,
Dicitur infernum, flumina, saxa, feras.
Nempe quòd agrestes homines & saxea corda,
Commouit verbis erudijtq; pijs.
Non aliam ob causſam Thebanæ conditor vrbis
Creditus est blanda saxa mouere lyra.
Quàm quòd mortales placido sermone retraxit,
A vitijs rectam perdocuitq; viam.
Virtutemq; dedit populis, viciumq; fugauit,
Legitimiq; dedit iura tenenda thori.
Sic quoq; post illos vates diuinus Homerus,
Cui dedit inprimis talia dona Deus.
Posſit vt exemplis homines virtutis honestis
Instruere, & populos erudijsse rudes.
Composuit multos diuino numine libros,
Nobilis ingenij munera pulchra sui.
Tota quibus vitæ depicta refulget imago,
Qualis & in speculo forma nitere solet.

Iam tibi

Iam tibi proponit clarorum exempla virorum,
Iam canit Heroum facta sequenda Ducum.
Quid facias mœstis feruent vbi tempora bellis,
Aut quid vbi placidæ tempora pacis agis.
Quid Ducis in bello præceps audacia damni,
Consilijq́ expers mens properata ferat.
Cautaq́ quid contra prosit sapientia, quidue
Callida prudenti retia tensa manu.
Vtq́ nihil valeant in aperto prælia campo,
Sit nisi consilium quod regat illa domi.
Deniq́ magnifica qua sit Respublica laude,
Atq́ humana quibus vita gerenda modis.
Hunc igitur nonam cras Sol vbi fecerit vmbrã,
Pro tenui ingenij pondere laude veham.
Vosq́ rogo iuuenes eius cognoscite laudes,
Illius & placido scripta fouete sinu.
Aurea Mæonides commonstrat munera Vates,
Colligite hæc auida nocte dieq́ manu.
Vbere de prato fragrantes carpite flores,
Et liquidas pleni sumite fontis aquas.
Quas nec inauratas voluens Pactolus arenas,
Auriferis superat nec Tagus ipse vadis.

ELEGIA

ELEGIA XVII.

SCRIPTA AD IOHANNEM RITZENBERGIVM Hamburgenſem, qua rogat, vt mittat ei aliquid ſuorum verſuum.



Vper vt exiguo conſcripta Poëmata verſu,
Iudicio exhibui candide Iane tuo.

Auſus eras nobis promittere culta viciſſim
Carmina, Phœbeæ quæ canis arte lyræ.
Nil promiſſa moror, ſi nõ quoq; facta ſequantur,
Promiſſis audax ludere quiſq; poteſt.
Forſan Apollo tuus nimiumq; ſuperba Thalia,
Spernit adire meos paupera tecta lares.
Dexter adeſt (ſcimus) cum carmina condis Apollo,
Et fauet ingenio turba nouena tuo.
Scilicet eximia quo quisq; eſt maior in arte,
Hoc magis elata fronte tumere ſolet.
Sic qui Menthoreæ clarus præcellit in arte,
Quæ fingit figulus temnere vaſa ſolet.
Phidiacas fingens Pario de marmore formas,
Spernere cælantem lignea ſigna ſolet.

Nulla diu memini, dicebas, carmina feci,
An faueat nostris nescio Musa modis.
Hoc magis ergo decet veterem renouare laborē,
Et vetera assueta texere fila manu.
Dedecet ingenuas vecors ignauia mentes,
Hæc rapit ingenij diminuitq; decus.
Atteritur salsa nitidum rubigine ferrum,
Quod caret admotæ sedulitate manus.
Nil nisi fert duris surgentia gramina spinis,
Vomere si crebrò non renouatur ager.
Ergo aliquod plena carmen deprome pharetra,
Et sta promissis candide Iane tuis.
Sic tibi Pierides faciles, sic dexter Apollo
Producat placido carmina docta sono.

ELEGIA XVIII.

SCRIPTA ADIANVM ISNACVM, QVA HORTATVR eum, vt diligenter literis incumbat.

Accipe Saxonicis tibi quæ mittuntur ab oris
Carmina, dissæribus nuper orata modis.
Anné soles veteris fidus meminisse sodalis?
An mea Lethæis ora natantur aquis.

O vti-

O vtinam memori ſeruares mente ſodalem,
Quippe ego non poſſum non memor eſſe tui.
Roſcida nocturnæ ſeu ſplendent cornua Lunæ,
Seu tener Eoo lucet ab orbe dies.
Viua meis oculis tua ſemper inhæret imago,
Et vetus haud vnquam diminuendus amor.
Multa ego ſæpè animo ſtudijs collata voluto,
Scriptaq́ iudicio miſſa probanda tuo.
Multa etiam meditor iucundis gaudia ludis,
Multaq́ Socraticis ſeria picta iocis.
Quæ memori vobis hærebunt ſemper in ore,
Vnus in his membris dum calor eſſe poteſt.
Dum flauis bibulas vndis ferit Albis arenas,
Dum liquidum pennis æthera pulſat auis.
Dumq́ nouem ſacro ludent Heliconc puellæ,
Dum ſacra Pegaſei flumina fontis eunt.
Quoq́ memor veteris videar meminiſſe ſodalis,
Hæc mitto imparibus verba notata modis.
Admoneoq́ bonas foueas fœliciter artes,
Traducas ſtudijs tempora cuncta bonis.
Quamq́ tui cepêre viam contingere greſſus,
Hanc ſuperes celeris ſedulitate pedis.
Ipſe vides noſtro contemptas tempore Muſas,
Vtq́ humili iaceat docta Thalia loco.
Nemo fauet ſtudijs, benè vult iã nemo Camœnis,
Palladiæq́ artes iam ſine laude iacent.

Prima ſacras peperit celeberrima Græcia Mu-
Græcia doctorum fons q̃ parens q̃ virũ. (ſas,
Poſt vbi ſunt victæ Pelopæia regna Mycænæ,
Captaq̃ ab hirſutis Hellados ora Getis:
Tunc omnes periêre artes, periêre Camœnæ,
Fugit & in Latium turba nouena ſolum.
Hîc longo ſumma celebratas tempore laude,
Roma tulit Muſas, dum caput orbis erat.
Aſt vbi iam ſæuis feruerent omnia bellis,
Clauſiſti Muſis tu quoq̃ Roma fores.
Cumq̃ diu totum fuerant ſine honore per orbem,
Accipit Aonium Theutonis ora chorum.
Hîc Muſas lento ſequitur quoq̃ gloria paſſu,
Peneq̃ ſunt cunctis fabula ſola viris.

ELEGIA XIX.

SCRIPTA AD EMNVM.

BElla parant, inquis, nobis infeſta Papiſtæ,
Meq̃ quid hîc habeam pectoris Emne rogas.
Illum Marte velim nimium properante perire,
Qui ſaga tranquillæ præferat vlla togæ.

Me

Me iuuat aurata cinctum de more corona,
Læta ſub Auguſto pangere ſecla meo.
Me iuuat arborea cytharam increpuiſſe ſub vm-
Cõmoda quæ pacis plebe probante canat. (bra,
Si tamen incipient funeſti incendia belli,
Quos vrit nimium ſanguinis iſta ſitis.
Non ſat erunt vna ſeptem mihi luce Papiſtæ,
Sanguinis hîc auidas dicar habere manus.
Nec ſat erit iugulare mihi, mactare iuuabit,
Non aliter debent impia turba mori.
Vt tamen haud opto, ſic fortis poſſe vocari,
Sic ne ſit quiddam tale neceſſe precor.

ELEGIA XX.

AD D. VRBANVM RHEGIVM.

Hegie Muſarum memori digniſſime verſu,
Nuper amicitiæ fœdere iuncte mihi.
Quem ſacer æterno dignatus Daphnide Phœbus,
Iuſſit adhuc puerum vatis habere decus.
Aurea quem iuuenem facundæ copia linguæ,
Per Ciceronæas, Rhetora fecit opes.

Qui nunc ingenio magno rerumq́ perito,
Illustras summi dogmata vera Dei.
Suauibus exemplis memoriq́ tenore locorum,
Cœliferam populo docte probare fidem.
Qualis es Occaridos Synodo mihi cognitus vrbis,
Quæ Brunone vetus de Duce nomen habet.
Talis ab Albiaeo tibi carmina missa Lyceo,
Cum mihi laudato principe iuncta legas.
Fallor an, vt relegas memorem testantia mentẽ,
Hic dignus dices qui redametur erit.
Tu tantum relegas, ego te dixisse putabo,
Sic iubet ingenij gratia summa tui.
Maius at interea pignus meditabor amoris,
Virtutes siquidem cogor amare tuas.

ELEGIA XXI.

SCRIPTA AD VVOLF-GANGVM A VVERTHEIM.

Hæc tibi de Vatum muuuſcula mittimus hortis,
O iuuenis patriæ ſpes & alumne tuæ.
Dignus eras pridem facta VVolffgange corona,
Sed tibi nos flores vnde ſit iſta damus.

Floribus

Floribus inuenies mixtas redolentibus herbas,
Inuenies teneris lilia mixta roſis.
Quæ neq; Solis equi, nec adurant frigora Cauri,
Hinc poteris capiti texere ſerta tuo.
Si tamen ex æquo non omnia grata videntur,
Verſicolor forſan forma placere poteſt.
Nam ſua diuerſas commendat gratia formas,
Nec ſua ſimplicitas præmia ſemper habet.
Sic facies totum commendat diſcolor annum,
Ver decorant flores, frigore candet hyems.
Sed tibi qui vario mittit pro munere flores,
Munera cur illum grata dediſſe neges?

ELEGIA XXII.
SCRIPTA DE ENYALIO CANONICO MOGVNTINO: Eſt autem hiſtorica.

IOEta frequentabant raſi conuiuia myxi,
Quâ iungit Rheni flumina Mœnus aquis,
Qui Canones ſimulant, & aſoti cætera viuunt,
Et paſcunt populi ſanguine ventris onus.
Vt caluêre mero: reliquos qui exceperat hoſpes,
Ebrius hos madido reddidit ore ſonos.

Quid tamen audistis, quam spem proponit Enyo,
Quantum de Synodo dicitur esse super?
Quando erit vt videam victricibus acer in armis,
Hæreticos tandem succubuisse Duces.
Pace sumus miseri, spes pendet ab omine Martis,
Ille decus nostrum restituisse potest.
Aduersis vtinam liceat concurrere telis,
Quolibet hîc sæuo sæuior esse velim.
Vt sit Alexandro similis virtutibus Hessus,
Non metuam huic fortes conseruisse manus.
Neué diu verbis teneam vos credite rebus,
Pectoris inuicti signa probanda dabo.
Parte domus summa, belli quorum indiget vsus,
Ordine dispositas Martis habebat opes,
Euolat, & corpus fulgentibus induit armis,
Et framea dextram munit & ense latus.
Edit & in tignis ficta spectacula pugnæ,
Quassat & ingenti domata tota sono.
Et sibi quos ferro prosternat fingit, vt Aiax
Pro forti miserum strauit Vlysse pecus.
Mente putant captum tricliniaq; obice claudũt,
Ille tamen qua se liberet arte videt.
Nec mora fasciolas sectis lodicibus aptat,
Se quibus ex alto mittere certus erat.
Fata viam fallunt, rupitq; ligamina pondus,
Et miser in duram præcipitatur humum.

Tam

Tam pius Heſſiacum caſus ſeruauit Vlyſſem,
Quo ſibi cauſa Aiax vt moreretur erit.
Impia Pontificum quid ad hoc tibi turba vide-
Incipe, ſi bellum te iuuat, omen habes. (tur,

ELEGIA XXIII.

SCRIPTA AD EOBA, NVM DE PSALTERIO SVO.

HEſſe ſacroſanctas animum decorate per artes,
Nec noſtro tantum carmine digne cani.
Grande quod Aonio Muſarum munere verſu,
Chriſtidos exornas relligionis opus.
Conſulis hinc animæ certa famæq; ſalute,
Nec ſinis extremo funere vtramq; mori.
Ah pareat quiſquis ſtimulante libidine captus,
Tam ſancta ad turpes vtitur arte iocos.
Illa creaturas inter non infima rerum,
Nata creatorem pſallat vt ante Deum.
Materiam ſuperos habet, & diuina canendi,
Per quæ maieſtas conſpicienda Dei eſt.
Perge igitur ſtudijs aſcendere talibus aſtra,
Quam cupis in terris gloria parta tibi eſt.

ELEGIA XXIIII.

SCRIPTA AD PHILIPPVM MELANTHONEM, QVA deplorat contemptum artium.



Tu quem primus miratur & vltimus orbis,
Quid præter famam docte Melanthon habes.
Te duce cum duplicis vigeat facundia linguæ,
Non tamen inuidia non tamen hoste cares.
Te quoq; traducit, namq; impetit ardua liuor,
Et tibi pro meritis gratia rara redit.
Hei malè nobilibus præsunt hæc secula Musis,
Artibus ingenuis rarus habetur honor.
Felix à teneris qui nullas imbibit artes,
Quem videt & rerum curua senecta rudem.
Ille aciem mersus suaui caligine mentis,
Nil nouit vitæ præter agrestis opes.
Nec populi fasces curat nec limina regum,
Ocia priuatus sub lare tutus agit.
Non gemit offensi placandam principis iram,
Non aulæ fastus inuidiamq; timet.
Rura colit, ruriscq; deas, nemorumq; recessus,
Sat celebris, pastas doctus & inter oues.

Ite

Ite procul miseræ cytharasq́ infringite Musæ,
Conditio vitæ est optima, scire nihil.

ELEGIA XXV.

SCRIPTA AD IOACHIMVM CAMERARIVM.



Te Dcæ Graiæ, comitantibus ite Latinis,
Mitia sic vobis tempora pacis cant.
Nomine pauca meo celebri date carmina vati,
Qui graue de Domini robore nomen habet.
Qui dulci à matris vos Helladis vbere pulsas,
Hospita Theutonidos ducit in arua plagæ.
Vestraq́ victuris committens nomina chartis,
Facundo Graium vindicat ore decus.
Dicite Stigelius cupida tibi mente precatur,
Hospes vt huc fausto sidere saluus eas,
Sic mihi sic Musas pro te Ioachime vocanti,
Attica nulla venit, nulla latina venit.
Quæ sit caussa rogas, caussa est quòd ego auguror
Numen in amplexu dulce foucre tuo. (omnes,
Hoc tamen effusum sincero è pectore carmen,
Pro candore tuo non renuisse velis.

Gratulor

Gratulor allatum gelidi ſtridore Nouembris,
Te duras hyemis non habuiſſe vias.
Quòd ſi etiam hoc animo mihi te lucrabor amicũ,
Grandia non malim diuitis æra Midæ.
Scilicet argentum teritur, conſumitur aurum,
Perpetuum nomen fidus amicus habet.

LIBER II
ELEGIARVM.

ELEGIA I.
SCRIPTA AD CASPARVM KVRSNERVM, CONSVlem Annæmontanum, quæ continet dedicationem Epigrammatum ſacrorum.

INdidit humanis diuinum mentibus ignem,
Indidit ingenium iudiciumq́ Deus.
Vt poſſent verum memores agnoſcere cultum,
Per quem maieſtas eſt celebranda Dei.
Inde boni ratio falſiq́ acerrima iudex,
Ad cœlum varias eſt meditata vias.

Donec

Donec ab aſsiduo meditatio doctior vſu,
Semina diuerſis artibus alma dedit.
Quarum eſt noticiam Domini illuſtrare potentis,
Atq; creatorem tollere laude Deum.
Hinc eſt quæ numeris, hinc quæ docet omnia pun-
A quibus ars omnis cætera nomẽ habet, (ctis,
Quas meritò geminas ſapiens Plato cõdidit alas,
Quæ noſtros animos ardua ad aſtra vehant.
Inde eſt aſtrorum varios quæ noſcere motus,
Intima quæ cœli templa videre docet.
Inde eſt Harmonicis quæ cantibus omnia mulcet,
Inde etiam numen nata Poëſis habet.
Quælibet æternæ monſtrat veſtigia mentis,
Auctorem nobis & monet eſſe Deum.
Pangere diuinas generoſa Poëtica laudes,
Officium inprimis vendicat eſſe ſuum.
Sic diuina Deo decantat carmina Moſes,
Harmonicis ſuetus verba ligare modis.
Sic ſonat ad Cytharam numeroſis verba Camœ-
Ieſsides memori dum canit ore Deum. (nis,
Nec quod cauſa animi laudat, quod inania fingat,
Tam leuis hanc quiſquam nomen habere putet.
Nomen habet vigili quod cogitet omnia ſenſu,
Semper in æthereas ingenioſa domos.
Me miſerum, infœlix Vates hoc tempore nomen
Quod malè non meritis audit vbiq; ſuis.

Quid

Quid tamen hoc refert? per se res optima certè
Labe sed externa cogitur esse nocens. (est,
Nulla adeò res est ciuili commoda vitæ,
Quam non transuersam degener vsus agat.
Pascitur vt certam præstet medicina salutem,
At dantur medica sæpè venena manu.
Vt ius cuiq; suum tribuat, nec deroget vlli,
Assiduus discit iura verenda labor.
Liberat à pœnis, tamen is quoq; sæpè nocentes,
Pro trepidis paruo qui meret ære reis.
Nulla igitur certa, nec culpa nec error in arte
Solus & inuisam qui facit vsus abest. (est,
Tot vel vt inuitis furentur carmina Musis,
Versibus obstreperi circa Helicona volant.
Quot volitant circum segnes alueâria fuci,
Vt vigilum cellas depopulentur apum.
Illi prostituunt venerandam turpiter artem,
Inq; odium inducunt inuidiaq; grauant.
Hos meritò damnat magni vox æqua Platonis,
Et procul officijs vrbis abesse iubet.
Ac veluti causſam iustæ in se præbuit iræ,
Ad Ponti gelidas Naso fugatus aquas:
Sic digni fuerant Scythicas potare Lacunas,
Qui tantum ad luxum scribere carmẽ amant.
Naso dabis veniam, talem te miror amoq;,
Ingenium nugis prostituisse queror.

Hei

Hei pereant ipſi ſi ſcribant fœda Marones,
Ingenuus Vates vtile condat opus.
Vtile ſed non eſt, molles quod palpitat aures,
Gratia quod tantum blanda venuſtat opus.
Qualia Syrenas patrijs cecinisſe ſub vndis,
Suauis Vlyſſeo carmine Muſa refert.
Iuſta rei carmen quod non commendat honeſtas,
Eſt animi à Muſis degenerantis opus.
Quis tamen inficias ierit debere Poëma,
Triſtia iucundis corda leuare modis?
Et prodeſſe poteſt, & delectare Poëſis,
Vtilitas aliquo nulla lepore vacat.
Sit prior vtilitas vitæ, iucunda ſequatur
Gratia, quæ numeros non ſinat eſſe rudes.
Carmina diuinas debent contexere laudes,
Noticiam in populis & celebrare Dei.
Carmina ciuili præcepta ſalubria vitæ,
Et quæ ſint nitidis moribus apta canant.
Carmina turbatæ diſſoluunt nubila mentis,
Suauibus & numeris pectora mœſta leuant.
Hinc tibi facundæ contingit gratia linguæ,
Eloquij neruos docta Poëſis alit.
Adde quòd ingenuas conſeruat & aſſerit artes,
Eſt quibus ad cauſſam relligionis opus.
Nec rectè agnoſcet variantem cuncta Sophiſtã,
Hac qui non aliàs fecit ab arte gradum.

Non

Non igitur ſtudium damno, ſed abominor vſum,
Conueniens arti debet is eſſe ſuæ.
Ergo nec inuiſum doctis nec inutile carmen,
Me, ſacra dum ſcribo, compoſuiſſe reor.
Omnibus officium eſt Chriſtum commune canen-
Qui turba illius morte redempta ſumus. (di,
Naſcimur hoc omnes, hoc nomine viuimus om-
Per nos vt fiat gloria nota Dei. (nes,
Nec caret exemplo noſtræ hæc audacia Muſæ,
Et quibus auxilijs ſe tueatur habet.
Imparibus numeris Dauidem reddidit Heſſus,
Et ſtudij laudes & pietatis habet.
Atq; vtinã hanc telam non turba retexat eorum,
Aucupio famæ quos agere acta iuuat.
Quæ ſic aſſequitur cantantem verſibus Heſſum,
Vt curſu celerem cochlea tarda Tygrim.
Sunt qui ſcripta graui vadãt per ſacra cothurno,
Grande iubet doctis quos ſua Muſa loqui.
Vindicis Hiſtorias & facta ſalubria Chriſti,
Facundo celebris reddidit ore Vidas.
Nec niſi quòd nimio tractauit cuncta lepore,
Vllius is culpæ dicitur eſſe reus.
Sunt quos ſacra iuuat Plautino ludere verſu,
Cui populos tenui ſedulus aure vacat.
Et meus hîc mecũ Rubigallus concinit Hymnos,
Dum ſequimur venam magne Philippe tuam.

Adde

Adde quòd excuſant audax hæc tempora cœptũ,
Publicus hoc paſsim poſtulat vſus opus.
Namq; age quãdo magis fuit hæc tractare neceſ-
Quàm nunc cũ recti frigeat omnis amor? (ſe,
Impia diſsidijs agitat petulantia mundum,
Et minima eſt verum cura timere Deum.
Omnia iam retrò tentant ſublapſa ruinam,
Omnis & ad finem ſpectat origo ſuum.
Quid reſtat miſeris? ſua quàm peccata fateri,
Contritoq; animo velle placere Deo?
Et ſeſe ad certam placidè componere mortem,
Scireq; ſupremum non procul eſſe diem.
Qualiacunq; vides non hæc ſic luſimus vltrò,
Ludere ceu multum libera Muſa ſolet.
Dum complexa graue damus hæc Epigrammata
Quem recitat feſto concio quæq; die. (ſenſum,
Officium volumus docili præſtare iuuentæ,
Nec vanum hoc, quamuis vile, putamus opus.
His velut indicibus, ſacri ad penetralia verbi,
Progreditur recta mens meditata via.
Hac mea ſe quamuis poterat ratione tueri,
Vt cœptum ad populum Muſa referret opus.
Cura tamen certi fuit imploranda patroni,
Sub cuius poſſet tuta fauore legi.
Dumq; alios animo complectimur vndiq; Caſpar
Clare vir, ante oculos primus & vnus eras.

Nam quia laudata ciues ratione gubernas,
Et tanto dignum consule nomen habes.
Asseris & vero cœlestia dogmata vultu,
Scripta dicarentur cui sacra, dignus eras.
Namq́ tuum vt referam veræ pietatis amorem,
Hîc studij ratio postulat ipsa tui.
Intima mirandæ dum lustras viscera terræ,
Et loca solerti cognita multa manu.
Naturæq́ Deo famulantis munera cernis,
Et varias anni sub ratione vices.
Dum reputas, aqueo vis vt fumosa vapori
Addita, per terræ membra fouentis eat.
Temperieq́ sua passim, cœliq́ calore
Cocta, metallosum tempore fiat opus.
Vtq́ eadem admixto vibratas sulphure venas
Ducat, & argenti semina lenta trahat.
Iam propiore Deum cognoscis mente, videsq́
Omnia quòd solus possit & vnus agat.
Annua qui certo distinguat tempora motu,
Vt sua diuersis semina rebus eant.
Quiq́ anima infusa, subiectum temperet orbem,
Corporaq́ æthereis inferiora regat.
Nec dubites illi quin sint mortalia curæ,
Qui sic è donis lucet vbiq́ suis.
Et tibi cum dederit vitæ ornamenta modestæ,
Fortunæ largas dexterioris opes.

Ipse

Ipſe bonis animi fortunæ munera cenſes,
Acceptumq́ Deo munus vtrumq́ refers.
Quoq́ frui debes fortunæ intelligis vſum,
Det Deus aut minuat, gratus vtrumq́ probas.
Nec ſibi deeſſe tuum queritur Reſpublica fru-
Cultoresq́ pium te pietatis amant. (ctum,
Subleuat ingenuas tua munificentia Muſas,
Quas odio hoc miſero tempore diues habet.
Fœlicem ſtudijs qui talibus exigis æuum,
Quem ſua tranquillo ſub lare vita fouet,
Qui facis id, fieri per te quodcunq́ neceſſe eſt,
Nec malè te externis ingeris officijs.
Sed procul auſteris viuis ſeiunctus ab aulis,
Miſcet vbi aſsiduus cuncta dolore labor.
Ipſe tuas inter ciues tua gaudia ciuis
Et bona quæ poſsint vera decere, tenes.
O vtinam tales plures Reſpublica ciues
Gigneret, in laudes hîc & vbiq́ ſuas.
Nec bona pars ſtudijs inhiaret inanibus, omni
Omne hominum docti vincere fraude genus.
Creuit in immenſum plebeiæ induſtria fraudis,
Et dolus inuita nomen ab arte trahit.
Nec ſeruit pietas niſi quam ſua lucra ſequuntur,
Lucra animæ exitium, vincula lucra mali.
Et niſi pro officio, quæ fœnerat vtile, virtus
Aut nulla aut monſtro rarior eſſe ſolet.

Nil adeò vile est, quod non violetur ab illis,
Quorum agitat nummi corda siniſter amor.
Sed valeant pereantq́ simul, bona vera tueri
Nos decet, ingenijs gaudet adesse Deus.
Cum tibi concilias igitur pietate fauorem,
Te meritò Muſis dedita turba colit.

ELEGIA II.

SCRIPTA IN PRAELECTIONEM HESIODI.

CRas vbi Sol radijs octauam adduxerit horam,
Ordiar Aſcræi nobile Vatis opus.
Dum fuit Aonidum celebrans Helicona ſacerdos,
Hæc fido populis edidit ore ſuis:
Aurea iuſticiæ commendat tempora vulgo,
Virtutisq́ ſacro carmine monſtrat iter.
Cuius amara licet primum ſit & aſpera radix,
Fruge tamen dulci munera ferre ſolet:
Deinde docet rerum varias cognoſcere cauſſas,
Quasq́ parit miras terra fretumq́ vices.
Deſcribit nitidum variantia ſidera cœlum,
Tempore quo ſurgant, tempore quoué cadant.

Atq́

Atq; homines rerum varios hortatur ad vſus,
Nam graue ſæpè ſolent ocia ferre malum.
Ergò Pierias iuuenes qui diſcitis artes,
Hæc verſate crebra carmina ſacra manu.
Nec vos commoueat terras quòd ſpreta per om-
Lugeat Aonijs turba nouena choris. (nes,
Quas rude iam noſtro contemnit tempore vulgus,
Cui ſua barbaries pœna ſatis grauis eſt.
Hinc antiqua ſuum laudarunt ſecula Vatem,
Laudibus hunc cecinit virq; puerq; ſuis.
Vos quoq; tam ſanctum ſuper æthera ferre Poë-
Voluereq; aſſidua mente manuq; decet. (tam,
Exiguo liquidas haurite ex fontibus vndas,
Et plenas tenuis ſumite fontis aquas,
Fontis aquas tenuis, ſed quas nec Lydius Hermus,
Nec Tagus auriferis vincere poſſit aquis.

ELEGIA III.

SCRIPTA DE GENE-THLIACO PHILIPPI, FILII

Clariſſimi viri, Franciſci Vinarienſis, Præceptoris Stigelij.



N optata diu cœlo deluxit ab alto,
Omine fœlicis ſyderis orta dies.
Illa dies toties ab vtroq; petita parente,
Speratum tandem ſuſtulit orta caput.
Nunc gaude Franciſce tuis doctiſſime votis,
Gaudia ſunt votis vberiora tuis.
Quem toties ſuperos precibus votusq; petebas,
Omine fœlici naſcitur ille tibi.
Aſpice vt è cunis blanditur ad ora parentum,
Neſcio quid facies inſtar amoris habet.
Reijce, ſi qua mouent triſtes tibi pectora curæ,
Hæc te ſollicitum non ſinit eſſe dies.
Sicut difficile eſt animum non prodere vultu,
Si quid in aduerſis fata ſiniſtra nocent.
Sic neq; crediderim celari gaudia poſſe,
Si quid in optatis dextera fata iuuant.
Sparge domum violis, & amœni gramine campi,
Et fument tepidis thura Sabæa focis.
Feſtaq; ſuſpenſis ornentur tecta corollis,
Fragret & in mediis ſpica, Cyliſſa roſis.
Fulgeat aulæis paries pictiſq; tapetis,
Et niteant cultu cuncta parata ſuo:
Hæc ego dum moneo dulces Helicone relicto,
Aſſant Aonides ad tua tecta Deæ.

Accin-

Accinctæq; ſuis plectris cytharisq; canoris,
Ante tuas ædes iubila feſta canunt.
Et ducunt agiles ſolito de more choreas,
Gratantes nato fata benigna tuo.
His ſe addit ſocium, cytharaq; inſignis & arcu,
Inſtaurans ſacros Cynthius ipſe choros.
At Catharina parens, crebras ad ſydera grates
Iactat, legitimi pignore læta thori.
Dumq; foues gremio paruũ, tua vota, Philippũ,
Creſce mihi atq; diu viue ſuperſtes, ais.
Oſculaq; inſeruis blandis ſuauiſſima verbis,
Quæq; vides illum non dare poſſe, rapis.
Aſtant ad cunas Charites, puerumq; ſalutant,
Et prior officijs quælibet eſſe cupit.
Suſcipit hæc illum mergitq; ſalubribus vndis,
Dumq; lauat, fati numina fauſta canit.
Altera faſciolas & lintea mollia præbet,
Tertia ſternendis eſt operoſa thoris.
Has videt, his placidis infans arridet ocellis,
Sic grates illum reddere velle putes.
Fortunate puer docti pietate parentis,
Fulſit in exortus ſtella benigna tuos.
En gratante tibi reſonat clamore Cytheron,
Pegaſis & ſolito dulcior vnda fluit.
Et fœcunda Ceres medijs tibi ridet in aruis,
Et præbet plena ſpicea ſerta manu.

Dulce magis ſolito modulatur in aëre carmen,
Blanda gemens miſerum Daulias ales Itym.
Læta tibi varijs ſe prata coloribus ornant,
Et præbet virides arbor opaca comas.
Purior à ſummo delabitur æthere Phœbus,
Et tibi gratantes menſis & annus eunt.
Menſis adeſt quem pulchra Iouis ſibi vendicat
Quo peragrãt Cancri ſydera Solis equi. (vxor,
Aſpice cœruleo procedit ab æquore Titan,
Lucifer & roſeo prouocat ore diem.
Hic tibi naſcenti fœlices depluit auras,
Natali præbens omina fauſta tuo.
Aurea cum geminis aſcendit Cynthia cœlum,
Et vultu ſolito lucidiore nitet.
Hos cum Mercurio ſequitur Ioue natus Apollo,
Qui ducunt ſocio ſydera iuncta gradu.
Omnia fœlicem ſpondent tibi ſydera vitam,
Et ſecum cœlo proſpera fata trahunt.
Quare agè, chare puer, creſcas fœlicibus annis,
Et vitam fauſta luce ſuperſtes, agas.
Magnũ eſt, quòd dederit pro te pia vota Luthe-
Cum ſacræ fueras fonte lauandus aquæ. (rus,
Quòd dederint magni nomen tibi fata Philippi,
Perpetuum fauſti ſyderis omen erit.
Hi pro te ſtantes onerabunt æthera votis,
Vt ſeruent vitam proſpera fata tuam.

Vtq

Vtq́ sacras artes primis mireris ab annis,
Inq́ tui fœlix facta parentis eas.
Hinc vbi firmarit te iam maturior ætas,
Ingenijq́ bonis dotibus auctus eris.
Et benè iam poteris quæ sit cognoscere virtus,
Naturam deceant quæ bona, quæué mala.
Tunc pater incipiet vitæ præscribere leges,
Perget & ad cœlum dicere quâ sit iter.
Illius inprimis monitis parere labores,
Omniaq́ illius ceu sacra iussa colas.
Hic te Parnassi deserta per ardua ducet,
Et tibi speratam sternet ad astra viam.
Ille per assuetus calles tibi præuius ibit,
Ipse sed ignotum pone sequeris iter.
Donec te expertumq́ viæ rerumq́ peritum,
Comprendens summi sistet in arce iugi.
Tunc quidquid peperit longis edoctus ab annis,
Nominis & famæ tradet id omne tibi.
Sic fœlix patrij clarescès nominis hæres,
Post illum patrij gloria prima soli.

ELEGIA IIII.
SCRIPTA AD D. PHILIPPVM MELANTHONEM.



Sic tibi ſyderei faueant miracula cœli,
E quibus elucet dulcis imago Dei.
Mutua ſic præſens tibi præbeat oſcula Chriſtus,
Prouehat & vitam chare Philippe tuam.
Sæpius vt plenis commendas oſcula votis,
Quæ dare nos illi pſaltria Muſa iubet.
Ah ſapite & tandem moniti reſipiſcite reges,
Quos aliqua populi ſub ditione timent.
Suſcipite vnanimi cœleſtem fœdere natum,
Illius & ſanctis oſcula ferte genis.
Oſcula ferte illi tantumq; agnoſcite Regem,
Illi ferte pio gaudia veſtra metu.
Quàm benè te prodis Pſaltes ſanctiſsime, cum ſic
Ad verum inuitas pectora noſtra Deum.
Talis Ieſſæum decuit reſonantia plectrum,
Quid poterat tanto ſuauius ore cani?
In vitam æterna qui nos à morte recepit,
Hei mihi quam tali carmine dignus erat.
Quidquid in immenſo pretioſum aut nobile mun-
Naturæ dici conditione poteſt. (do,
Vilius eſt, vllo quam quòd compenſet honore,
Munera quæ populis præſtitit ille ſuis.
Humani generis cum fundamenta locaret,
Iamq; duos vnum iuſſerat eſſe Deus.

Indidit,

Indidit illorum cœlesti in pectore lucem,
Noticiæ infundens semina certa suæ.
Et vitæ præcepta dedit, veræq́ salutis,
Seruata iussit lege tenere viam.
Illi autem illustri præsentem mente videbant,
Atq́ animo ardebant non dubitante Deum.
Omnia præstabat nondum vitiata voluntas,
Quæ credas ipsi posse placere Deo.
Indoluit meritis damnatus Apostata pœnis,
Nunc quoq́ sæua pijs qui mouet arma Sathan.
Vtq́ simul mendax homicidaq́ crimine gaudet,
Insidias miseris qualibet arte struit.
Ille voluntatem deluso in pectore fregit,
Grata creatori quæ fuit ante Deo.
Tum primum humanæ fatua inclinatio mentis,
Deficit heu summo facta odiosa Deo.
Hei quantum toti nocuit tunc vnica mundo,
Insidijs Sathanæ fœmina facta nocens,
Iamq́ odijs mutatur amor, iam mentis hebescit
Ante nitens acies, fit metus ante fides.
Friuola diuina pugnat cum lege voluntas,
Et dubitat verum qui iuuet esse Deum.
Ante oculos meliora vident, peiora sequuntur,
Et duce mortiferum fit ratione nephas.
Ergò Deus iustam vindex accensus in iram,
Exigit æternæ mortis vtrunq́ reum.

Continuò

Continuò ærumnæ miseros duriq́ labores
Excipiunt, vitæ duraq́ fata premunt.
Cernitur ante oculos æternæ mortis imago,
Et spes amissa fracta salute iacet.
Nec munus effectum, quæ crescite dixerat illis,
Magna creatoris lingua potentis habet.
Quantùm ætas, tantùm sobolis quoq́ copia crescit,
Atq́ implent patriam pignora multa domum.
At miseram patrio turbam miseratus amore,
In veniam differt fata seuera Deus.
Promissiq́ leuat nati pietate dolores,
Et iubet infracta vincere damna fide.
Inde diu præbens miseræ solatia culpæ,
Seruata à patribus spesq́ fidesq́ fuit.
Donec vt à pœnis damnatum liberet orbem,
Filius ætherea venit ab arce Deus.
Qui dum morte studet lapsam reparare salutem,
Hei quas ærumnas, vulnera quanta tulit?
Corporis humani mortales induit artus,
Ex homine & patrio numine natus homo.
A culpa vacuus vitioq́ alienus ab omni,
Supplicio immerito crimina nostra luit.
Vtq́ sacras veterum ritu mactandus ad aras,
Sanguinea patiens concidit agnus humo:
Omnia sic tolerans blasphemæ opprobria gentis,
Mortem ipsam doctus vincere morte fuit.

Vim

Vim Sathanæ eripuit nequidquam dira frementi,
Lædere non aliqua poſsit vt arte pios.
In genus humanum veterem renouauit amorem,
Conditor adfectus quo fuit ante Deus.
Imperiumq́ ſuum toto inſtaurauit in orbe,
Luceat vt veri rurſus imago Dei.
Quis ſatis hoc meritum Rhetor ſermonibus ornet?
Quis ſatis hoc vlla laude Poëta ferat?
Siue illi puero facundæ nuncia linguæ,
Os vigilans dulci melle replerit apis.
Siue propinantes illi ſua flumina Muſæ,
Obtulerint promta pocula plena manu?
Ah nihil hîc Rhetor, nil ſunt niſi fabula, Muſæ,
Hic omnis Clariæ copia friget aquæ.
Vt celebrare omnes tantum debemus amorem,
Sic efferre ſatis nulla loquela poteſt.
At talis tantusq́ Deus, qui talia geſsit,
Qui ſine principio eſt, qui ſine fine Deus.
Non amat imbutas extis fumantibus aras,
Quæq́ ſoncnt calidis thura cremata focis.
Edita magnificis non vult ſpectacula ludis,
Muneraq́ antiquæ qualia gentis erant.
Oſcula ſi dederis huic talia, qualia debes,
Hæc adſertori ciuica ſola placet.
Et ceſſamus adhuc plenis ſtillantia labris
Porrigere, & tanto baſia ferre Deo?

Cur

Cur non excipimus totis amplexibus illum,
Pro meritis qui tam mitia dona petit.
Hei pudeat toties blanda nos voce vocatos,
Quæ properent celeres non habuisse pedes.
Verum hic non opus est pedibus, nec talia debent
Oscula præberi, qualia fingit homo.
Ah non sunt, cupidæ natus dat qualia matri,
Aut fratri iungit qualia blanda soror.
Nec tantum à castis debent procedere labris,
Sed puri potius pectoris esse decet.
Nam quicunq; suæ deplorans pondera culpæ,
Certus ab hoc uno uindice poscit opem.
Ardentiq; fide Christo constanter adhæret,
Illius & toto pectore iussa facit.
Is sua victori fert oscula, qualia poscit,
Is iungit placido pectora chara Deo.
Hei mihi quàm pauci præbẽt sic oscula Christo,
Præberi ut vera relligione decet.
Non hoc sanguinei rabies facit impia Turcæ,
Saluificum Christum qui negat esse Deum.
Damnatumq; animum Stygia caligine mersus,
Impia blasphemo milite bella mouet.
Funera funeribus cumulare, & fundere campis
Sanguineos fluctus instar euntis aquæ.
Supplicijs ciues, urbes excindere flammis,
Omniaq; impositio tollere iura metu.

Et

Et vim matronis, & ſtuprum inferre puellis,
Et turpi obſcœnas cæde lauare manus.
Captorum ſobolem mactare ante ora parentum,
Excruciare illas nec trucidare tamen.
Cumq; pijs Chriſti diuinum extinguere nomen,
Hoc fidei tantùm vindicis eſſe putat.
Neſcius hei quantum cœli ſibi concitet iram,
Quem lædit, tantum non videt eſſe Deum.
Qui natus meus es, meus es tu filius, inquit,
Nil tibi noſtra manus larga negare poteſt.
Omnia ſubijciam vaſtum tibi regna per orbem,
Hæres & dominus totius orbis eris.
Sternit vt alliſis figulus vas fictile teſtis,
Per medias ſpargens fruſta minuta vias:
Sic tua diſijciet, ſic conteret ira Tyrannos,
Qui renuunt ſceptri iura verenda tui.

ELEGIA V.

QVAE CONTINET QVE-RELAM ANDROMACHÆ interfecto Hectore: ex declamatione Libanij Sophiſtæ, carmine reddita.

Ergò



Ergò dies venit, venit lachryma-
bile tempus,
Quod mihi lætiferi cauſſa do-
loris erit.
Accidit euentus quem ſemper mœſta timebam,
Cum primùm hæc bellis alea iacta foret.
Quàm mihi tot miſeras memini portẽdere noctes,
Dum iacet in viduo fœmina mœſta thoro.
Deſinat ah ſi quis temeraria ſomnia dicit,
Eſſe meo didici ſomnia vera malo.
Sed tamen admonui, quantum pia debuit vxor,
Et dixi in pugnas cautius Hector eas.
Ah quoties Danaos cum ſeſe armaret in hoſtes,
Deficiens tremulo poplite lapſa tui.
Ah quoties, parcas tibi, vir clariſsime, dixi,
Fata omnis miles aſpera fortis habet.
Ille tamen præceps generoſa mente ruebat,
Ah res eſt vitæ prodiga, laudis amor.
Nunc iacet exigua dux ingens Hector arena,
Quo maior patriæ principe nemo fuit.
Nunc animus tantus vacuas exceſsit in auras,
Qui plena patriam laude repleuit humum.
Nec tamen huic nato mecum fundente querelas,
Contigit in manibus claudere fata meis.
Occubuit ſæui manibus laceratus Achillis,
Huic licuit patriæ perdere tale decus.

Nec

Nec mihi phas animæ cupido legere ore fauillã,
Abluere aut madida vulnera cruda manu.
Nec mihi phas oculos inuita claudere dextra,
Quod potui, & ſumma dicere voce, Vale.
Ille quòd ante diem, crudelibus occidet armis,
Hoc Priamo certi funeris omen erat.
Hoc erat exequijs omnes immergere fratres,
Hoc ſuprema Hecubæ fata parare fuit.
Hoc erat impendens natoq; mihiq; ſepulchrum,
Dardaniæ certum funus id vrbis erat.
Ille tuebatur populoſæ mœnia terræ,
Ille fuit populis portus & aura ſuis.
Quis nunc Argolicas arcebit ab vrbe Phalãgas,
Quem penes huic patriæ cura ſalutis erit?
Quid totum imperiũ eſt niſi triſtis imago ruinæ?
Eſſe tamen certi ſi quid imago poteſt.
Exilium ante oculos, præſens ſunt omnia funus,
Spes ſimul amiſſa fracta ſalute iacet.
Aſt ego quid lentam non rumpo miſerrima vitã,
Inuida cur vitæ conſpicor aſtra meæ.
Vt ſint quæ ſimili fortaſſis clade laborent.
At mihi conferri fœmina nulla poteſt.

ELEGIA VI.

AD D. FRANCISCVM VI-NARIENSEM VICECANcellarium Electoris Saxoniæ.



Alsa Lycaonij dum sulcas marmora ponti,
A nobis faciens grande remotus iter.
Plaustraq; vertentem spectas è puppe Booten,
Et cœli è medio colligis axe gradus.
Mœsta domi coniunx vt tu Franciscе valeres,
In viduo votis est operata thoro.
Cura nec impexos erat huic ornare capillos,
Nec tristes nitida cingere veste sinus.
Albis & Oceanus, Boreasq; niualis & Arctos,
Huic metuenda ipso verba fuêre sono.
Sæpè aliquis de te cum mitia fata rogaret,
Protinus ad nomen palluit illa tuum.
Pro te tot fecit puerilia vota Philippus,
Barbara tot gemitus, tot Catharina dedit.
Hoc famulæ, hoc serui fecêre, grauemq; dolorem
Vestra suæ dominæ tota imitata domus.
At benè consuluit Deus æquus amantibus illis,
Fama est incolumem te redijsse domum.

Iam

Iam poſitis fiant celebrata chariſtia menſis,
Quantus odorato luceat igne focus.
Iam teneri circum pendent tibi brachia nati,
Iam coniunx reducis pendet ab ore viri.
Aduentum reducis fidi gratamur amici,
Laudamusq; tuæ mitia fata moræ.
Excipitur tecum rediens prudentia rerum,
Quæ te per longas eſt comitata vias.
Sic quondam Theſeus, ſic eſt exceptus Vlyſſes,
Et quicunq; domum per mare fecit iter.
Fœlix qui mundi mores cognouit et vrbes,
Vera bona ante alios quæ tueatur, habet.
Multarum hæc rerum ſic cognitione parantur,
Meſſis vt è varijs accumulatur agris.
Surgit vt ac creſcens è mille coloribus Iris,
Pluribus vt fluuius fontibus auctus abit:
Sic rerum vario prudentia creſcit ab vſu,
Et contenta ſuis eſt animoſa bonis.
Hæc niſi ſubiectas præſit moderantibus vrbes,
Publica ſeruari commoda nulla queunt.

ELEGIA VII.

SCRIPTA AD EVNDEM



Hic quoq; magnanimo quando tibi
principe coram,
Materiem fandi mollior hora
dabit.

Musarũ Franciſce potens, comes inclyte Phœbi,
Eloquium iubeas pondus habere tuum.
Quod quoniam externis longè celebratur in oris,
Quis neget in patria poſſe valere ſua?
Quanta tuæ currant facundæ flumina linguæ,
Magnorum nouit Regia multa Ducum.
Quorũ ad captandas cum te tulit impetus aures,
Hoc iurem Muſas more ſolere loqui.
Experis Arctoum quali dulcedine Regem,
Fortis adhuc memori mente Polonus habet.
Nec tua cœruleum laus ignoratur ad Iſtrum,
Qua iacet Auſtriacis magna Vienna plagis.
Hinc tibi vel magno PONTANO iudice, laus
Occinimus merita Muſica turba cheli. (des,
Eloquio cuius famulantes ætheris Horæ,
Nil ſibi ſubiecto maius in orbe vident.
Qui cœtu quoties os circumſtante reſoluit,
Verba velut fluidas fundit ab ore niues.
Conferat huc aliquis linguam prudentis Vlyſſis,
Conferat huc Pylij verba diſerta ſenis.
Aut linquentem animis ſtimulos ſermone Peri-
Inueniet veterum fabula nulla fidem. clem.

Vt

Vt taceam reliquas quas fert in pectore dotes,
Multaq́ maiori dona ſonanda lyra.
Qualia ſunt animi virtutis ſigna potentis,
Saxonicæ Ducibus ſæpè probata domus.
Qualia conſilijs experta fidelibus, omni
Patriæ viuaci tempore laude feret.
Quæ quia ſunt maiora Elegi quàm ferre ſuerint,
Dij faciant alio tempore ferre queant.
Si mihi erunt vnquam faciles in carmine Muſæ,
Præmia tam magni nulla tacebo viri.
Verum ad te redeo, Mecœnas optime, quem nunc
Iſta vocans prima littera fronte petit.
Te duce Parnaſſi puer in radicibus hærens,
Altius aſſueui per iuga ferre pedem.
Cum tibi facundo prædiceret ore Melanthon,
Si puer hic perget, te duce clarus erit.
Ah quoties dixti (nunc eſt meminiſſe voluptas)
Perge ne fœcundæ vena fatiſcat aquæ.
Tempus iners mors eſt, vires exerce iuuentæ,
Nulla niſi ex aliquo fama labore venit.
Sæpè vbi digna tuo mea ſcripta fauore probabas,
Me fateor ſtimulis incaluiſſe tuis.
Aut vbi pungebas doctis errata lituris,
Blanda mihi taciti cauſſa ruboris eras.
Ante mihi quare quàm iuſta accreſceret ætas,
Te deſiderium triſte carere fuit.

Vt primum celsæ te fama caleſceret aulæ,
Principis admonitu conditione trahi.
Nunc quoq; te factis præeuntem et dulce monen-
Hei mihi quã cupido pectore ſæpè voco: (tem,
Materiamq; affers ægrum vt conſoler amorem,
Dum cumulas meritis antiquiora noui.
Nec mihi te grauitas pompoſæ ſubtrahit aulæ,
Sim lapis ah ſi non hoc ego pectus amen:
Hoc fretus properis hæc nuper arata camœnis,
Scripta patrocinio mitto tuenda tuo.
Principe ſi tanto te iudice digna videntur,
Prouehat iſta tuus qualiacunq; fauor.
Ille quidẽ aut magnũ quo vexit Homerus Achil
Aut maiore aliquo carmine dignus erat. (lem
Fuſa tamen quàm ſcripta magis iuuenilib: annis,
Temporis hæc noſtri pro ratione dedi.
Quæ quanquam magnis ſordent fortaſſe Poẽtis,
Quorum Muſa ſolet nil niſi grande loqui.
Sat confido tamen te commendata patrono,
Auribus illius poſſe placere, Vale.

ELEGIA VII.

SCRIPTA AD REGEM DE SIGNATVM PHIL. ab Haſſenſtein.

SI te per ſortem Rex inclyte credis adeptum,
Hoc quod habes regni nomen ris omne tui,
Falleris, incerta penſat ſua munera lance,
Et cadit in varias ſors malefida vices.
Sæpius indignos in ſummas euehit auras,
Et quos debebat tollere, ſternit humo,
Ludit in humanis nullo diſcrimine rebus,
Omniaq́ incerta datq́ rapitq́ manu.
At quod te Regem fecit, non mobile ſortis,
Sed fauſtum certi ſyderis omen erat.
Quod monet, heroo quum ſis de ſanguine natus,
Vt ſtudeas animo nil niſi grande ſequi,
Hoc tibi certa tui primo natalis in ortu,
Spondebant claro ſydera vecta polo.
Crede mihi hæc taciti Legum ſunt conſcia fati,
Quod ſtatuunt finem quærit habere ſuum.
Hæc vt eant fauſto precor in tua tempora motu,
Et ducant vitæ fata benigna tuæ.
Vt benè res geſtas æques virtute parentum,
Factaq́ per patriæ fortia gentis cas.
Viue diu, ſi quid portendunt ſydera veri,
O ingens patriæ fama futura tuæ.

ELEGIA

ELEGIA VIII.

SCRIPTA AD STEPHANVM RICCIVM CALENSEM, qua significat se ex Anglia domum rediisse.



Hare mihi ante alios syncere ac candide Ricci,
Cui tribuit Dominus quinq; talenta Deus.
Post multa ætatis, post multa pericula Brumæ,
Multaq; post terræ victaq; fata maris.
En iterum incolumis patrijs sum redditus oris,
Cultaq; Magdalidos rura frequento plagæ,
Cumq; mihi agnati, cum tot gratentur amici,
Et celebret reditum littera multa meum.
Cur age lenta tuæ cessat Soteria dextræ,
Nec venit è Musis Riccias vlla tuis.
An tibi cum tantos pariat sua gesta honores,
Iudicio nomen vile Poëta tuo est.
Et cum Theologis nihil est commune Poëtis,
Dij melius, Vates cœlica turba, sumus.
Vt venerata Deum diuinum illustret honorem,
A cœlo numen nata Poësis habet.

Nec

Nec tantum numeros qui consuit, ille Poëta est,
Sed docto authorem qui canit ore Deum.
Aut igitur mittas quæ te mihi littera purget,
Aut nihil vt scribas, protinus ipse veni.
Non erit hoc aliquis mihi tempore gratior hospes,
Vt de te possim non dubitare, veni.

ELEGIA IX.

SCRIPTA AD LEONHARTVM AB ECK: CONTINET autem laudationem istius nobilis viri.

LOeta reuertuntur florentis tempora Maij,
Qui varijs cultam floribus ornat humum.
Mollibus Hesperiæ spirant adflatibus auræ,
Luxuriant campis Bachus & alma Ceres.
Rident arboribus frondes & gramina campis,
Prata voluptatis signa iocantis habent.
Flagranti redolet formosus germine campus,
Verna coloratos gratia vestit agros.
Fontanæ gelidis fumant è vallibus vndæ,
Auribus & grato murmure dulce sonant.

Vincta caput sertis & Ver amplexa maritum,
Nuda per herbosos Flora iocatur agros.
Foetibus ipsa suis natura puerpera gaudet,
Alternans animis corporibusq; vices.
Inuitat sacras oriens aurora Camœnas,
Illa soror Musis semper amica fuit.
Ipsa magistra auium resonat Philomela per hor-
Dum mouet artifici gutture dulce melos. (tos
Exempli accendit placido mihi pectus amore,
Iam iuuat arreptæ plectra mouere lyræ.
O si qua est istos Helyconis alumna per agros,
Hîc vbi Danubio prata rigante virent.
Vrbs vbi Romanis legionibus hospita quondam,
Aratium posita nomen adepta iacet.
Adsit & exigui votum dignata Poëtæ,
Inspiret numeris dulce Poëma meis.
Dum cano patronum Musis, qui stemmate claro
Nomen ab Eccana nobile gente trahit.
Fertilis arboreæ longê viret area vallis,
Qua viridem veniens sol Helycona videt.
Non huc tristis hyems, non torrida peruenit æ-
Iucundos facilis temperat aura dies. (stas,
Calcibus inuenit sacras hîc Pegasus vndas,
Cum profugum volucer Bellerophonta tulit.
Inde fluunt dulces per amœna rosaria riui,
Sacraq; muscosis fontibus antra sonant:

Humida

Humida pallentes frondent ad littora lauri,
Cumq́ hederis teneras miſcet Oliua comas.
Artifici exercent Muſæ certamina cantu,
Dum nectunt doctis præmia danda comis.
Dulcibus implentes varijs concentibus auras,
Arboreæ doctæ fronde vagantur aues.
Vnde ſuæ ſumat vires facundia laudi,
Dulce Periclææ mel operantur apes.
Huc illum è cunis ſacræ duxêre ſorores,
Vt tenera Aonijs oraꝛigaret aquis.
Hîc hauſit Clario doctos è fonte liquores,
A quibus ingenij flumina vena trahit.
Hîc puer Eloquij facundas ebibit artes,
Quæ cedro æterna dicere digna docent.
Iamq́ rudi doctus mentem ſecernere vulgo,
Egerat ætatis tempora adulta ſuæ.
Præuia Dux illum virtus amplexa, per altas
Ducebat laudis præcipitesq́ vias.
Conſilijsq́ Ducum rebusq́ admouit agendis,
A quarum pendet publica mole ſalus.
Prodidit ingenuas tum mens Heroica dotes
Quæ fuerat patriæ nata iuuare decus,
Protinus agnouit docilem prudentia mentem,
Atq́ illam placido fouit amica ſinu.
Mox rerum docuit varias expendere cauſas,
Vtilis vt rerum notitia vſus eat.

Aonas

Aonas hinc firmo complexus amore sorores,
Hæc studia inuicto nostra fauore colit.
Dulcibus acceptũ fert Musis, quidquid honoris,
Addidit ad priscæ stemmata clara domus.
Excipit ingenuos vt portus & aura Poëtas,
Et magni vatum scripta diserta facit.
Munificisq́ iuuat laudatas sumptibus artes,
Et tribuit doctis præmia larga viris.
Nomen ab assertis tulit olim nobile Musis,
Mecœnas atauis regibus ortus eques.
Hic quoq́ quod tanto Musas veneretur amore,
Mecœnas meruit temporis esse sui.
Illius æternis inscribite nomina chartis,
O omni Musæ tempore noster amor.
Officium vestrum est laudes celebrare bonorum,
Hinc nobis linguæ gratia tanta venit.
Laude Deum celebrent, et facta Heroica Musæ,
A cœlo numen nata Poësis habet.
Ah pereant Musas qui verba ad turpia cogunt,
Perpetuò castas Aonas esse decet.
Hoc ego Pierides nuper sermone vocabam,
Vt canerent laudes, vir generose, tuas.
Cum mihi Mænalio iampridem nota sub Arcto,
His Erato tales reddidit ore sonos.
Quid tamen huic iustas conamur scribere laudes,
Impedit inceptum copia diues opus.

Sic

Sic aliquis magno numerabit in æquore conchos,
Sic piſces liquidis enumerabis aquis.
Ergò age da veniam victuris digne Camœnis,
Impar ſit meritis quòd mea Muſa tuis.
Quæ tamen incepi facundus Amantius author,
Vt chartis audax dextra notaret erat.
Quàm facilè obtinuit quæ nos debere fatemur,
Ignotos etiam laus aliena iuuat.
Excitat externos virtus generoſa fauores,
Atq; animos placido quoſlibet igne rapit.
Non hæc ambitio, non hæc audacia iuſſit
Scribere, virtutis ſcribere iuſſit amor.
Primitias igitur quas ſcripſimus accipe mente,
Nec mihi amicitiæ limina claude tuæ.
Sic te qui ſequitur, fœlix virtute parentis,
Longa ſenex tecum tempora natus agat.

ELEGIA X.

SCRIPTA AD GEORGIVM SABINVM HALlim abeuntem.

CErtus es ire tamen, vix nunc quoq; credere poſſum,
Heu nimis hoc ratio credere vera iubet.

Nobilis

Nobilis Aonidum comes & laus iusta Sabine,
Carmine Pelignum docte mouere melos.
Hei mihi quæ nostro vis syderis obstat amori,
Quis nobis poterit tam ferus esse Deus.
Nunc tibi dicte meis, & non obscure Camœnis,
Inuideo tantum cœrule Sala decus.
Inuideo vestris & gratulor inuidus oris,
Et mihi sic duplici cor ratione tremit.
Gaudeo Thyringis quòd eris vicinior oris,
Iampridem ô Clario chare Sabine Deo.
Quòdq́ abeas doleo, fatis mihi raptus iniquis,
Et mihi quòd tecum non licet esse queror.
Hæc quoq́ mandantes paruæ non multa tabellæ,
Da veniam inuito scribimus ore, Vale.
Cum tamen à nobis ita re cogente recedas,
Quid restat præter dicere, dulce Vale.
Viue diu æternis vates victure Camœnis,
Quodq́ facis certas redde in amore vices.
Sic tibi qui cecini socijs Hymenæa Camœnis,
Dulce iubens vestris omen inesse thoris.
Digna tui fama præconia nominis olim,
Venturò viuens tempore plura canam.
Quodq́ potes vestræ nos iunge fauoribus aulæ,
Iuncta sodalitio qui tibi turba sumus.
Sic tibi longæuæ procedant tempora vitæ,
Perpetuoq́ tuum nomen in orbe volet.

FINIS

ELEGIA XI.

SCRIPTA AD IVSTI-NIANVM GOBLERVM



Hæc tibi præmißa Iuſtine diſerte ſalute,
Mittimus imparibus verba ligata modis.
Hinc, vbi in arctoos ſpectantes Saxonas agros,
Proluit irriguis Albidos vnda vadis.
Quâ fouet Aonius celebris Viteberga Camœnas,
Hei mihi Rhenano quam procul ille ſolo eſt.
Perlegis? an prohibent teneras ſubſellia Muſas,
Et te clamoſum terret adire forum.
Heu malè conueniunt tenero cum carmine lites,
Non benè cum Muſis rixa forumq; manent.
Hæſiquidem imbelles nudæq; vagantur in hortis,
Dulciaq; innocuæ tempora pacis amant.
Illic at vultu iudex atq; enſe ſeuerus,
Terret ſolliciti pectora mœſta rei.
His tacitæ applaudunt & tempus et otia ſylvæ,
Et muſco & ſaxis antra ligata ſuis.
Exercent illic operoſum iurgia vulgus,
Perfidia, improbitas, ira dolusq; malus.
Hîc dulces Cytharæ, luſus, ioca, gratia, cantus,
Ingratis curis pectora feſſa leuant.

Verùm

Verum ego quid dubia nequicquã hæc mente re-
Cum de te nulli ſit dubitanda fides. (cordor,
Ipſe tuis quàm ſis verè perſpectus amicis,
Fortè nec eſt huius commemorare loci.
Te mihi Franciſcus commendat, laudat et efferi,
Franciſcus patriæ gloria prima ſuæ.
Quo duce Pegaſeas libaui protinus vndas,
Primus & ad Muſas is mihi ſtrauit iter.
Iam te quis noſtras vigilãs trahat ardor in artes,
Quod ſtudium in Muſas, ipſe ego teſtis ero.
Nam quamuis varia curarum mole graueris,
Dum ſcribis trepidi iura ſeuera fori.
Non tamen Aonidum te ludere tædet in hortis,
Gratãq; Pierij viſere rura ſoli.
Et quantum curis ſubducere temporis audes,
Vendicat hoc ſtudijs noſtra palæſtra ſuis.
Aut aliquod relegis ſtudioſa mente Poëma,
Ingenio aut aliquid parturis ipſe tuo.
Hinc mihi tranſmittis veri documenta fauoris,
Carminaq; ingenij pignora chara tui.
In quibus aut molli incuſas tua fatà querela,
Quòd non ſint votis æqua nec apta tuis.
Et me fœlicem celebras cui contigit iſto,
Et ſtudio & docto tempore poſſe frui.
Aut nobis ſtudiumq; tuum curamq; fidelem
Significas, vera verba probante fide.

Ergò

Ergò vbi te noſtris plus quàm benè velle Camœ-
Scirem, & iudicio noſtra placere tuo. (nis
Vt rerum poſſes hinc certior eſſe mearum,
Carmina iudicio miſimus iſta tuo.
Quòd ſi forte rogas, quid agam, mea gaudia Mu-
Sedulus & Phœbi munera ſacra colo. (ſas,
His mea cymba vadis, his area noſtra quadrigis
Verritur, hoc ſudat puluere noſter equus.
Verboſas alium iuuet vsq; euoluere leges,
Et linguam ſtrepido proſtituiſſe foro.
O ego ſectabor dulces ante omnia Muſas,
Et cupida Phœbi munera mente colam.
Quá nemora vmbroſos præbent ſecreta receſſus,
Tutaq; dumoſis rupibus antra patent.
Quâ ſalientis aquæ, fugiens per gramina riuus,
Exiguo pulſat leuia ſaxa ſono.
Quaq; ſua ad noſtrum iungens modulamina car-
Dulce ſlet Iſmarium Daulias ales Ityn (men,
Hîc mea me ſtrepido ſecernant ocia vulgo,
Sic poteram Phrygio ditior eſſe Mida.
Ergò ego vel ſacros relego mirorq; Poëtas,
Et vigili illorum numina mente colo.
Hinc aut me dulcis Peligni gratia Vatis,
Detinet aut magni dulce Maronis opus.
Quorum mente ſequens veſtigia pronus adoro,
Dum trahit immenſus pectora laudis amor.

Aut aliquod leuibus numeris includo Poèma,
Et tenera imparibus carmina condo modis.
Diuitiasq́ puto mea carmina, nil mihi curæ est,
Scire quot & quantas Fuccarus auget opes.
Nuper & Heßiacũ, mea Muſa Heroa canebat,
Non tamen Heroo quo pede dignus erat,
Dignus erat magni cui Muſa faueret Homeri,
Et meritum digno ferret in aſtra pede.
Nam quantum virtute ſua Priameius Hector,
Res vicit geſtas Laomedontis aui.
Tantùm magnanimus poßit ſuperaſſe videri,
Inſigni veteres laude Philippus auos.
Quamuis his etiam ſtet honos & gratia viua,
Famaq́ poſtremo vix moritura die.
Verùm vt eò redeam, quò cœpi, ſæpè Melanthon
Diuino ſenſus detinet ore meos.
Quo nemo in tanto numero pretioſior vno eſt,
Eloquio & veris perpetuisq́ bonis.
Qui cum dicturus cœleſtia ſoluerit ora,
Iurares magnum ſic Ciceronа loqui.
Tam miranda ſonat diuinæ gratia linguæ,
Et vox neſcio quod numinis inſtar habet.
Hanc aut demirans arrectis ſenſibus haurit,
Excipit aut celeri pendula turba manu.
Sic Ithaci Eloquiũ mirata eſt Græcia quondã,
Quod velut hybernas fudit ab ore niues.

Ergo

Ergo quis hunc merito non prosequeretur hono-
Et summa dignum laude per astra ferat (re,
Hunc prius ex animo colui quàm cernere possem
Cum puer, et vix dum fortè decennis eram,
Hunc puerum patrijs memini me cernere terris,
Nescio quod visum numen adesse fuit:
Hunc ego per flammas ignesq; Thyphoëos Æth-
Per Parthos sequerer marticolasq; Getas. (na,
Huic comes in medij turbantibus æquoris vndis,
Huic comes in medijs Syrtibus esse velim.
Sic me plus laudis nec fidus haberet Achates,
Nec qui Pirithoo dicitur isse comes.
Hîc mecum ô vtinam traducere tempora possis,
Nil Iustine mihi suauius esse velim.
Hîc nostrum vacuo resonaret in aëre carmen,
Gauderet nostris Echo sonora modis.
Annueret nobis fausto pater Albidos ore,
Vicinumq; colens Leucoris alma nemus.
At te dicentem memini, vos ipse reuisam,
Plenus vbi Lunæ bis quater orbis erit.
Luna ferè decimo reparat noua cornua motu,
Speratus toties nec tamen ipse venis.
Sæpè videns auras faciles cœlumq; serenum,
Huc vtinam rediens iam meditetur iter.
Sic ego: sed solis auris loquor omnia, & illi
Irascor fato quòd tibi claudit iter.

At licet in longum disiuncti corpore simus,
Mente tamen memori pectora nectit amor.
Ante meos oculos tua præsens hæret imago,
Et semper de te nil nisi magna loquor.
Prædico virtutesq́ tuas moresq́ probatos,
Ingeniumq́ tuum laude per astra fero.
Huius erit vester verus mihi testis Adamus,
Turbaq́ Rhenano cætera missa solo.
Ista mihi credas precor omnia vera loquenti,
Per Musas iuro non tibi ficta loquor.
Me tuus ingenij candor pulcherrimus, omni
Seposito fuco cogit aperta loqui.
Hoc tua iam multis perspecta & cognita virtus
Postulat, exq́ omni parte probata fides.
Cognitioq́ sagax rerum studiumq́ fidele,
Quod tuuat in medio te retinere foro.
Hæc hærent nobis imis infixa medullis,
Hærebuntq́ vllo non remouendâ die.
Dum meus hic salubres captabit spiritus auras,
Portio dum restat quantulacunq́ mei.
Tu mihi pro meritis tereti cantabere versu,
Ingenio caussas tu dabis vsq́ meo.
Vel prius occiduis lucem vehet Hesperus vndis,
Atq́ oriens noctis Cynthius autor erit.
Vel duri silices liquidas soluentur in vndas,
Durior & ferro quælibet arbor erit.

Cuncta-

Cunctaq́ in insuetas migrabunt corpora formas,
Quàm tuus è nostro pectore migret amor.
Sic habeas: sed me tibi iam commendo vicissim,
Sit tibi Stigelij mutua cura tui.
Ocia sic præstent tibi Iura, & triste Tribunal,
Incipiant studijs mitius esse tuis.
Vt mecum Aonios campos & Pegasis undas,
Perlustres fato candidiore, Vale.

ELEGIA XII.

SCRIPTA AD ALEXANDRVM ALESIVM SCOTVM in Angliam abeuntem.

IMium veræ specimen pietatis Alesi,
Et decus & patriæ gloria magna tuæ.
Ibis ad inuictos generosa mente Britannos,
Quà iubar occiduo subleuat amne Venus.
Nec tamẽ hinc tecum tua vota Philippus abibit,
Dij faciunt nulla posset abire mora.
Scis benè, nec dubito, coramq́ fatebere Rege,
Inuida quæ cupido fata morentur iter.
Ipse animis claros qua mente feratur ad Anglos,
Non locus est nostris fortè referre modis.

Nulla dies ſummi de cardine prodit Olympi,
Quæ pia non regis numina laude vehat.
Aut canit Heroo virtutes pectore dignas,
Aut animos cœli qui ſuper aſtra volant.
Multaq́ commendat noſtræ præclara Iuuentæ,
Eſſe quibus Regis prædita corda probat:
Præcipuè curas, quibus Enthea dogmata Chriſti
Et ſitit & vigili firmat & auget ope.
Excipit hæc animo docilis gratante Iuuentus,
Et regem merito laude per aſtra vehit.
Et licet innumeros generoſa Britannia vates
Gignat, qui illius fortia facta canant:
Non tamen hinc deſunt qui totis viribus optent,
Carminis hunc cauſam materiemq́ ſui.
Adde quòd haud vnus Iuuenum tot millibus ad-
Qui doleat votis fata fauere tuis. (ſit,
O vtinam tecum modo poſſet abire, Philippum
Quam poſt ſe traheret, quanta corona foret?
Ipſe modo vt charo poſſem comes ire magiſtro,
Inuictus nullum ferre grauarer onus.
Nec foret horriſonis Boreas me fortior alis,
Nec premeret vires nixq́ geluǵ meas.
Interea quoniam ſuperi mea vota retardant,
Certè animum fati ſpe melioris alam.
Quare age tu Britonum fœlix allabere terris,
Qui potes & magni numina Regis adi.

Dij tri-

Dij tribuant illi vires longamq́ senectam,
Seruet vt acceptum vindice dogma manu.
Vt redeat toto, Christo sua gloria mundo,
Quæ miserè multo tempore pressa iacet.
Vade bonis auibus doctos visurus amicos,
Vestra quibus semper diues abundat humus.
His, te de multis referentem plurima, quæso
Ne pigeat verbis pauca referre meis.
Theutonico vobis transmittit ab orbe salutem,
Stigelius vestri raptus amore Chori.
Qui vos perpetuo dignos obseruat honore,
Vestraq́ non segni numina laude canit.
Quare etiam vobis si vestra pace liceret,
Parte sui hinc aliqua notior esse velit.
Hæc aut docte tibi si plura libebit Alesi,
Linquimus arbitrio perficienda tuo.
Iamq́ Vale patriasq́ bono pete sydere terras,
Susceptæq́ Deus sit comes ipse viæ.

ELEGIA XIII.

SCRIPTA IN REDITVM CLARORVM QVORVNDAM Virorum ex Austria.



Eximij magnique viri, purissima Phœbo
Pectora, & Aonij candida turba chori.
Tuque adeò in dubijs spes Augustine periclis,
Quo non fert medicam promptius alter opem.
Quique tenes duplicis Blicarde volumina Iuris,
Et facis arguto verba diserta foro.
Et tu cura Ducum Franciscè & gratia Regum,
Cui fluit Eloquij dulcis ab ore sonus,
Et Spalatine simul sancti tuba nuncia verbi,
Qui spargis puram Christida mente fidem.
Nomen & agricolæ iustum sortite Ioannes,
In mentes hominum cœlica verba serens.
Ecquid vt Austriacis ad nos redijstis ab oris,
Et reduces patrios rursus adistis agros.
Vos quibus accipiat studiosa Iuuenta videtis
Plausibus, & vestros quo sonet ore choros?
Aspicitis passim vulgus nouitate triumphans,
Ad vestrum reditum stare, videre, loqui.
Talibus est Cicero sapiens affectibus olim,
Exceptus populi Roma diserta tui.
Quando post publicæ tractata negocia curæ,
Externo patrios orbe rediret agros.
Gratulor, incolumes quod vos pia fata reducant,
Sit redijsse precor, sicut abire fuit.

Sed

Sed neq; ſic vobis reditum pia fata dederunt,
Vt teneant veſtras in ſtatione rates.
Allor? an in Synodum vicinas accijt vrbes,
Vndiq; Saxonici prouida cura Ducis.
Conſilium q; capit ſummis de rebus agendis,
Et vos participes in ſua vota vocat.
Ite, Deoq; graues has auſpice pandite cauſſas,
Quaq; poteſt patriam quiq; ſalute iuuet.
Sic Deus hinc vobis tranquilla det otia pacis,
Iucundaq; domi poſſe quiete frui.
Viuite nobilibus cultiſsima pectora Muſis,
Veſtra mori nullo tempore fama poteſt.

ELEGIA XIIII.

SCRIPTA AD PHILIPPVM MELANCHTONEM Præceptorem, qua ſuam abſentiam excuſat.

NAte bonas artes augere diſerte Melanchton,
Auxilium ſtudij præſidiumq; mei.
Ecquid vt iſta legis, quæris quæ cauſſa morandi,
Nos vltra certum cogat abeſſe diem.

Non nos hic retinet ſtolidæ conſumptio mentis,
Quæ tua non ſanctè iuſſa colenda putet.
Æolus abruptis auſtros emiſit ab antris,
Hi anſam pluuiæ materiemq́ cient.
Vnde ſonant crebro cœpi conuexa fragore,
Et paſsim largæ præcipitantur aquæ,
Hinc pia nos non vult dimittere cura parentum,
Ne qua nocens nobis obuiet aura Noti.
Iſta tuus coram teſtabitur omnia tempus,
Quem vix inuitum rura vadoſa tenent.
Nec tamen hic terimus ſub inani tempora luxu,
Non alijs vitij cauſſa pudenda ſumus.
Verùm vbi quamprimum ventorum flabra quie-
Et redijt pulſo clarior imbre dies. (ſcunt,
Inter Hamadryades & amantes prata Napeas,
Rura frequentantes ruſtica turba ſumus.
Ruſtica ſed tam non omninò, vt ſuſpicer omnes
Iratas nobis Aonas eſſe Deas.
Ergo animi cauſſa per amæna vireta vagantes,
Pangimus alterna carmina facta vice.
Quâ fluit irriguus per prata virentia riuus,
Et tremulæ rauco murmure garrit aquæ.
Leniter ad carmen reſonabilis Echo reſultat,
Et tenuis ſtridet mollibus aura ſonis.
Quin etiam ad numeros Dryades mihi ſæpe vi-
Ducere feſtiuos læta per arua choros. (dētur,

Forſan

Forſan et hoc ſubita properantẽ carmẽ ab hora,
Me videt ex aliquo Nympha propinqua loco.
Aut videt, aut certè ſtolidam perſuaſio mentem
Sic ſubit, vt præſens numen adeſſe putem.
Ergo alius Regum nitidas ſuſpiret ad aulas,
Et varijs curis quærat auarus opes.
Me ſi fata velint ſecuram ducere vitam,
Dulce hîc cum Muſis delituiſſe putem.
Carminis hîc dexter ſe præbeat author Apollo,
Magnificæ fluxas nil morer orbis opes,
Hîc aliquod maneat ſi me poſt funera nomen,
Sat foret hæc tali me peperiſſe loco.
Sed ncq; ſic placide me raptat gratia ruris,
Nec me ſic memorem blanda vireta iuuant,
Vt ſine te ſuauis foret hæc mihi vita magiſtro,
O Spes ingenij ſumma Philippe mei,
Sub quocunq; velis vitam traducere cœlo,
Suaue mihi tecum viuere ſemper erit.
Crede mihi ſuperis hæc teſtibus omnia dico,
Nec fucus noſtris verſibus vllus ineſt.
Atq; vt Phylliridẽ puer eſt veneratus Achilles,
Cui iuſſas tacito præbuit ore manus:
Sicte quo potero dignum venerabor honore,
Proſequar & fido ſemper amore Vale.

ELEGIA

ELEGIA XV.

SCRIPTA AD ILLVSTRISSIMOS PRINCIPES Iohannem Fridericum & Iohannem VVilhelmum, virtutis Epistola.



Mittit & optat amans, quod mittat & optet amanti,
Ætherei quisquis scribat ab arce poli.
Illustres animi, charissima pectora cœlo,
Et titulis ambo pectora digna meis.
Fallor, an alati cognoscitis ora Leonis,
Ardua qui forti nubila fronte secat.
Scribere virtutem signo testante videtis,
Hocq; legi dignum non dubitatis opus.
Hic tamen incedit nitidis qui splendidus alis,
Quiq; gerit pharetram telaq; longa puer.
Quæritis vnde ferat virtutis scripta, videri
Aptior Idaliæ cum queat esse Deæ.
Non hic Acidalia satus est genitrice cupido,
Aurea qui plumbo spicula mixta gerit.
Tela quidem gestat reuerenda, sed aurea tantum,
Sola quibus cœlo dedita corda petit.

Quin

Quin hunc à Veneris discernit laurea nato,
Mollia quam circum tempora vinctus habet.
Ille oculis captus sine lege vagatur & errat,
Aspicite hunc oculum lætus vtrumq; tenet.
Nudus vt incedit pueri sub imagine parui,
Sic decus ingenuæ simplicitatis amat.
Nomen ei Orthophilus, recti quia præstat amo-
Et meritos recta ducit ad astra via. (rem,
Hoc ego Mercurio diuersas vtor in oras,
Mandati est fidus nuncius ille mei.
Ac velut aurata mulcet præcordia Virga,
Nomen ab astrifero nactus Atlante nepos:
Sic puer hic telis hærtica pectora tangens
Excitat, & casto ducit amore mei.
Fallor, an officio memorato agnoscitis illum,
Cui meritò à teneris notus vtriq; fuit.
Sic agite, & certè memores agnoscitis illum,
Qui meritò à teneris notus vterq; fuit.
Verũ ego cum lateri sim semper proxima vestro,
Atq; adeò in vestra multa frequensq; domo.
Quæritis inscriptis cur mandem verba tabellis,
Absentum potius littera cum sit opus.
In promptu ratio est, meruit sic vestra Iuuentus,
Et me sic cupida scribere mente iuuat.
Indole præstanti sic scribit mater alumno,
Quodq; addat celeri littera calcar habet.

Ipsa

Ipſa ego iam pridem veſtræ præconia gentis,
Et noui & populis hîc & vbiq; cano.
Sed quoniam teneris vos hæc præſtatis in annis,
Vnde ætas meritò poſſet adulta cani.
Gratulor hanc laudem titulis accedere veſtris,
Meq; adeò tantis effero læta bonis
Quantum animos natura trahit, prælucet imago
Indolis, eſtq; annis plenior ipſa ſuis.
Mature adparent quæ ſunt præſtantia, neſcit
In pueris etiam mens generoſa tegi.
Lactea vix teneros infantia liquerat annos,
Et docta eſt primo lingua tenore loqui.
Cum vos innato ducti virtutis amore,
Amplexi noſtras ſponte fiuſtis opes.
Meq; prius pariter certo coluiſtis honore,
Quàm poſſet nomen dicere lingua meum.
Hoc erat in tenero quod proſpiciebat Achille,
Nereides index ad bona vera ſenex,
Hoc erat à pueris Priamus quod in Hectore vi-
Ducitis à cuius poſteritate genus. (dit
Iam patris Heroas mirari in pectore dotes,
Gaudere & tanti ſe genus eſſe Ducis.
Ardua venari meditando, explodere longè,
Senſibus exiguum, vileq; quidquid erat.
Denig; purpureis quiddam ſapere altius annis,
Veſtræ erat à teneris ſimplicitatis opus.

Agnoui

Agnoui ingenuas natas & ad ardua mentes,
Et dixi Imperij ſunt ea membra mei.
Nec mora: vos duxi Muſarum ad templa dedicq́,
In Clarijs vobis vallibus eſſe locum.
Quâ fons Eloquij nutrices egerit vndas,
Acer Abantiadæ quem pede fecit equis.
Inde viam noſtras primùm didiciſtis ad artes.
Quâ bona producit vera beatus ager.
Dura quidem primùm via & aſpera ducit ad il-
Sed quæ, ſi pergas, tempore mollis erit. (las,
Difficiles aditus venienti anguſtia præbet,
Quæ multos poſita ſpe remeare facit.
Area ſed latos intus pulcherrima campos
Pandit, & optata ducit ad aſtra via.
Hîc ſacræ frondent æterno flore coronæ,
Florida perpetuo tempore vernat humus.
Compta per herboſos ſpatiatur gloria campos,
Inq́ ſinu meritis pectora clara fouet.
Fortibus arridens Heroibus ardua laurus,
Aërias grato complet odore plagas.
Semper & aſſurgens vicini ad ſydera cæli,
Tollit honoratum bellica palma caput.
Læta triumphales errant per gramina plauſus,
Et laus per medias cincta fauore vias.
Ambroſia viuunt, æterna & luce fruuntur,
Grande ſibi meritis qui peperêre decus.

Hue

Huc quoniam certis properatis paſsibus ambo,
Comprecor vt veſtrum dij tueantur iter.
Ipſa ego ſeruabo veſtræ ſua præmia laudi,
Perpetuò ſtabit me Duce veſter honor.
Tantùm, quod facitis ſanctas ne linquite Muſas,
A quibus incipiens ad mea caſtra via eſt.
Pergite Pierias ſicut modo pergitis artes
Imbibere, & Clarij carpere montis opes.
Nec vos ſeducant illi, qui turpiter aiunt,
Hîc opus ingenuis artibus eſſe nihil.
Illi animos ſqualent terrena fece madentes,
Vt bona non vſquam vera videre queant.
Hei pereat, ſanctas quiſquis contemnere Muſas,
Et ſtudia ingenijs apta negare iubet.
Ingenium excolitur doctoq́ nitеſcit ab vſu,
Neglectum, quamuis grande potensq́ perit.
Quid natura homini vel præſtantiſsima prodeſt,
Obruta ſi luxu deſide vita iacet?
Quò iactare patrem magnum cõducit Achillem,
Si mens Therſiten contaminata refert?
Degener infami defecit Scipio luxu,
Subdiderat cuius Punica regna pater.
Degener eſt Fabius rigido à prætore notatus,
Quæritis hic caſſam deſidioſus erat.
Naturam cultura iuuat: nec tantus Achilles
Iſſet in arma, ſenis ni foret vſus ope.

Fœlicem

Fœlicem ad generis titulum qui iunxerit artes,
Quæ dare quod possint nobile nomen habent.
Res aget is fatis, & bello & pace secundis,
Viribus haud tantum, sed ratione potens.
Texerat horrenda cinctum ferrugine Solem,
Cœcaq; fraternos Luna tegebat equos,
Insolitæ tenebras horrebant noctis Athenæ,
Inq; metu populus territus omnis erat.
Nec mora: discernunt trepidantes vndiq; ciues,
Exitiumq; sibi fata parare putant.
Plebs insueta mali, fatiq; ignara futuri,
In superos etiam seditiosa furit.
Forsan & extremam traxisset lapsa ruina,
Publica res illo tempore facta nihil.
Ante malum cauit visum impendere Pericles,
Sanguine non tantum nobilis ille fuit.
Illa sciens motus, taciti & mysteria cœli,
Accideret tantus Solis & vnde labor.
Signa quidē hæc populis aliquid portendere dā-
Legitima fieri sed ratione monet. (ni,
Forsan & admonuit superos placare precando,
Vt regerent placida fata seuera manu.
Facundo certe compescuit ore tumultum,
Atq; omnem è trepida sustulit vrbe metum.
Doctior adseruit timidam non fortior vrbem.
I nunc & Musas talia posse nega?

Me miſeram inuerſis vitiatus moribus orbis,
Quod bona tam rarò vera videre poteſt
Non ego nunc longa Muſarum fata querela
Exequar, eſt quamuis res ea digna queri.
Iampridem illarum ſentiſcunt ſaxa querelas,
Ad quas ſurda auris quælibet eſſe poteſt.
Triſtis inutilibus ſtudijs queror eſſe grauatos,
Quos natos etiam dixeris eſſe mihi,
In ſua dum tantùm mortales commoda ſpectant,
Dum quæcunq; iuuant prima Epicurus habet.
Quàm fert ſæpè grauem Virtus deſpecta repul-
Turpiter haud vno fabula facta loco? (ſam,
Rectius at memini tibi te Germania quondam
Conſulere, hoc æuo quæ velut ægra iacet.
Cum ſubit antiqui facies mihi ſanctior æui,
Quando quater retrò cogito luſtra decem.
Tunc mihi penè noua videor ratione renaſci,
Tunc quaſi materno tota quieſco ſinu.
Tunc ſancta coniuncta fide, nunc pacis amatrix,
Iuſticia in noſtro perſtitit officio.
Tunc animi valuêre vires, tunc maſcula virtus,
Imperij vidi pignora lata mei.
Quisq; ſuo contentus erat, pius vndiq; candor,
Iunctaq; ſimplicitas cum grauitate fuit.
At poſtquam ignotas audentius ire per vndas,
Auſa ratis totum tranſijt Oceanum:

Poſtquam

Postquam Taprobone Germanis cognita nautis,
Huc merces alio misit ab ore suas.
Tempore cum patrium nostro aspernata decorũ,
Ligurit externas mensa superba dapes.
Cum pretiosa tegunt inopem Chrysendeta ciuem,
Cum Cymnæ digitos lucidus ornat onyx,
Fœmina cum totum pendentem è pectore censũ,
Atq; omnem dotem fronte puella gerit.
Mutauit veteres ignaua superbia mores,
Atq; animos segnes prodiga vita facit.
Hei dolor & pudor est hominum describere mo-
Et quidquid nouitas huc peregrina tulit. (res,
Quærit vt absumat, sibi quisq; absumpta requi-
Et quacunq; potest colligit arte lucrum. (rit,
Nec tamen id durat. Sed qua ratione paratur,
Hac etiam & certè non meliore perit.
Quod iuuat in pretio est, minus est plausibile quic
Rebus in humanis plus probitatis habet. (quid
Hæc tamen in genere vt fiunt, ita ferre necesse
Tempora cum Parcæ non meliora ferant. (est,
In multis aliquos sapere, & bona vera videre,
Res est quæ fati spem melioris habet.
Certè vt degeneris caligent pectora vulgi,
Nec bona quæ debent vera tenere queunt
At bona pars hominum communi nata saluti,
Rectius ingenio dexteriore sapit.

Vtq́ alibi inuenias illuſtri ſtemmate natos,
Ingenuæ veram laudis inire viam.
Sic vice fœcundæ quaſi functa parentis, abun-
Perpetuò Heroo ſemine veſtra domus. (dat
Quæ ſic innumeros ſtetit incorrupta per annos,
Omnibus exemplis poſsit vt eſſe prior.
Vosq́ adeò nuper patriæ noua lumina veſtræ,
Quæ mox̄ lucerent hîc & vbiq́ dedit.
Quantò igitur maior veſtræ eſt præſtantia gentis,
Qua maior dici gloria nulla poteſt.
Tanta eſt de ſtudijs maior fiducia veſtris,
Tam benè qui cæpta pergitis ire via.
Namq́ vt ad hoc redeã, ſacras quo pectore Mu-
Magnus vterq́ colat, publica fama docet. (ſas
Quæ ſpem de vobis mirandam nunciat orbi,
Quâ ſol auricomus ſpectat vtramq́ domum.
Ipſa etiam ingenuas vos ſic ſudare per artes
Dum video, elata gaudia mente fero.
Conſpicor orantes patria dum nuper in arce,
Qua ſapit Aonias inclytus Albis aquas.
Ingenium quantus vobis exerceat vſus,
Experta adplauſu læta frequente fui.
Tuq́ adeò natu maior qui nomina patris,
Vt referas olim fortia facta, tenes.
Principis officium docta dum voce referres,
Principis ingenui publica ſigna dabas.

Et tu

Et tu cui nomen virtutis vt omen auitæ,
Saxonico grauitas principe digna dabit.
Dum quid nota Equitis doceat pictura moneres,
Qui pia in aduersum bella Dracona gerit.
Non minus Eloquij grato splendore placebas,
Ingenua vultus quàm grauitate tui.
Ipsa ego vos, vt eram præsens intenta notabam,
Condebamq; meo gaudia plena sinu.
Iam patris inspiciens vultum gratabar alumnis,
Gratabar meritò tam bona vera patri.
Gaudebamq; Duces alios adplaudere vobis,
Et dare iudicij prospera signa sui.
Præbebant cupidas vobis orantibus aures,
Doctrina proceres & pietate graues.
Saxonicum quorum facundia floret ad Albim,
Et Christum populos Iusticiamq; docet.
Miratiq; habitum memoresq; ad singula sensus,
Dicebant veræ laudis id esse decus.
Omnis et Albiaci studiosa Iuuenta Lycæi,
Plena theatrali signa fauore dabat.
Vt quondam orantem teneris mirata sub annis,
Audijt in medio Roma diserta foro.
Aurea qui reparans pacato secula mundo,
Ter clausit gemino templa dicata Deo.
Macte animis estote Duces, sic ardua cœli
Regia principibus semper aperta patet.

State animis, cœptum cursum̃q; tenete per æquor,
Iam ſpondet facilem mitior dura viam:
Iam maiora vocant veſtras certamina vires,
Excipiet veſtros arca maior equos.
Publica res veſtro iam pendet ab ore, ſuam̃q;
In vobis cupida ſpem pietate capit.
Iam vobis artes regnandi & plurimus vſus
Reſtat, & ingenium maxima ſi qua iuuant.
Ardua iam vobis meditanda exempla priorum,
Laudibus æternis qui meruêre cani.
Exhibet Alcides exemplum, qualibus ille
Eſt ſtudijs ſummum nactus in orbe decus?
Sylua fuit quondam Dircæo proxima fonti,
Mœnia Sidonij quâ iacuêre Ducis.
Huc puer exierat dubio ſub pectore voluens,
Vita ſibi inſtitui qua ratione queat.
Sentit id ingenijs, furia inſidioſa Voluptas,
Et puerum tacitis tentat adire dolis.
Iam̃q; is populea tectus conſederat vmbra,
Arboris heu nondum conſcius huius erat.
Illa uenenatis blandè ſic orſa loquelis,
His formoſe locis quid puer, inquit, agis?
An quia te ratio vitæ intolerabilis angit?
Hîc tibi qui rectè conſulat eſſe putas?
Quòd inuet in ſyluis non eſt, mea caſtra ſequare,
Me duce vita tibi ſuauior omnis erit.

Qui

Qui mihi se dedunt his otia mollia præsto,
Scilicet his aliquid suauius esse potest?
Me sequere, optato cupidum te tramite sistam,
Vt degas vitæ tempora blanda, dabo.
Non tibi Martis opus, non vlla negotia curæ,
Non tuba quæ somnos classica rumpat, erit.
Cura erit, vt posito fragret rosa tincta Lyæo,
Suppetat vt lautas prodiga mensa dapes.
Vt lepidas inter Veneres, blandasq; choreas,
Perpetuò oblectent, gratia, cantus, amor.
Quod si forte tuos minuet penuria census,
Omnia ceu nusquam semper adesse vides.
Ne metuas finem, nec eos admitte, benignè
Qui quæ fata ferunt, omnia ferre iubent.
Verùm alij magno quidquid peperêre labore,
Id quacunq; potes fac ratione tuum.
Et quid amabilius, quid suauius esse putemus?
Quàm placidè alterius posse labore frui.
Qui timet euentum nescit præsentibus vti,
Sollicitant animum nulla futura tuum.
Prospicere & seruare modum, frugaliter vti,
Ipso verba mihi sunt inimica sono.
Hei pereant miseri quibus est lux crastina curæ,
Tu mecum molles viuere disce dies.
Nã quota pars vitæ est, quã mulcet amica voluptas,
Iam nos æterna funera nocte premunt (ptas,

Viuimus, à tergo ſequitur mors, nulla voluptas,
Cum ſemel in cineres corpora verſa tacent.
Talibus atq; alijs puero blandita, putabat
Se trahere optatas in ſua vincla manus.
Ipſa ego proſpiciens, vt ab aëre lapſa ferebar,
Percepi haud dubio ſingula verba ſono.
Moxq́ gradu propior, peſtis fœdiſſima dixi,
Non erit hæc viſco præda trahenda tuo.
Quæ quid es? aut quidnã tibi nomen inane voluptas
Cum tecum poſſit quod iuuet eſſe nihil.
Namq; ſitim potando, famen præuertis edendo,
Nec dulces ſomnos feſſa, coacta capis.
Ante etiam eneruas humano in corpore vires,
Quàm vires dici cur mereantur habent.
Verùm age chare puer monitis attendito noſtris,
Non tibi fucato falſa colore loquar.
Sed te conſilio ſuperum decreta docebo,
Quæ ſecum æternæ pondera legis habent.
Hæc q́ adeo obſerues folio conſcripta Sibyllæ,
Pendeat hinc Vitæ regula certa tuæ.
Quidquid præclarũ eſt vbicunq;, labore paratur,
Perpetuum pariunt otia nulla decus.
Dij bona ſolerti vendunt ſperata labori,
In vita eſt homini deſide nulla ſalus.
Magnus vt inſigni mereare ab vrbe vocari,
Eſt opus vt magno nomine digna geras.

Vt tibi præclaras decernat patria laudes,
Te bene de patria demeruisse decèt.
Sic multam Cererem plenis qui sperret ab agris,
Assidua subigit sedulus arua manu.
Cura illi pecoris, cui multi cura peculi,
Qui laudem adfectat digna fauore facit.
Quòd si militiæ cupis inclarescere fama,
Non tibi priuato sub lare nomen erit.
Militiæ assuescas primùm tolerare magistros,
Intrepidus lituos inter & arma puer.
Heroësq́ graues primis mireris ab annis,
Illorum cupidus fortia facta sequi.
Illîc assiduo mens exercenda labore,
Illîc rara nisi sit chlamydata quies.
Sudandum est armis, pro libertate ruendum,
Non aliunde decus gloria Martis habet.
Aspice crescentem per quanta pericula Cyrum?
Quem licet externum Græcia tota canit.
Quod celebrare audis humana per ora, vel vnum
Constitit hoc illi nonnè labore decus?
Te quoque nate mihi, nate inclarescere mundo,
Desidiam & luxus dira venena fuga.
Quid vita est hominis, pigræ nisi mortis imago?
Non aliquo studio quæ releuata viget.
At superi vacuæ damnant velut otia vitæ,
Sic pro non magno magna labore ferunt.

Nam quantúm eſt modicum vitam exere ere per
Poſt obitum æterna vita quieta venit. (æuum
Tunc honor in terris, memoris tunc gloria facti.
Perpetuo & clarum nomen honore viget.
At ſubit aëriam mens immortalis in aulam,
Miſtaq́ cum ſuperis præmia iuſta capit.
Ergò age, perge animi tantas agnoſcere dotes,
Fortiter arce illis quicquid obeſſe poteſt.
Quòd ſi hæc nõ dubius præcepta ſequẽda putabis,
Nunc quotus es paruo tempore magnus eris.
Credis & hoc, ipſis quæ dant oracula Delphis,
Herculeo mundus nomine plenus erit.
At ſi deſidiæ vitæq́ addictus inerti,
Præpones monitis inferiora meis.
Forſitan ad tempus genio indulgere licebit,
ſed quidquid ſuaue eſt non ſolet eſſe diu.
Miſcet amaritiem dulcatis blanda Voluptas,
Præcipitat parua ſeq́ ſuosq́ mora.
Tempus erit patriæ cum te contemnere Thebæ,
Subq́ ſuo natum Sole vagare volent.
Non odiũ titulis declinat, vbi improba vita eſt,
Flagitijs addit pondera ſæpè genus.
Sed Deus auertat monitis à talibus omen,
Te manet Alcæi non moriturus honor.
Ante oculos poſita eſt generis tibi gloria veſtri,
Ducis ab antiquis nobile nomen auis.

Illis

Illis clara viam patefecit ad æthera virtus,
Inde fauet generi Iuppiter ipse tuo.
Acceptos titulos & nomina tanta tueri,
Atq; augere etiam facta paterna tuum est.
Augebis q; scio, tantum conatibus iusta,
Sic superet famæ nomina nemo tuæ.
His ego dum studeo iuuenile accendere pectus,
Infremuit monitis pestis iniqua meis.
Pluraq; dum quærit fallacibus addere verbis,
Dicere nil præter sunt ea falsa, potest.
At memor illustri generis se sanguine natum,
Ponderat ingenua singula mente puer.
Suauiaq; vtilibus dum comparat, eligit, vnde
Ante homines meritis viuat & ante Deum.
Excitat ingenuam quæsita industria mentem,
Et labor est illum qui vetat esse pigrum.
Iam pater & patriæ succurrunt nomina gentis,
Iam pudet in vili nomen habere loco.
Quodq; obiter mater tectis ostendere verbis
Est solita, occurrit se Iouis esse genus.
Iamq; animum geminat, iam vincere certat agen-
Desidiæ quidquid nomen & omen habet. (do,
Quin memor in cunis geminos quod presserit an-
Molitur tacito pectore maius opus. gues,
Dicere longa mora est, studijs quibus ille per al-
Venerit, Heroum nomen adeptus iter. (tum

At

At puer hic ille est qui clarus euntibus annis,
Fortia vir fecit, fortia facta senex.
Quem bis sex celebrat sub imagine Musa laborū
Attica, quæ gestat pallia quæq; togam.
Cui sacris memores fumarunt ignibus aræ,
Distat ab Hesperijs quā procul Indus aquis.
Cui duplici durant æternæ in rupe columnæ,
Bœtica qua Lybicum separat arua fretum.
Deniq; seruat adhuc veras cui gloria laudes,
Quam latè Cadani regnat in orbe soror.

ELEGIA XVI.

AMATORIA DE BARBARA ROSETA.

Hactenus effugi morosa Cupidinis arma
Fortiter, & veneris tutus ab igne fui.
Nec tam blanda fuit Venus, vt me fallere posset,
Nec peperit curas vlla puella mihi.
At nunc fallaci sucumbere cogor amori,
Omnia qui vincit, me quoq; vicit amor.
Si vitium est quòd amo, faciles ignoscite Diui,
Quorum etiam Victor pectora fregit amor.
Paruit huic vitio summi moderator Olympi,
Non frustra dictus, Bos, Ouis, Imber, Olor.

Induit

Induit hic varias mutato corpore formas,
Vt posset placido lætus amore frui.
Sæpè etiam gelidis flammas Neptunus in vndis
Repperit, & sæuo captus amore fuit.
Vtq; frui posset Macareidos Assis amore,
Sustinuit viles pascere Phœbus oues.
Ipsa etiam populis Dea quæ dispensat amores,
Sæpè dolis proprijs saucia facta fuit.
Sæpè pedes claudi fertur risisse mariti,
Martis & armatas antetulisse manus.
Huic coniuncta dolis furtim deprehensa mariti,
In toto cœlo fabula spreta fuit.
Quæ voluit flammas, Veneremq; exosa videri,
Non semel est vetito Iuno repetita thoro.
Hæc exempla puto captum me posse tueri,
Quod decuit diuos cur mihi turpe putem?
At licet hinc multas præclari nominis vrbes,
Lustrarim externi sæpius hospes agri.
Grande decus Phœbi, dum te doctissime Strati
Axe sub Arctoo per sita regna sequor.
Quá tot formosas cœlestia dona puellas
Vidi, quæ poterant sollicitare deos.
Nulla tamen placidos vnquam mihi præbuit ig-
Nec potuit nostrũ vincere pectus Amor. (nes
Prima faces gratasq; moues mihi Barbara flam-
Ah malè cõueniens Barbara nomẽ habes. (mas

Cumq;

Cumq; mihi poterant non mille placere puellæ,
Crede mihi è multis millibus vna places.
Prima mihi curas gignis dulcesq; dolores
Barbara, fert omnis. quos patienter amans.
Nunc pallere iuuat, pallere solemus amantes,
Nunc angi curis dulce videtur opus,
Quid memorem vanos ludentia somnia sensus,
Cum rigat immissus pectora fessa sopor.
Hic licet haud vnà simus, tamen ipsa videris
Versari ante oculos læta figura meos.
Sæpe tuo videor circundare brachia collo,
Aut caput in niueum me posuisse sinum.
Aut madidas dulci confudere murmure linguas,
Oscula multa genis sumere, plura dare.
Aut audire tuas, nostrasq; referre querelas,
Cunctaq; quæ fieri vero in amore solent.
Excussus somno mecum ista recordor, & opto
Dij faciant olim vera fuisse queant.
Et laudo & canto veterum secutus amores,
Ad formam referens singula verba tuam.
Fœlix ô aliquam tenuit quicunq; puellam,
Et potuit tuto semper amore frui.
At multi hortantur potius deponere curas,
Quàm macerare meum pectus amore tui.
Sæpè mihi narrant quantum sit crimen amare,
Quamq; nocens res sit blanda puella viri.

Præclarum

Præclarum est mihi quod suadent, sed recta mo-
Nō audire modò blanda Roseta sinis. (nētes,
Me fateor, blandæ oblectant hilarantq; puellæ,
Et video quàm sit pernicioſus amor.
Tota infixa meis regnat Cytherea medullis,
Nullus & in toto corpore ſenſus ineſt.
Quòd ſi correpti ſimili eſſent fortè furore,
In tantis ſtupeat mens agitata malis.
Tanti ſper ſapimus, careat dum vita periclis,
Fortuna ſapiens deficiente cadit.
Deſine ſed multùm mirari & quærere cauſas,
Cur tuus in noſtro pectore regnet amor.
Quòd ſuperas reliquas forma præſtante puellas,
Hinc ego perpetui Vulnus amoris alo.
Vnde amor iſte tui, coram me multa roganti,
E multis ſtatuo pauca referre tibi.
Sunt agitata tribus conuiuia læta diebus,
Noſtraq; ſunt dulci corda leuata mora.
Omnibus ex animo pellebant vina dolores,
Huius quis nollet temporis eſſe memor.
Poſt vbi ſunt epulis ſatiataq; corpora vino,
Lætificam tetigit doctus Apollo Chelyn.
Ipſa leues ſaltus, facilesq; ex arte choreas
Ducis, & inſolita mobilitate viges.
Siue loquebaris, raptabar amore loquentis,
Neſcio quod linguæ numen ineſſe ratus.

Siue

Siue ibas, oculis & mente sequebar euntem,
Vix auidos poteram continuisse pedes.
Siue meo lateri propius coniuncta sedebas,
Vix poteram cupidas continuisse manus.
Inq́ meum quoties iactabas lumina vultum,
Hîc penè impatiens & sine mente fui.
Hinc ego sollicito totus sum incensus amore,
Fixit & in pectus tela Cupido meum.
Hoc vulnus nulla posset Podalyrius arte
Tollere, nec medicas huc adhibere manus.
Nulla meum possunt animum præcepta leuare,
Ingens crudeli vis in amore latet.

ELEGIA XVII.
SCRIPTA AD PHILIPPVM MELANCHTONEM.

Dum data conficiens chari mandata paterni,
Hercyniæ peragro rura Cheruſca plagæ,
Quà loca Germani tenuerunt robora Martis,
Inuicti nostræ nobilitatis aui.
Contudit Arminius tumidi quibus agmina Vari,
Atq́ animos fregit Martia Roma tuos.
Mille Poëtarum celebri dignissime versu,
Ante alios meritis magne Philippe tuis.

Venti

Venit ab Æmilio mihi nuncia littera nostro,
Quæ mihi non dubia est ausa referre fide.
Cum duce Fridricho diuini vindice verbi,
Te quoq; longinquas nuper iisse vias.
Huc vbi prima capit lectus suffragia Cæsar,
Atq; vrbs à Franco condita nomen habet.
Protinus agnoui famam non falsa locutam,
Et dixi heu tanti vix mihi Mogus erat.
Dum tamen an possim vel adhuc te apprendere
Diuq; celer dubito desces an esse velim. (quæro,
Humida nox terras per opaca silentia fuscat,
Et somnum veniens suadet inire quies.
Non tibi falsa loquor: Iona comitatus et Hesso
Visus es ante oculos stare Philippe meos.
Atq; ita, quid cessas? iam fac tua carmina, Reh-
Audiat, ingenium prouehat ille tuum. nus,
Sic me visus eras monuisse, probauerat Hessus,
Annuerat Ionas dulce piumq; caput.
Excitor è somno simulacraq; visa recordor,
Vosq; animo solo quo licet vsq; sequor.
Iamq; dies Diui vigesima nona bifrontis,
Lumen ab Eois orta leuabat aquis.
Et bene si cœli labentia signa notaui,
Æquoreus patrias Delphin adibat aquas.
Nec mora Leucoreas propero rediturus in oras
Per iuga veloci Saxona vectus equo.

ELEGIA XVIII.

SCRIPTA AD GEORGIVM ÆMILIVM.



Vm te ſcena tegit conſtructa virentibus herbis,
Fonte ſuburbanæ dum releuare aquæ.
Dum canis ad ripas ſocio tua carmina Cordo,
Pæonias herbas dum legit ille tibi.
Dumq́ tibi ridet lætis Anagallis in hortis,
Et iucunda tuos implet amica ſinus.
Me videt ignotis errantem Gallia campis,
Tempore quo ſiccos cancer adurit agros.
Cærula me rapidi ſulcantem littora Ponti,
In medio æſtatis tempore iactat hyems.
Atq́ illic fraudes peregrinæ diſcere gentis
Cogor, et inuiſis moribus apta loqui.
Hîc vim ſentinæ, & Zopiſſæ ferre fluorem,
Et vomere ad ſocias nocte dieq́ vices.
Immundasq́ pigro cochleas prandere palato
Et bibere vndantis diſco fluenta Sali.
E medijs igitur tibi ſignificanda procellis,
Et tremula & madida ſcripſimus iſta manu.

Carmina

Carmina fortè tibi poterunt fluere ista videri,
Hei mihi quàm mallem scribere sicca domi.

ELEGIA XIX.

AD STVDIOSOS VVITTENBERGENSES QVÆ EXcuſat moram abſentiæ.



Hactenus abſentem tenuêre negotia, quorum
Cauſſa ſuam debet promeruiſſe fidem.
O quoties animo Phœbi complexus alumnos,
A cœtu dolui me procul eſſe meo.
Vt quondam à patrio paſtor digreſſus ouili,
Palantes alio linquit in orbe greges.
Nocteq; gramineo proſtratus membra cubili,
In ſua ſollicita paſcua mente gemit.
Nunc illi ante oculos pecoris verſatur imago,
Quidquid & adſueti gratia ruris habet.
Nunc ſubitò inſomnẽ nocturnus territat imber,
Nunc præbet vanum quælibet anſa metum.
Sic ego, ſic pridem memori vos pectore ſeruo,
O curæ ſtudijs chara Iuuenta meis.
Quodq; abſens poſſum votis operatus amicis,
Comprecor Albiacæ tempora longa ſcholæ.

Et quoniam hic potero vix rursus adesse, priùs
Pleïas æquales viderit orta dies: (quam
Interea studij quæ de ratione notauit,
Nostra nec in uanum Musa redegit opus.
Illa dicata tibi famæ mandabo Iuuentus,
Quæ facili Musas excipis aure meas.
Quidquid id est placido tibi scriptũ suscipe vul-
Quod longa visum est nos tenuisse mora. (tu,
Emissum in vulgus placido dignare fauore,
Dicantur solito dum tibi plura loco.
Tunc vigili ad clariꝰ studio sudabimus vndꝰ,
Interea vt valeas, chara Iuuenta, precor.

ELEGIA XX.

SCRIPTA AD COMITEM PALATINVM, Fragmentum.

MVsa nisi doctis hoc durum vatibus æuum,
Pertæsam studij te facit esse tui.
Læta Palatini refer Electoris honorem,
Quo pacem patrius Principe Rhenus habet.

Quid

Quid tremis & tanti censura Principis horres?
Pierios odio non habet ille choros:
Ille quoq; Aonij decus omne intelligit horti,
Et bona Castalijs quanta vehantur aquis.
Nec probat Heroas Germani moris amantes,
Qui procul à Musis esse, virile putant.
Gaudet adhuc istis caput exornare coronis,
Quas texit facili casta Thalia manu.
Artibus ingenuis quibus ipse assuuit, honorem
Nomine communis nouit habere boni.
Hinc fauet ingenijs mẽtis quibus aureus Imber,
Auctior Aonijs sensa profundit aquis.
Aureus en orbis gestantem agnoscit, & ipsum
Imperio dignum nunciat esse Ducem.
Iusticiæ stabilem gladius promittit amorem,
Quem gerit instructi dextra verenda Ducis.
Ille toga splendens, quam nobile purpurat Ostrũ,
Ordinis indicium fert Diadema sui.
Quà facit altus iter, maiestas præuia fulget,
Et veniens multo fama fauore comes.
Atq; honor, et cõiunx placido reuerentia vultu,
Atq; olea teneras pax redimita comas.
Pone decens legum metus atq; iguara nocendi,
Simplicitas sequitur purpureusq; pudor.
Et benè compositum placido cum principe vul-
Iusticiæ melius pectora ducit amor. gus,

ELEGIA XXI.

SCRIPTA AD PRINCIPEM ANHALTINVM IOAchimum: Commendat autem Stephani Riccij librum.



Lare bonis animi, Aſcaniæ flos inclyte gentis,
Et pie Muſarum dux Ioachime comes,
Siue tibi iuſtæ ſubducunt otia curæ,
Dum dicis populis candida Iura tuis.
Seu releuant dulces tractata negotia Muſæ,
Ad latus aſſiduæ quæ tibi ſemper eunt.
Reſpice non docto ſtridentem carmine Muſam,
Sed tamen innocui carmine Stigelij.
Ille tuis certè meminit ſe laudibus olim
Accenſum, titulis accinuiſſe tuis.
Debita ſaluifico depingens oſcula Chriſto,
Publica laudato cum tibi ſcripta dedit.
Nunc quoq; dū doctus tibi ſcriptū hoc Riccius
Chriſtiſoni plenum carmine vatis opus. (offert,
An dubitem ſtudium tibi tale placere, quod illū
Audacem in laudes compulit eſſe tuas.

Hoc

Hoc decus ingenio, decus hoc pietate parasti,
Certatim à Musis quod tibi habetur honor.
Namq́ impunè sibi non tantum sumpserit Albis,
Vt tua miratus nomina solus amet.
Te quoq́ nostra colit vero Salana fauore,
Digna etenim virtus semper amore tua est.
Aspicis vt summum conciendens aëra Falco,
Sublimis reliquas eminet inter aues.
Aspicis vt tollens imo se flumine Salmo,
Ardua transiliens per iuga victor eat.
Coruus in extremis dum inglorius hæret arenis,
Et spretum reliquo cum grege nomen habet.
Sic syncera pio firmata in Principe virtus,
Scandit, & in claro lumine nomen habet.
Hunc amor in populo decus admirante secutus,
Exemplum cordi pluribus esse facit.
Nos quoq́ mirati plebis de fece Poëtæ,
Dum colimus dotes Dux Ioachime tuas.
Grata sit officij tibi significatio nostri,
Hæc studij nostri est vltima meta, Vale.

ELEGIA XXII
QVAE CONTINET PRO-GNOSTICON.



Væ noua præsentem series annunciat annum,
Conscia quæ fati sydera lapsa monent?
An Synodis iterum terrent atrocibus orbem,
An positu cœli spem meliore ferunt?
An polus, & toto radiantia sydera cœlo,
Officij spretum nomen inanis habent.
Sic etenim statuunt, quorum sic ardua cœlo
Mens abit, vt celso transoat astra gradu.
Scilicet obscurant humani sydera mores,
Ventura hi melius dicere fata queunt.
Fatidici mores venturam dicite sortem,
Quis cursus rerum quis status orbis erit?
Ecce ingens morũ populus velut agmine facto,
Dum loquor aspectum confluit ante meum.
Omnibus impuri maculato in corpore nœui,
Turpe & adhuc fœdo crimen in ore natat.
In medio vitijs contagia tristibus errant,
Et summa Princeps improbitate lues.
Dux populi impietas, comes huic impura libido,
Et mala qui seruus gaudia luxus alit.
Ante volat leuitas, pulchri & contẽptus honesti
In vitæ promptum funera coniugium.
Pone sequens látam profert audacia frontem,
Et furia haud aliquo fine superba nocens.

Et

Et Polypragmoſyne vigilans in viſcera mundi,
Quæ turpi excubitus crimine ſemper agit.
Subdolaq́ inuſtum mentita calumnia fucum,
Quæ fontem falſi criminis eſſe facit.
Mundus erat morum plebs infinita malorum,
Quæ tales vno protulit ore ſonos.
Stulte quid exploras venturi oracula fati,
Aſpice militiæ ſingula membra meæ.
Hæc diphtera tibi curſus de ſorte futuri,
Indicio aſtrorum certius omen habet.
Nos auerſa Deo genitrix humana voluntas,
In toto ſobolem ſeminat orbe ſuam.
Creuit in immenſum genus alta ab origine no-
Militis et nuſquam eſt neſcia terra mei. (ſtrũ,
Iura ſimul legesq́ ſacras inuertere noſtrũ eſt,
Noſtrũ eſt officio quemq́ deeſſe ſuo.
Nullus honor recto, nulla eſt reuerentia ſacris,
Qua mea gens poſito milite caſtra tenet.
Nos opus hoc facimus, genitrix quod amica vo-
Dictat, et ad nutũ turba parata ſumus. (luntas
Inde meo offenſum ſupremum milite numen,
In genus humanum fulmina iuſta quatit.
Accerſita dolent homines mala, ſponte nocentes
Dum temerè prauis moribus eſſe iuuat.
Inde fomes bellis, & quæ naſcentur ab illis,
Principium in pœnas edita damna trahunt.

ELEGIA XXIII.

SCRIPTA AD PHILIPPVM MELANTH: QVA IPsum inuitat ad prandium.



Fabula quale Ioui posuisse Philemona narrat
Prandium, iners mensæ cum malè staret opus.
Ponere tale nouus potero tibi fortè maritus,
Pauper adhuc paruo cui micat igne focus.
Mecum doctus erit cœliscrutator Erasmus,
Cimbricus & Phœbi Saxo sublime decus.
Marcellusq; pio qui prælegit ore Poësin,
Ebrius Aonijs & Rubigallus aquis.
Maior & ingenio noster quàm corpore Paulus,
Hammonis secum pocula fortè feret.
Mi pater, hunc ornet tua fac præstantia cœtum,
Cum medio stabit crastinus axe dies.
Quòd si etiam poteris venerandum adducere Iouem,
Contingent numerũ gaudia nostra suum. (nam,
Hoc mea barbaries suauis rogat, illa profectò
Excepturam aliquos se putat esse Deos.
Nec dubito tali magis omnia fercula cœtu
Lauta fore, hunc curæ nouimus esse Deo.

Ergò

Ergò veni, primos homines sic fortè Creator,
Humano solitus vivere more fuit.

ELEGIA XXIIII.
SCRIPTA IN ECLIPSIN LVNÆ.

SI quis adhuc taciti motus & sydera cœli,
Non aliquid fati prorsus habere negas.
Nunc etiam humanis è sordibus erige mentem,
Et data de mœsto suspice signa polo.
Cynthia terrenas cœlo deuecta per vmbras,
Iacturam opposito lucis ab orbe facit.
Parteq; tecta sui nitidum contristat Olympum,
Vulnificum lethi qua vehit aula Nepen.
Aspicit hanc toruo tristi de carcere vultu,
Signa tenens birci dirus aquosa senex.
At Mars incauto meditans incendia mundo,
Feruidus obliquo robora iungit auo.
Et licet Antipodes decliuo spectet Olympo,
Præcipuum ostenti ius tamen huius habet.
Vtq; suo imperio sic Phœbus sydere gaudet,
Æstuat in medijs hîc vbi cancer aquis.

Hæc

Hæc est effigies erronum tristis eorum,
Publica qui tacito fœdere damna mouent.
Cætera nequidquam cum Phœbo turba remoto,
Hinc procul Eoo iuncta sub axe latet.
Fallor: an hæc repetens sortes diphtera priores,
Quas Lunæ è tenebris sensimus ante, refert.
Quidquid id est, alibi mallem te Luna teneri,
Sydere quàm Martis mortis ad antra premi.
At tu sæue senex fraudes miscebis & iras,
Et reteges tacitis multa sopita dolis.
Cui velut autori, Cancri Mars feruidus æstu
Subiungit promptas ad scelus omne faces.
Quid moror, vt varijs ardebunt corpora morbis,
Sic æstu mentes impatiente frement.
Dura nouis rerum feruebit motibus ætas,
Et parient alias fata seuera vices.
Multaq; fatalis certamina congeret annus,
Et rerum in populis turbida Crisis erit.
Atq; aliquis subito flabit cum grandine ventus,
Quando procellosis mugiet aura Notis.
Credis et hoc: hũeris Pan Ægocerotis amictus,
Titanum forti repprimet arma manu.
Atq; aliquis qui magna mouens Typhoëa spirat
Ad subitas cupiet cautior esse vices.
Scilicet hoc meruit factis sibi quisq; nephandis,
Has fati meruit publica culpa minas.

Namq;

Namq; quid aërium fraude affectamus Olympū,
Celsa cothurnato scandimus astra pede:
Sed Deus extremo stolidi sub tempore mundi,
Scruabit regni membra probata sui.

ELEGIA XXV.

SCRIPTA AD STVDIOSOS ACADEMIÆ VVItebergensis.

DVm tremit infestis Germanica Cæsaris armis,
Iustaq; pro Christi nomine bella gerit.

Quis scelera eloquio? quis prodat crimina fando?
Quis referat numeris turpia facta suis.
Miles apud miseros exercet qualia Boios,
Hospita Danubium dum prope castra tenet.
Illic est Italo factum quod cogitat, illic
Omne Deo inuisum patrat Iberus opus.
Ipsa exercitium est monstrosæ & regula vitæ,
Impaciens animi sæua libido, furor.
Sancta thori læsis violantur iura maritis,
Nec tenet in vitijs impia vita modum.
Fœda ferunt rupti lugentes damna pudoris,
Integra cum casta matre coacta nurus.

Tuta

Tuta nec est vsquam, sed fert infanda iuuentus,
Quæ pia coguntur turba videre senes.
Taliaq́ eduntur variorum exempla malorum,
Naturæ renuat qualia ferre dolor.
Qualia vel captis Syllanus miles Athenis,
Vel ferus Ausonia Gotthus in vrbe dedit.
Qualia direpti Victor patrasse Byzanti,
Dicitur in Venerem bestia sæua Getes.
O Deus à nostris hæc arceat omnia terris,
Postulet assidua mens operata prece.
Neue Deo tantæ causſam quoq́ præbeat iræ,
Vita, regat mores ad meliora suos.
Mente Deum tota & vera pietate colamus,
Vt liceat vera voce vocare patrem,
Et studijs operam demus melioribus, illi
E quorum officio verus habetur honos.
Discere donatas libeat diuinitus artes,
Quæ certam faciunt ad bona vera viam.
Quæ vitæ sanctis retinacula legibus addunt
Atq́ aditum ad superos à pietate struunt.
Sic Deus immoto charos seruabit amore,
Cunctaq́ præsenti cœpta iuuabit ope.
Adsseret auxilio cœtum sua verba profeſſum,
Et cymbam in medio diriget ipse freto.
A nostris rabidos arcebit finibus hostes,
Et bona frugifera publica messe dabit.

Pura

Pura Deo verum præstent vt pectora cultum,
Vnaq́ ei recta seruiat araside,
Et vigeant lætæ muratis legibus vrbes,
Vt placido pacem sub lare ciuis agat.
Hac quoq́ spe tecti, studioso haud desumus vlli,
Qui rectas artes turba professa sumus.
Vtq́ voluntatem discendi animumq́ probamus,
Sic studia vnanimi recta iuuamus ope.
Nunc quoq́ cum quidam doctrinæ præmia spe-
Omnibus his præstò nos iuuat esse modis. (rent
Vtq́ decet nobis præsenti voce monemus,
Doctrinæ vt faciant de ratione fidem.
Inde noui dabimus speratum nomen honoris,
Inde noui dabimus præmia recta gradus.

ELEGIA XXVI.

GRATVLATORIA,

SCRIPTA AD CLARISSIMUM Virum, D. Iustum Ionam Rectorem Academiæ Vittenbergensis.

TSi dignus eras Musarum ô splendor Iona,
Carmine pro meritis nobiliore cani.

Quale

Quale vel eximius patrijs canit Heſſus in oris,
Dum mouet Aonia ſaxa ferasq; cheli,
Vel tuus hac etiam clariſſimus arte Melanthon,
Et Latio & Graio, quum libet ore potens.
In me recta tamen tua cum nec falſa voluntas
Extet, & officij gratia magna tui.
Non potui tenui tibi non adplaudere verſu,
E multis minimus quamlibet vnus eram.
Hoc monuit Pietas, decor hoc ſuadebat honeſti,
Et qui pro meritis me tibi iunxit amor.
Gratulor ergo nouos virtutis præmia faſces,
Gratulor imperio tradita ſceptra tuo.
Quæ tibi decreuit veſtri ſacer ordo Senatus,
Per quem ſacra iterum creſcit in orbe fides.
Per quem ſub gelido quæ cardine Saxonas vrit,
Fulget ab Arctoo clarior vrſa polo.
Vittenberga ſacris caput & ſublata Camœnis,
Perpetuum toto nomen ab orbe feret.
Nec minus ingenuæ grator tua ſceptra iuuentæ,
Quæ ſua vix aliquo gaudia fine capit.
Vt ſi quando fuit regni ſortitus habenas,
Geſſit & impoſitum Tullius vrbis onus.
Edidit ex hilari non fictos pectore plauſus,
Omnis Caſtalio dedita turba choro.
Gaudebatq; ſacras tali ſub Conſule Muſas,
Ciuiles curas inter & arma coli.

Sic

Sic tibi cum rerum ſit ſumma oblata poteſtas,
Vt teneas noſtræ ſceptra verenda ſcholæ.
Aſpice quo docilis te prædicet ore Iuuentus,
Te quibus ad cœli laudibus aſtra ferat.
Quantaq; promittat de ſe tibi commoda pacis,
Quem ſe præ reliquis gaudet habere Ducem.
Et meritò, quis enim te munere dignior illo.
Quis te conſilij dexteritate prior?
Vt memorem doctæ quæ ſit tibi gratia linguæ,
Iam pridē hunc notā Rhenus et Iſter habent.
Largior à ſummo ceu deſluit æthere nimbus
Sic fluit Eloquij copia larga tui.
Nam tua ceu teneat ſuſpenſam concio plebem,
Vix puto ſic aliquem Neſtora poſſe loqui.
Seu reddas Latio ſanctos ſermone Prophetas,
Pendet & à verbo docta caterua tuo:
Seu tua victuris mandes pia dogmata chartis,
Eloquij currunt flumina magna tui:
Qualia lactifluo depromit Liuius ore,
Conditor hiſtoriæ Roma vetuſta tuæ.
Conſeris at quoties cum magno verba Philippo,
Crediderim Craſſum cum Cicerone loqui.
Quòd ſi fert animus facundo ludere verſu,
Carmine par magnis vatibus eſſe potes.
Vidimus et ſcimus quo carmē Apolline condas,
Noſter & hinc in te creuit adauctus amor.

Siue iuuat tacitas naturæ inquirere cauſſas,
Hic etiam ingenij vena diſerta tui eſt.
Quid faciat ventos, placidas quid ſubtrahat au-
Vnde ſuas habeat terra fretumq́ vices. (ras,
Vnde etiam incenſæ rutilant per inane figuræ,
Stuppa, trabes, lychni, lancea, tela, faces.
Quid ſignent rutilo fumantes crine cometæ,
Doctius haud aliquis commemorare queat.
Vtq́ tibi his alti ſuperos deuincis Olympi,
Sic quibus hic homines demereare habes.
Quæ ſit & ingenuæ prorſus non improba mẽtis,
Atq́ omni grauitas aſperitate carens.
Quis ſit amor, quæ ſit Pietas, quis candor in om-
Vix Elegis videor dicere poſſe meis. (nes,
Officia officijs, & amore lucraris amorem,
Vtq́ hominum celebret te genus omne facis.
Inde magis firmas quàm duro ex ære columnas,
Atq́ tuo generi clara trophæa locas?
Quæ non ignis edax, quæ non carioſa vetuſtas,
Nec minuant vlla ſecula lapſa fuga.
Hoc tibi non falſò teſtamur vbiq́ Poetæ,
Quamuis in laudes prodiga turba ſumus.
Hoc quoq́ poſteritas ſeris teſtabitur annis,
Neſciaq́ extremo funere fama mori.
Ante retrò lapſum ſua flumina ſiſtet in Iſtrum,
Flauus in Arctoas qui fluit Albis aquas:

Quàm

Quàm tua in obſcuro lateat clariſſima Virtus,
Semper adhuc ſummum tangere ſueta polũ.
Viue diu felix multoſq́ ſuperſtes in annos,
Perpetuo Vatum carmine digne cani.
Me tibi commendo, qui te quo dignus es, & quo
Debeo, non falſo mentis honore colo.
Neſcio quid meditata ſuis mens altius annis
Secum agitat, facilem tu mihi pande viam.
Suade aliquid, ſuadere potes iuuenilibus annis,
Tollere quod dura me quoq́ poſſit humo.
Sic tuus in patrios mores adoleſcat & artes,
Iuſtus agens vitæ tempora longa ſuæ.

ELEGIA XXVII.

SCRIPTA AD PHILIPPVM MELANTHONEM, in patriam abeuntem.

HEi mihi, non ſcribi te digna Prompemptica poſſunt,
Maxima Pierij fama Philippe chori.
Vix bene tentabã calamoſq́ ad verba parabam,
Cùm vetat inceptum pergere Phœbus opus.
Cur ita? te quoniam turbatus abire dolebam,
Quo ſine Leucoreo nil mihi dulce ſolo eſt.

Scribo tamen paruo quæ ſcribi tempore poſſunt,
Dum vobis frenis impediuntur equi.
Hæc quoq́ quæ tenui mando properata papyro,
Vix bene ab inuita carmina mente traho.
Non tamen hic ſolus doleo, dolet omnis ad Al-
Dedita Cyrrhæo Muſica turba Deo. (bim
Quam velut attentos Pylij facundia Graios,
Afficit Eloquij gratia blanda tui.
Chara parens peregrè longinquas tendis in oras,
Nos hic interea turba relicta ſumus.
Te Muſæ Phœbusq́ facer, Charitesq́ ſequuntur,
Quæ iuuet huic ſupereſt gratia nulla loco.
Et cum Rhenidas abitum mediteris ad vrbes,
Inuidet hoc Rheno triſtior Albis iter.
Inuidet & tumidas quatit immoderatius vndas,
Et facie ſolito pallidiore fluit.
At puto conſuluit nobis Deus æquus amicis,
Omnes quos reditus ſpes alit ampla tui.
Vade bonis auibus charos viſure parentes,
Nobile qui Phœbo te genuêre decus.
Ingredere antiquæ fœlicia mœnia Brettæ,
Mœnia te maius non habitura decus.
Salue Bretta tuo quæ ſurgis in aſtra Philippo,
Nomen ab æterna poſteritate feres.
Cumq́ aliquis referet longis Heroas ab annis,
Aſſeruit quorum Chriſtida lingua fidem.

In pri-

In prima ſtatuens venerandum claſſe Philippũ,
Bretta viro tanto patria dicet, erat.
Siue quis eximios poſt plurima luſtra Poëtas
Colliget, his facict talia verba modis:
Mantua Virgilio celebratur, Roma Tibullo,
Pelignusq́ ſuo Vate ſuperbit ager.
Bretta ſuam meruit celebrata Melanthone laudẽ
Patria, non vno carmine digne cani.
Siue quis inquiret cunabula prima Sophorum,
Hic tibi præcipuæ laudis habetur honos.
At tu fauſtus abi cœlo digniſſime Vates,
Sydere propitio carpe Philippe viam.
Te regat & faciles dexter tibi depluat auras,
Qui, quod es è cœlo te iubet eſſe Deus.
Nec tibi nimboſæ ſydus pluuiale capellæ,
Nec noceat gelidis largus Orion aquis.
Iq́ rediq́ bona comitatus imagine cœli,
O mihi perpetuò patris habende loco.

ELEGIA XXVIII.

SCRIPTA AD EVNDEM E PATRIA REdeuntem.



Stat vetus & denſè circumſitus vndiq; lucus,
Numen ineſt illi, nomina pacis habet.
Quem cœli occiduum, quâ cornua vergit ad axẽ,
Flauus arenoſis alluit Albis aquis.
Leucorin hîc perhibent natã patre Albide Nym
Theutonicis facilẽ Vatibus eſſe Deam. (phã,
Sæpè mihi hîc veterum modulanti carmina Va-
Reſpondit placidis Echo canora ſonis. (tum,
Tunc quoq; luſtra meæ peragrabam hîc conſcia
Iam curſum medias ſole tenente vias. (Muſæ,
Cùm numerans equites ſumma ſpectator ab ar-
Edidit argutæ ſigna ſonora tubæ. (ce,
Nec mora, fama frequẽs ſermone ferebat ad vr-
Nuncia de rèditu certa Philippe tuo. (bem,
Fama meas nunquam fricuit mihi gratior aures,
Per Charites iurò Pierides q; nouem.
Erumpit portis & mœnia deſerit vrbis,
Confluit et iuuenum multa frequens q; manus.
Vt quondam reduces patriæ exceptura parẽtes,
Ibat Romanis lecta iuuenta choris.
Ipſe etiam iuuenes non vltimus inter ouantes,
Obũius accelero lata per arua gradum.
Cùm te per campi longa interualla videbam,
Admiſſum celeri ſubdere calcar equo.

Haud ſecus ac ſi abſens hinc plurima luſtra fu-
E reditu cepi gaudia multa tuo. (iſſes,
Gnatus vt optatum gaudet redijſſe parentem,
Durum aliquod meſſes quo caruiſſe fuit.
At dum hinc externas aberas amotus in oras,
Perſtitit in vultu mens mea fixa tuo.
Dulce fuit de te tunc horas ducere fando,
Vt te nunc videam dulcius extat opus.
Sæpè videns nubes cœlo ceſsiſſe ſereno,
Sole ſub hæc dixi, ſi valet, ille redit.
Aut certè reditum noſtras meditatus ad oras,
Si potuit medium iam ſuperauit iter.
Huius erit teſtis non ficto Arcturus amico,
De quo ſpem laudis Friſia tota capit.
Qui reteget magni veſtigia prima Rodolphi,
Mollia ſi vitæ tempora fata dabunt.
Nuper & huc rediit patrijs Auriſthenos oris,
Is mihi ſic de te multa rogatus, ait.
Dij modo dent ſudi non triſtia nubila cœli,
Huc iterum paruo tempore carpet iter.
Ergò quòd hîc poſſum reduci tibi iungere dex-
Lætitia eſt quæ me vix ſinit eſſe meum. (trã,
Crede mihi hîc ſtauum ſine te dum verſor ad Al-
Omnia ſunt oculis ſordida viſa meis. (bim,
Vtq́ iterum coram tua contigit ora videre,
Omnia ſunt oculis aurea viſa meis.

Gratulor

Gratulor abſentem quem ſola mente ſequebar,
Nunc iterum alloquij parte tenere mei.
Cultor Apollonij fuit olim abſentis Iarchas,
Ille ſed huic præſens gratior hoſpes erat,
Eſt aliquid quod ames vultu præſente videre,
Da veniam, minimè te ſimulanter amo.
Non tantum vllius delector amore puellæ,
Has amet ab rabido quem iuuet igne coqui,
Quantum vltra meritum, quo te complector honore.
Ingenio capior chare Philippe tuo.
Plenius hoc vtinam poſſet præſtare voluntas,
Nulla foret ſtudij gratia tarda mei.
Iam mihi ſi qua daret certas occaſio cauſas,
Dixeris hîc verbis pondus ineſſe meis.
Si ſit opus tecum Garamantas verſus & Indos,
Non aliqua facerem clade repulſus iter.
Torrida quâ ſiccat ſitientem Zona Syenem,
Feruidus & tepidam Cancer adurit humum.
Quâ colitur nigris Meroë limoſa colonis,
Quam Nilus tepidis ambit opacus aquis.
Te comes ad Beſſos ſequerer rigidoſq; Tomitas,
Queſtus vbi exilium Naſo Poëta fuit.
Te latera immenſi comitarer ad vltima mundi,
Quâ ſol emittit quaq; recondit equos:
Non animis mecum fidus certaret Achates,
Eſſet & Ægidis quàm mea fama minor.

Qui

Quilibet intentet ſæuo tibi funera ferro,
Stigelio videas pectus ineſſe tuo.
Non dubitem fato dum tu meliore valeres,
Pro te barbarico cæſus ab enſe mori.
Vt tamen haud opto tali ratione probari,
Poſſe tibi officij vimq́ fidemq́ mei.
Sic rogo ne dubites, ita ſi tua fata, quod abſit
Poſcant, iſta ſuam verba habitura fidem.
Verùm age nunc aiudè nobis ſitientibus ede,
Quæ fuerint veſtræ fata benigna viæ.
Quo te Sueuorum Princeps exceperit ore,
Qui prius amiſſos Marte recepit agros.
Quid ſtruat arcano tumidus ſub pectore Gallus
Hei nondum pœnas hæc dat Echidna ſuas?
Carole quid ceſſas, domitor ter maxime mundi,
Hîc volitent iræ libera frena tuæ.
Surge animis hoſtemq́ ſua tandem eijce Lerna,
Beſtia quid terras inficit iſta tuas?
Victor, Dux, vindex, regem populosq́ domosq́,
Ferro, vndis, igni, contere, merge, crema.
Non alia poterit ratione redire, tot annos
Amiſſum pacis ſollicitumq́ decus.
Sparſa quid inuicto de Cæſare fama loquatur,
Si quid habes certi docte Philippe refer.
Inde reformatæ quænam ſit imago Tubingæ,
Num ſuus hic ſtudijs reſtituatur honos?

Num placidis vitam ducat Camerarius astris,
Hoc ſeruent vtinam próſpera fata caput.
Cattorumq́ Duci quæ ſtet fortuna Philippo,
Heſſidos haud maius quo tulit ora decus.
Dic quid agat patrijs Vatũ decus Heſſius in oris,
Auſpice quo Clarias Heſſia potat aquas.
Talia poſcenti tener eſt mihi viſus in aurem,
Hæc facere exiguo verba Cupido ſono.
Te quoq́ gratari tam dextera fata Sabino,
Poſcit amicitiæ non ſimulanda fides.
Qui ſic abſentem corde impatiente Philippum
Expetit, vt gelidas ceruus anhelus aquas.
Enumeratq́ dies, benè quos numeratis amantes,
Et dolet immenſam temporis eſſe moram.
Quæ malè formoſæ connubia diſtrahat Annæ,
Impediens ſocij fœdera pacta thori.
Dixit & aufugiens ſtridentibus euolat alis,
Pauca tamen media ſpicula linquit humo.
Ergò tibi arrident vultu nunc cuncta ſereno,
Omnia ſunt reditu læta Philippe tuo.
Optatus remeans nil hîc niſi gaudia cernis,
Gaudia legitimum vix habitura modum.
Iampridem viridi inuenilia tempora myrtho,
Vinctus hymen comptas iubilat ante fores.
Muſarumq́ tuas concentus perſtrepit ædes,
Neſcio quid blando murmure dulce ſonans.

Huc

Huc ades ô cupido ſocer expectate Sabino,
Auſpicijs thalami fœdera iunge tuis.
Si duodena ſemel permenſo ſydera Phœbo,
Qui nunc patris habes nomen habebis aui.
Viue diu, innumeres ô digne videre nepotes,
Inclyte Neſtoreos viue Philippe dies.

LIBER III.

EELGIARVM.

ELEGIA I.

SCRIPTA AD ILLVSTRISSIMVM ET INCLYtum Heröa Philippum, Heſſorum Principem &c.

REbus Alexandro ſimilis, virtute Philippo
Diceris, et meritis magne Philippe tuis.
Nam te quis magis eſt victricibus inclytus armis,
Quis te conſilij dexteritate prior?
Maior in hoc tamen es multoq; beatior illis,
Quòd tibi ſit Vates qui tua facta canat.

Nec

Nec tibi contingat pro carmine verbere dignus,
Qualis Alexandrum qui celebrabat, erat.
Sed sacer ille tuis Orpheus oriundus ab Hessu,
Carmine qui rapidas sistere posset aquas.
Quem velit Atrides, quem belliger optet Achil-
Panderet vt docta Troica fata chely. (les
Ille tuæ tubicen famæ laudumq; tuarum
Illustrat scriptis teq; tuosq; suis.
Crede mihi est aliquid, licet hoc ignobile vulgus
Negligat, Aonidum posse fauore frui.
Ipse licet gestis attingas sydera rebus,
Et superes Decios Scipiadumq; genus.
Quidquid habes parce marcescet tempore laudis,
Perpete Musarum ni foueatur ope.
Mille licet duro ponas ex ære columnas,
Atteret has longa tempus anile mora.
Nomẽ vt immensum volet immortale per orbem,
Hoc poterunt Vatum carmina sola dare.
Quos tibi si prisci peperisses temporis annis,
Theutona quam nimium terra beata fores.
Mille queas Fabios, ter mille referre Camillos,
Gloria nunc quorum nocte sepulta iacet.
Nec tibi prælatam se iactitet Itala tellus,
Plus satis in laudes terra superba suas.
Quem celebrant Musæ viuet dum ventus & aër,
Dum nox et tenebræ, mensis et annus erunt.

Dar-

Dardanidum peſtem, quis fortem noſſet Achil-
Nobile Mæonidæ ſi tacuiſſet opus. (lem.
Hinc pius Æneas, hinc ærumnoſus Vlyſſes,
Nec totus rapidis perditus Hector equis.
Nelidesq́ ſenex & magni doctor Achillis,
Viuida perpetuæ nomina laudis habent.
Tu quoq́ ſic olim poſt plurima ſecula viues
Parsq́ tui Princeps multa ſuperſtes erit.
Macte igitur virtute tua, perge inclyte Prin-
Auge animum Vati materiamq́ tuo. (ceps,
Natus es ad laudes, ad fortia facta gerenda,
Numen & à ſuperis quo celebreris habes.
Natus & Heroum eſt ad fortia facta canendu,
Numen & à ſuperis quo canat Heſſus habet.
Heſſicus ergo Heros cum tu ſis, Heſſicus Or-
Hic erit, Heſſiaci numen vterq́ ſoli. (pheus,

ELEGIA II.

SCRIPTA AD PHILIPPVM MELANTHONEM DE morte Eraſmi.

Dicitur è viuis ſublatus nuper Eraſmus,
Penè ego me ſurdis auribus eſſe volui.

Ergo

Ergo datum cuius fuerat mihi tempore nasci,
Quem mihi spes olim posse videre fuit.
Cuius in efficta scrutatus imagine vultus,
Sæpè per immensum mente sequebar iter.
Cui lauros palmasq́ leues, hederasq́ ferebam,
Et dixi ingenio sunt ea digna tuo.
Dicitur haud nostro tantum memorabilis æuo,
Indigna claudi Roterodamus humo.
Fama meas nunquam violentior iuit in aures,
Syderei testor lucida signa poli:
Atq́ vtinam vt semper, temeraria, frivola, men-
Spargere per vulgus plurima ficta solet. (dax,
Hic quoq́ falsa ferens mendacis murmura lin-
Non aliquam posset promeruisse fidem. (guæ,
Multa tamen certæ sunt argumenta loquelæ,
Nuncia quæ famæ vera fuisse docent.
Sparsa volans passim doctorum Musa virorum,
Concinit imparibus carmina mœsta modis:
Luget apud Catthos patrijs in montibus Hessus:
Hessus Castalij gloria prima chori.
Luget apud fortes Musarum cura Saeuos,
Currentesq́ tenet carmine Quæstor aquas.
Et tua non falsis operosa Philippe querelis,
Nescio quid nobis lugubre Musa canit.
Ergò quòd hoc vno tellus tristatur adempto,
Theutonis hei quanto lumine cassa dolet.

Hunc

Hunc Latium Graïs comitatum luget Athenis,
Quæq́ iacent extra climata Solis iter.
Quid tamen hîc prodest lugere diserte Melan-
Omnia victricis sub iuga mortis eunt. (thon,
Surda stat & lacrymis fati precibusq́ resistit,
Non explorandis ianua clausa seris.
Nil tamen hîc cineres nisi mors lucratur inanes,
Virtutis nescit viuida fama mori.
Raptus ab humanis fato lugetur Erasmus,
At meliore sui parte superstes agit.
Sic quicunq́ caput per sanctas extulit artes,
Occidit vt media viuere morte queat.
Ergò vt es infractus casus sapienter ad omnes,
Sic decet hîc animi te meminisse tui.
Illius ad superas altè mens euolat arces,
Et sibi securam pandit in astra viam.
Hunc olim annorum post plurima lustra seque-
Angelici cœtu te comitante chori. (ris,
Viue, sed interea fato meliore superstes
Viue diu, nullo tempore digne mori.

ELEGIA III.

AD FERDINANDVM A MAVGIS.

HÆc



Æc vis atq; vigor nostros infusus in artus,
Cætera qui motu principe membra regit,
Quo sentire datum est homini, quo ducere vitam
Et ferri certis ad peragenda modis.
Vnde sit & qua nam productus origine, multos
Iuuit apud priscos elicuisse Sophos.
Nec videre nihil, Schola seu studiosa Platonis,
Seu schola Doctoris parua Stagira tui,
Nos tamen excussis melius censere tenebris,
Cœlestis fidei mystica norma docet.
Nouimus artificem qui fabricat omnia, nullo
Ex opere & vires numinis intus alit.
Noli scire modum, noli perquirere tempus,
Non homo consilijs debet adesse Dei.
Ergo animus verè est diuinæ portio mentis,
Exiguus veniens fomes ab igne Dei.
Ipse agitat corpus, viresq; admiscet eundo,
Ipse vigil domini præstat vbiq; vicem.
Illius ad numen sensus regale mouentur
Subdita, & ad causas turba parata suas.
Ad dominum referunt sua quisq; negotia, at ille
Iudicat, & certa cognita lege probat.
Ille sua leuitate celer, nisi praua Voluntas
Sursum agat, ad cœlum semper anhelat iter.

Hei

Hei mihi, flamma potens cur turpibus ista tene-
Obruta, natiuum perdidit orba decus? (bris
Stulta dolis atri cum fœmina capta Draconis,
Est sua neglecto damna secuta Deo.
Inde tot ærumnæ, diri tot vbiq; labores,
Obuia tot varijs dira pericla modis.
Cum quibus est animo pugnandum semper, et ip-
Cum quibus incolumis, non nisi victor, erit. (se
Sed tamen adiutus recta, ratione triumphat,
Atq; exercitio fit releuante potens.
Ite procul clypeis annosa insignia gentis,
Quos sine virtutis laude referre iuuat.
Vt genus à Graio Germanus Cecrope ducat,
Hectoreaq; aliquis stirpe superbus eat.
Si premat ignauis animosam sordibus auram,
Quid vitæ ad frugem scutiger addat iners?
Exercendo valet viresq; acquirit agendo,
Hic animus magnum qui facit esse virum:
Et quanquam generis propagine nascitur Heros,
Virtutisq; infans à patre nomen habet,
Ni tamen innatos norit compescere morbos,
Ad bona ni totis vera laboret equis.
Sanguinis ecce vigor mentisq; innata facultas,
Vt scintilla rogo deficiente perit.
Quid tibi profuerit Cyrum monstrare parentem?
Impia Cambysen si tua vita refert.

Durandus vigor est animi virtutis ad vsum,
Inclyta per præceps fama parátur iter.
Huc Fernande, genus veris qui dotibus ornas,
Quæ duplicis titulum nobilitatis habent.
Nam quia Maugisiæ genus à propagine gentis
Ducis, ab antiquo sanguine natus eques.
Nec tamen hoc satis esse putas, sed gentis honorẽ,
Illustras animi condecorasq; bonis.
Hæc tecum conferre iuuat, dum nostra reducit,
A stygijs Ithacum Musa latina plagis.
Atq; hæc huius erit sententia tota Camœnæ,
Ignauis animi dona valere nihil.
Nec speciosa fidem faciat facundia nobis,
Res ea natura est nota probante satis.
Tantum hoc Mœoniden itidem sensisse probabo,
Dum dubium reducis cantat Vlyssis iter.
Nam quoniam ex opere hoc nuper quasi ducere
Visum est iudicio stabit id omne tuo. (gustum,
Ergò quid hic causse sapientem mouit Homerũ,
Ducat vt adflictum fata per alta Ducem.
Scilicet ante oculos mortalibus ille volebat,
Ponere perfecti munera plena viri.
Qui simul ingenio rerumq; excelleret vsu,
Publica quo posset res Duce salua geri.
Crede mihi tales, qui præsint, esse necesse est.
Vt multum prosint, multa dolenda ferant.

Hic

Hic labor, hoc opus est nostrum, qui mente valet
Vllum pro patria ne metuamus onus. (mus,
Nonne animo celer, ac sensu peracutus Vlysses?
Strenuus ad pacem fortis ad arma fuit?
Quos tamen in fluctus fortunæ hunc mergit Home
Quot patitur terra, quotq; pericla mari. (rus,
Iam dederat finem Troiano fœmina bello,
Graius & Iliacas hauserat ignis opes.
Cum Danaum toto disiectas æquore classes,
Numinis in varias spargeret ire plagas,
Adpulit ad Ciconas ventis iactatus Vlysses,
Hebrus vbi astrictas in mare voluit aquas.
Diripit hic vrbem, sed mox fortuna repugnat,
Obuia dum Ciconum colligit arma manus.
Tum populi expertus non æquo Marte furorem,
Cogitur indigna vertere terga fuga.
Exceptusq; iterum ventis pelagiq; furore,
Ægæi rapitur per vada cæca freti.
Donec aberrantem lentis cum classe Cytherus,
Excipit Oebalio curua Malæa sinu.
Hinc Lybicas longè Borea deiectus ad aras,
Ad populos venit myrthee lote tuos.
At non excipitur bello, non pellitur armis,
Hei mallet socios arma tulisse suos.
Namq; reuertendi faciens obliuia lotus,
Gustantes reditus non meminisse facit.

Ergo peregrinis dum ſuaues incola fructus
Exhibet, & ſocia tempora fraude terit.
Indulget genio miles, nec nauita ventis
Vela dare, & patrios curat adire focos,
Scilicet & fortes eneruat blanda voluptas,
Dux vbi proſpiciens non cauet arte ſitis.
Sic ſenſit Macedo molli Babylone potitus,
Deſide militiæ Marte perire decus.
Militis ad Capuæ corrupta eſt otia virtus,
Cum ſineret molles Hannibal ire dies.
Inſomnem decet eſſe Ducem, ſubit otia caſus,
Sæpeq́ pigritiæ pœna nouus labor eſt.
Ne tamen hoc totus fato ſuccumbat Vlyſſes,
Conſilia ex ipſo tempore promta capit.
Vi retrahens, proræ locat ad retinacula vinctos,
Inuitosq́ ægra cogit abire fuga.
Iamq́ Notus Lybicis profugum comitatus ab
Adjcit ad ſcopulos Sicelis ora tuos. (vndis,
Quâ ſegnes habitant loca per deſerta Cyclopes,
Sacrilegi atq́ ipſis turba inimica Deis.
Qui neq́ iuſticiam agnoſcunt, nec iura verentur,
Omnia pro libitu qui temerata gerunt.
Vix terram attigerat, ſummo cum monte videri
Vmbra poteſt vaſti prodigioſa Viri.
Monſtrum horrendum ingens, ſoboles metuenda
Sicanius nomen cui Polyphemus erat. (Troiæ,

Par

Par ſcopulis humeros et vertice ſydera pulſans,
Per pratum grandes paſtor agebat oues.
Ceu Leo cullifis qui mandit dentibus agnam,
Fractaq; cum totis carnibus oſſa vorat.
Cum grege non magno mœſtus reſtabat Vlyſſes,
Proxima qui cupido cœna futurus erat.
Quid facias? oppreſſus eras & inermis Vlyſſe,
Hîc opus argutæ mentis acumen erat,
Nulla animi virtus timidi: ſorbenda Cyclopi
Porrigit audaci dulcia vina manu.
Vina age noſtra bibas, caro cui gratiſſima noſtra
Laut. or adfectat pocula lauta cibis. (eſt,
Sic Ithacus: latices ille imis faucibus haurit,
Mox grauat inflatum copia pota caput.
Tum cadit atq; hauſtum pariter cum carne Ly-
Euomit, inuadit membra grauata ſopor. (æum
Cauſam Ithacus nactus, vino ſomnoq; ſepulto
Fronte oculum ſocia victor ademit ope.
Solertiq; fuga prædaq; potitus opima,
Conſilio tandem vindice latus abit.
Tantum animus ſapiens ingenti robore præſtat,
Omnia vis animi vincere dura poteſt.
Vim ſuperat Virtus, vincit prudentia ferrum,
Vir pius & prudens omnia victor habet
Sæpè aliquem nequeunt vires frenare Tyranni,
Vnius hunc frangit mens generoſa viri.

Pulſus ad Æolios Vulcania littora montes,
Hyppotadis ſubijt regia tecta ſenis.
Cui quoniam imperio ventos tractare poteſtas,
Præſenti miſerum iuuit & auxit ope.
Namq; iubet Zephyrũ placidè deducere claſſe,
Dum patrium tangat ſalua carina ſolum.
At ſi alios, caſus quos exigat, vtribus indit
Atq; ait his omni Nerea vince loco.
Vincere debuerat mare quẽ tot traxerat annos,
At nondum in fatis vincere poſſe fuit.
Certus erat viſa loca grata ſubire Zacyntho,
Cum premit à remo pectora feſſa ſopor.
Quid non ſeruilis petulantia turpiter audet?
Vtribus incluſus eſſe putabat opes.
Speq; auidi prædæ dum lora tenacia ſoluunt,
Omnis ventorum vis per inane fugit.
Iamq; ruunt pontumq; cient, et turbine perflant,
Hinc Aquilo, hinc Eurus, turbidus inde Not⁹.
Excitus ante oculos, ſua dum diſcrimina cernit,
Perditus hic dubitat ſoſpes an eſſe velit.
Tentat & Hippotaden fruſtra mollire precando,
Perq; truces iterum naufragus errat aquas.
Eſſe quid exempli ventorum in rege probemus?
Cordatos reges numina ſumma iuuant.
Cur tamen occluſos ventos dat in vtre? monemur
Parcius vtendum numinis eſſe bonis.

Hei

Hei quàm ſæpè malum Princeps leuitate ſuorum
Cogitur, & nullo crimine damna pati.
Hoc ita ſeruorum per furta figurat Homerus,
Seruorum neſcit fine carere dolus.
Hinc mare ad Antiphatis populos alliſit Vlyſſē,
Qua bibit Artacias incola crudus aquas.
Qua ſolitos memorāt Læſtrygonas hoſpite cæſo,
Humano cupidam carne replere gulam,
Hinc cæſis ſocijs & fracta claſſe repulſus,
Impia Circei venit in arua ſoli.
Quid memorem diræ benefacta veneficæ Circes?
Eſt ea iam vulgo fabula nota ſatis.
Hei doleo hoc. vnquam veniſſe ad littus Vlyſ-
Hic Ithaco factus mollior ille venit. (ſem,
Atq; equidem optarim meliorē huic Molyos v-
Archilochi merito carmine laudo metū. (ſū,
Quid faceret triſtis pro libertate ſuorum,
Quos pridem in turpes verterat illa ſues.
Beſtia ne fieret, non cætera cauit Vlyſſes,
Hei mihi, quā minimè multus vtrumq; cauet.
Sed tamen infernas migrare coactus ad vmbras,
Hac etiam pœnas pro leuitate luit.
Tartara reſtabant illi, cui terra fretumq;
Trita diu fuerant, Tartara fortis adit.
Vſq; adeo né opus eſt dignum virtute probari?
Vt mala qui tulerit plurima plura ferat.

Illic Heroum vitam pœnasq; nocentum
Conſpicit, vt vitam corrigat inde ſuam.
Hoc erat in ſeſe penitus deſcendere, & intus
Ad benè viuendum quærere, quid ſit opus.
In ſeipſum ducit, nõ Tartara Homerus Vlyſſem,
Inq; animo manes ipſius eſſe docet.
Cogitet vt ſecum charæ mens conſcia vitæ,
Quid bona lucrentur, quid mala facta luant.
Eſſe ſua ingenuæ virtuti præmia monſtrat,
Crimina ſupplicio nulla carere docet.
Hæc ita Siſyphides monitus, quaſi redditus orbi,
Suſtinet in clades fortius ire ſuas.
Subdola iam dulci modulantes funera cantu,
Syrenum docta præterit arte choros.
Nec velut ante thoro Sagæ Phœbeidos hæret,
Eludit cauta monſtra marina fuga.
Incolumis Scyllæ fauces, ventremq; Charybdis
Præterit, ad Siculæ dum redit arua plagæ.
Hei quantum eſt regere & populo dare iura fe-
Legibus exiguam vix tenet ille manum. (roci,
Rebus in aduerſis quem ſæpè probauerat ante,
Cauſſa noui Archilochus ſuſtinet eſſe mali.
Solus is inuitans comites in paſcua Solis,
A cupido prædam milite iuſſit agi.
Flebilis hinc ira tempeſtas orta Deorum,
Zancleos iterum cogit adire ſinus,

Hic

Hîc omnes fracta ſparſim cum claſſe rotatos
Strangulat, epoto Sicelis vnda freto.
Conſilij ſolus monitor melioris Vlyſſes,
Naufragus è media vix bene fugit aqua.
Fugit & ô nollet, ſed ſic cogentibus aſtris,
Ogygiæ tandem peruenit exul humum.
Hîc etiam inuitum et querulum remoratur Atlantis,
Mollis & ad blãdas ingenioſa preces.
Hei quæ deliciæ, quæ blandimenta parantur,
Vt pius in patriam diminuatur amor.
Illa quidem acceptum menſa ſolata precando,
Diuinas inter ſic fuit orſa dapes:
Quò tamen ire paras? fœlix, tua ſi bona noſſes,
An me adeò temerè deſeruiſſe potes?
Si ſcires reliquum, tibi quid tua fata relinquant,
Si reputare animo damna futura velis.
Quæ prius ingenti tibi ſunt ſuperanda labore,
Quàm videas Ithaci tecta paterna ſoli:
Iam mecum æquali contentus ſorte maneres,
Et tibi ſeruares meq; meamq; domum.
Quin etiam æternæ fruereris vere Iuuentæ,
Et mecum malles neſcius eſſe mori.
Nec mihi Penelopen præfer, quam munere for-
Quam longè ingenij numine vinco mei. (mæ,
Hei nihil eſt hominem forma contendere Diuis,
Et damni & caſus neſcia turba ſumus.

Dixit, at immotum virtus solatur Vlyssem,
Spondet & in superos spes meliora Deos.
Nec sibi turpe putat procul à tellure precari,
Fumum de patrijs cernere posse focis.
Numen adest, numen dederat mandata Calypso,
Non poterat iussas hæc inhibere vias.
Sic licet Heroum vitientur pectora, vt omnes
Ad mala mortales obuia turba sumus,
Si tamen agnoscunt vitium morbosq́ repugnant,
E turpi emergunt auspice labe Deo.
Et tamen admissam comitantur tristia culpam,
Quodq́ malos mores expiet, vsus habet.
Hinc Ithacus dextris ereptus Atlantidi fatis,
Vicerat ex illo non sua fata tamen.
Iam parat Ogygijs pelago noua robora syluis,
In patriam rursus quærere certus iter.
Mira quidem res est, mallet retinere Calypso,
Sed cogente iuuat vela abitura Deo.
Sæpè aliquem casu Deus à remorante recepit,
Casus vt adferret quam prohibebat opem.
Ergò iterum ponti dorsum sublime secabat,
Exigua vectus per freta longa rate.
Iam decima exoriens octaua reluxerat Eos,
Per mare Phæacum conspicit vdus humum.
Ecce maris domitor rediens ab Atlantide terra,
Conspicit è Solymis montibus ista senex.

Vtq́

ʒ videt tumidos conantem euadere fluctus,
Montibus horrendis concitat omne salum.
n nubes ventosq; ciet, iam marmora miscet,
Mota polum sæuo territat vnda sono.
m genua & pectus torpore solutus Vlysses,
Edidit ingelidos talia verba Notos:
'e miserũ quid fata parãt, quid abominor vltra
Quid mihi nunc superest? quæ grauiora ferã?
xlices Danai quos celsæ ad mœnia Troiæ,
Sustulit Atrida sub duce summa dies.
'unc ego debueram duræ succumbere morti,
Cùm potui fama non pereunte mori.
n me cùm gelidi pugnantem ad corpus Achillis,
Miserunt Phrygiæ spicula mille manus.
Tunc pulchrè moriens meritus præclara fuissem
Funera, florentis cespite tectus humi.
Nunc rapior ventis medijs inglorius vndis,
Et quia fata volunt deside morte cado.
Talia iactanti sæua caput vnda procella
Perculit, euersa labitur ille rate.
Labitur, at vitæ rursum memor occupat illum,
Tutus in aduersas numine pugnat aquas.
Nympha maris misero Cadmo fata subuenit Ino,
Et superet fluctus qua ratione, docet.
Has ait extendens vinctas sub pectore vittas,
(Et simul has offert) per freta nare potes.

Quid

Quid moror? exiguum tempus transiuerat, eccę
Vt paleas ventus, disijcit vnda ratem.
Ille trabem nactus, vinctisq; ad pectora vittis
Nabat, vt in magno flumine paruus anas.
Iamq; dies binos totidemq; per æquora noctes,
Naufragus in medijs hauserat ille Notis.
Tertia lux terram monstrauit, & attulit auram,
Marmora quæ nanti commodiora darct.
Tum vada Corcyræ, Plæacidaq; attigit oram,
Verum aditum ventus qui prohiberet, erat.
Hei quoties scopulis grauitate illisus aquarum,
In medias retulit membra relapsus aquas.
Littoreæ miſero fregiſſent oſſa procellæ,
Ni ferret celerem prouida Pallas opem.
Hæc tutus ducente miſer, tandem oſtia nactus
Fluminis, inſanis de maris exit aquis.
Vtq; manu adprendit, matri dedit oſcula terræ,
Hac ſibi quod tacta reddita vita foret.
Hoſpes ab Alcinoo Phæacum rege receptus,
Munera cum pleno multa fauore tulit.
Eius & auſpicio patrias deuectus ad oras,
Intrauit portum Phorcynis alta tuum.
Hei ſcelus, vt tangit patrij ſua limina regni,
Cognitus à nullo ſtat miſer ante fores.
Sola memor domini numeroſis tardior annis,
Intrantem agnouit tecta paterna canis.

Fluctibus

Fluctibus heu quãtis quatitur, quos mœsta dolo-
Quot mens ærumnas inuenit ægra domi? (res
Dum reduci obsistunt manus inuidiosa proco-
Dum priuata furens ciuis in arma ruit. (rũ,
Maiores reduci sua præbuit aula labores,
Omnia turbatis quàm freta mota Notis.
Sed tamen euasit sub vindice Pallade victor,
Omnibus inq; malis Pallade tutus erat.
Hanc ipsi comitẽ nusquam non addit Homerus,
Subleuat hæc pressum factaq; dura leuat.
Pallade nil aliud, nisi celsam intellige mentem,
Quæ frangi superis fisa, dolore nequit.
Talibus ærumnis sapiens iactatus Vlysses,
Vix senio requiem subueniente tulit.
Hoc speculum ante animũ ponant, quoscunq; re-
Moribus à vulgi mens generosa facit (motos
Siue illi illustri genus altum à stemmate ducunt,
Et lata populos sub ditione tenent.
Siue illi arrecti veræ virtutis amore,
Adfectant tituli nomina celsa sui.
Per varios casus animo duce fortius ibunt,
Fidere si summo scit tamen ille Deo.
Rebus in aduersis spernit mens alta dolores,
Nec superare animi vis genuina potest.
Nam fortuna licet vultu bachata sinistro,
Inferat externis plurima damna bonis.

Diuitiæ

Diuitiæ pereant, chari moriantur amici,
Vexentur morbis corpora, corda dolis.
Non tamen hic animus virtutum robore fultus,
Luxari aut aliqua parte perire potest.
Fortior aduersos sic regulus iuit in hostes,
Mente fuit liber, corpore captus erat.
Hac patriam fortis reparat virtute Camillus,
Huc sapiens victor Scipio laude fuit.
Hac annos superat tua laude iuuenta viriles,
Magne patri Macedo forteq; viq; potens.
Laude Dionæus Pharias hac Iulius vndas
Contemnens, mersa per vada puppe natat.
Armaq; semiueri fastu commota Potini,
Robore quàm martis, plus ratione premit.
Sed quid ab externis exempla adducimus actis?
Non tamen exemplis tempora nostra carent.
Nec desunt iuuenes Heroum exempla sequentes,
Quos numerare labor, sed meminisse iuuat.
Ecce animi quantis Veruetius ignibus ardet,
In fera pro patrijs dum ruit arma focis.
Incola Pannonius Scythica cum gente tot annos,
Marte infœlici bella sinistra gerit.
Hei mihi quot populos, quot pagos victor et ar-
Addidit ad Geticas Turca cruetus opes. (ces,
Dum sine præsidio quis, sine vindice pugnat,
Dum quasi desperans proijcit arma dolor.

Excitus

Excitus hic animo Iuuenis, virtuteq; motus,
Prælia pro patria, pro pietate facit.
Grassantesq; Scythas patrijs depellit ab oris,
Quos solet exigua fundere sæpè manu.
Viue diu iuuenis virtutis amantibus vnus,
Exemplo vt possis pluribus esse, Vale.
Tanta animi virtus, tanta est innata facultas,
Quam pius exercet constabilitq; labor.
Atq; hæc quàm benè sunt sapientibus edita pri-
Qui melius vulgo cernere vera solent. (scis,
Præsidioq; isto sese armauêre potentes,
Ambiguæ contra lubrica tela Deæ.
Cumq; huius tot sint colaphi, tot & vlcera vitæ,
Ad plagas illis hoc cataplasma fuit.
Nos melius, veras quoniã deprehendimus alas,
Ardua quæ recto tramite ad astra ferant.
Nascimur, hæc summa est, mãdato quisq; labori,
Officio debet quisq; vacare suo.
Nec quia sic nummi, quia sic pariantur amici,
Quisq; sua debet nosse laboris onus.
Sed sudare Deo, cœloq; probare labores
Nostrum est, huic placeat si mea vita, sat est.
Qui cupit vt gestis reddatur gratia rebus,
In medio ponit castra caduca freto.
Omnia sunt ingrata, sed hoc tu nomine noli
Segnior officij non meminisse tui.

Ecce

Ecce alius magni ducis inuitatur in aulam,
Vt patriam cura consilioq́ iuuet.
Ille regit iussis populosam legibus vrbem,
Præsidet hic castris Phœbe canore tuis.
At quotus ex illis, si mundum ex vngue notabis,
Præmia pro studijs accipit æqua suis?
Me iuuet officio, me iusso munere fungi,
Sponte mea in patriam me iuuet esse pium.
Nosse iuuet cultum, quem mandet & adprobet
Omnia qui præsens scitq́ videtq́ Deus. (vnus
Ipse ego quid possim communi adferre saluti,
Mecum agitem & nulli debita iura negem.
Me iuuet ex antro ventos horrere sonantes,
Nigra procellosi stagna videre maris.
Quòd si me pelagus per inanes auferet vndas,
Per fluctus animo remige tutus eam.
Abditus à vulgo viuam, productus in auram,
Omnia non ægra publica mente geram.
Ingenio vincam vires & mente dolores,
Mente Deæ dubiæ vulnera, mente dolos.
Lædere cum possim nolim, motusq́ relaxer,
Et cum non possim, sæpè iuuare velim.
Non ita, quòd magnos adfectem clarus honores,
Sed mea quò constent omnia facta Deo.
Omnia nam toto sunt prætereuntia mundo?
Atq́ etiam in magnis maxima penè nihil.

Nunc

Nunc vbi tot magno vigilatæ à Cæsare noctes,
Nunc vbi tot tanti clara trophæa Ducis?
Nunc vbi Scipiados labor, & victoria gentis,
Splendor & Ausonij nobilis imperij?
Scilicet & Boreæ Macedo vexator & Euri,
Atq; vbi nunc Cyrus maximus ille? fuit.
Omnia sic aufert ætas & certa senectus,
Cumq; ipso senior tempore mundus abit.
Omnia prætereunt ceu moto nubila vento,
Æternum nihil est, omnia prætereunt.
Huc igitur placeat nostros finire labores,
Vnde animi nobis impetus iste venit.
Seruiat hic partiæ, claris hic prosit amicis
Sic tamen vt constent omnia nostra Deo.
Hæc breuibus numeris crassa tractata Camœna
Fudimus, vt breuitas temporis ista tulit.
Ceu primo instituens animosum Heroa colore,
Inchoat atq; obiter pictor adumbrat opus,
Quæ Fernande tibi maior tractare potestas,
Quando voles vacuo quando licebit, erit.
Nam velut ingenio polles & stemmate gentis,
Materies studium sic decet ista tuum.
Siue alto rerum scrutaris pectore causas,
Siue etiam Heroum fortia facta legis.
Siue breui accipies patriæ pia iura regendæ,
Oblati subiens clarus honoris onus.

Mens addicta Deo, mens semper ad ardua sua
Præuia propositi Dux sit vbique tui. (dans,
Ingenium genus exornat, mens stemmata gentis,
Nobilis est quisquis nobilitanda facit.
Sed tamen & fœlix ille est, qui nomina laudis
Ex vtraque suæ parte tenere potest.
Quem genus & virtus commendant, ille beatus,
Ille comes Diuis proximus esse potest.
Sed tamen hæc aliâs, nunc amandamus Vlyssem,
Vt tibi verba meo nomine pauca ferat.
Ille quidem à stygijs rediens prudentior vmbris,
Exemplum exacti sustinet esse viri.
Qui tibi dum recitat, quæ passim viderit illic,
A nobis iussus verba latina loqui.
Fac tua non duras mens illi accommodet aures,
Fortè operæ pretium, quod iuuet, inde venit.
Sic habeas facilis Phœbum Phœbique sorores,
Sic tibi det vitæ fata benigna Deus.
Sic tua tranquillæ ducens pia tempora vitæ,
Sit procul à sæuis patria tuta Getis.

ELEGIA IIII.

SCRIPTA AD IOHANNEM LVTHERVM, de Arminio.

Si trahit ad laudes suauis sua quemq; cupido,
Quæ natura animis sic stimulante sedet.
Si magis alterius virtutis amore calescit,
A cœlo quisquis semina mentis habet.
Cur non facta rudis formetur ad ista Iuuentus,
Quæ recta à nostris gesta feruntur auis.
Hæc etenim accendunt animos ad honesta, nec
Otia permittunt désidiosa sequi. (vnquam
Ergò Lutheriada tanto patre digne Ioannes,
Chare mihi & longum viuere digne puer.
Discere Theutonicæ studeas facta inclyta gen-
Quâ virtute prior nescio si qua fiet. (tis,
Quid tamen hîc dubitem ne longè exempla pe-
Arminij relegas fortia facta Ducis. (tantur,
Roma Triumphati dominam se dixerit orbis,
Hoc Duce Germano milite fracta fuit.
Ille feras aquilas, & pila minantia fregit,
Vindicem; inuisum reppulit ense iugum.
Illius infractus acies inuictaq; signa,
Fertur adhuc mœsti Cæsaris vmbra queri.
Si comes ille tuo defensor & esse parenti
Posset, vt adferret dogmata sancta Dei.
Impia non sererent blasphemi iura Tyranni,
Notus vt vnanimi Christus in orbe foret.

ELEGIA V.

SCRIPTA AD IACOBVM MICYLLVM.



Dulce Micylle decus Musarum & gloria Phœbi,
Qui studijs ornas tempora nostra tuis.
En iaceo, & magno vitam traho victus amore,
Legitimo iungit qui duo corda thoro.
Illa quidem totas ducit suspiria noctes,
Me locus hic alio dissitus orbe tenet.
Vt properet veniẽs Hymenæõ vterq; précamur,
Hunc ego si exorem, res mihi facta foret.
Exorare tamen non hæc mea Musa superbum,
Accedant vatum ni pia vota, potest.
At mihi non Graiæ Quæstor ditissime linguæ,
Non dees ô mundi docte Philippe decus.
Non mihi Musa deest culti facunda Sabini,
Carmen abesse tuum docte Micylle queror.
Hoc Deus expectat nimis et nimis ille superbus,
Posse mouere illum gloria magna tua est.
Ergo aliquid thalamis dignare inscribere nostris,
Conugij fœlix semper vt omen eat.

Non

Non opus eſt multas inſumere temporis horas,
Dulce tua ex ipſo tempore Muſa canit.
Hoc mea te placidè non ruſtica Barbara poſcit,
Hei mihi barbaries quàm placet iſta mihi.
Sic mihi viue diu ſtudijs, ſic viue Micylle,
Qui ſtudijs ornas tempora noſtra tuis.

ELEGIA VI.

AD HECTOREM IOHANNEM VERONENSEM.



Coniugio iunctos pulchro præfecerat horto,
Et dominos rerum iuſſerat eſſe Deus.
Hos propriæ fecit praua inclinatio mentis,
Æternæ culpæ mortis & eſſe reos.
Non odiſſe tamen poterat quod fecerat author,
Mœſtaq; promiſſo ſemine corda leuat.
Iam multi exierant tranſacti temporis anni,
Seruarat q animos ſpes ea longa pios.
Deſcendit patrio promiſſus ab æthere Chriſtus,
Morteq; credentum liberet omne genus.
Illius hic contra victricia ſigna Draconem,
Continet & vitæ nuncia læta liber.

Ite procul quicunq; mori cum corpore mentes
Dicitis, in Christum perfida turba Deum,
At tu Pœonijs clarissime laudibus Hector,
Quo merui nato prisca Verona decus.
Dum tibi blanda tuis hærens Adriana lacertis,
Ostendit socij pignora chara thori.
Hæc bona saluifico de vindice nuncia Christo,
Coniugij debent reddere dulce iugum.
Nascimur in vitijs, sobolem quoq; gignimus illis,
Et quidquid facimus culpa vocanda venit.
Abluit à nobis, sed culpam & crimina Chri-
Acceptosq; pater nos facit esse Deo. (stus,
Huic morimur soli, post mortem huic viuimus
Mortua peccato turba renata fide. (omnes,
Hunc fratrem colere, & vero cognoscere cultu,
Sola ea res verè relligionis erat.

ELEGIA VII.

SCRIPTA AD DOCTOREM BARTHOLOMÆVM AMANTIVM.

IVris & Aonidum doctissime cultor Amanti,
Præcipuè Musis digne fauore coli.

Ecquid

Ecquid adhuc fœlix Erymanthida viuis ad vr-
Quà nemus à Grypho nobile nomẽ habet. (ſa,
Nos hîc inuiſis miſeras rumoribus aures
Radimus, inq; omni cogimur eſſe metu.
Nam quid fama loquax nobis extrema minarẽ
Spargit, ab occiduis Ennoſigæon aquis?
Fœdera quid mollis cum Cæſare inire Britan-
In nos quid Cæſar dicitur eſſe ferus. (nus,
Quem tamen ê rerum transſumptum turbine tri-
Talia de cœlo fronte videre puto. (ſti,
Hæc vt iactantur varijs vulgata loquelis,
Vt cauſſas variè quæ timeantur habent.
Nil tamen iſta putem lituos licet inter et hoſtes,
Hinc mihi ſi tecum viuere fata darent.

ELEGIA VIII.

SCRIPTA AD DOCTO-REM MELCHIOREM VVINSIVM.

DVplicis interpres VVinſi doctiſ-
ſime Iuris,
Et mihi non dubia ſemper a-
mande fide,
Qui mecum heſterna ſtatuebas nocte vagari,
Arua per Albiaci gramine culta ſoli.

Ecquid adhuc lentum ceſſas abrumpere ſomnũ,
Ecquid adhuc pigrum mollia ſtrata tenent?
En placidæ inuitant iucundis flatibus auræ,
Quæ cerebrum patitur membraq́ laſſa iuuãt.
Ipſe etiam aſſurgens Eoo à limine Phœbus,
Formoſo ſolito plenior ore micat.
Surge age linque thorum, nos exceptura patentes
Per campos aperit Flora iocoſa ſinus.
Quòd ſi blanda magis ſomni te oblectat imago,
Propitium toto Morphea habeto die.

ELEGIA IX.

SCRIPTA AD TERENTII STVDIOSOS.

QVæ conceſſa tibi fecerunt otia Muſæ,
Hactenus vt ſtudijs eſſet amica quies.
En iterum inuitant generoſi ad ſcripta Poëtæ,
Cui meritò palmam Comica Muſa dedit.
Quam fallent animos, quæ falli neſcia credas,
Quàmq́ cadent temerè, quæ meditata putes.
Quàm varij euẽtus, facies quàm lubrica rerum,
Quàm ſpes in media fallere docta fide.
Dum tibi ſe crucians, dum qui ſapit omnia frũ-
Explicat, huc ſolito more iuuenta veni. (ſtra

Non

Non opus eſt terræ longinquas ire per oras,
Hic mundi mores paruula charta refert.
Qui tamen iſta legis nec vitam corrigis inde,
Vtilius poteras ludere quàm legere.

ELEGIA. X.

SCRIPTA AD ANTONIVM MARINVM.

MIſit ab irriguo Phyllis mihi rure locuſtas
Ruſtica, ſed noſtro Phyllis amica choro.
Non quales olim vacuârunt ciuibus vrbes,
Siue tuas Latium, Lydia ſiue tuas.
Sed quales, miſero dum Chriſtum nunciat orbi,
Zacharides cœnat per loca ſenta puer.
Chare Deo Antoni veræ & pietatis amator,
Zacharidis cœnam ſi cupis eſſe, veni.
Nam nec vina tibi cerebrum turbantia ponam,
Sed quæ fontanæ diluat humor aquæ.
Nec tibi ceu ſoleo doctam laudabo Sabinam,
Nil niſi quæ deceant vel Ciceruna loquar.
Sæua nec indicam vigilum tibi bella latronum,
Nec tuus à noſtro regulus hoſte cadet.
Quid ceſſas? grauitas expectat teipſa morantem,
Temperat hæc ſumptu fercula fronte iocos.

ELEGIA XI.
SCRIPTA AD SALMONIVM MACRINVM.



On ego Pegaſeo potaui è fonte liquores,
Eloquium doctis Vatibus vnde venit.
Nec vidi Clario nudas in monte ſorores,
Sæpius Aſcræo numina viſa ſeni.
Et tamen optarim facundo exponere verſu,
Te quantum ex animo clare Macrine colam,
Id quoniam ingenij mihi conditione negatum eſt,
Has tibi qui reddit teſtis amantis erit.
Huic ego prolixo ſoleo ſermone referre,
Vnde in Macrinum ſit mihi tantus amor.
Ardua Pindaricis qui tranſis nubila pennis,
Dij tibi dent longum viuere dulcis olor.

ELEGIA VLTIMA.
SCRIPTA AD VDALRICVM MORDISIVM IVRIVM Doctorem excellentiſſ. &c. qua petit ſe commendari Illuſtriſs. Saxoniæ Electori.

MAgne

Magne vir, ingenio facundæ & munere linguæ,
Magne animi veris perpetuaq́ bonis.
Qui decus ingenij castis virtutibus ornas,
Et virtute simul pectora culta iuuas,
Accipe non longum tibi noti carmen amici,
Dum tibi fortunæ nubila pingo meæ.
Scis benè, propitias cur optem Principis aures,
Quidq́ petam, atq́ ipsum qua ratione petam.
Nec te causſa latet, tenuis fortuna Poëtæ,
Quæ mihi ſpem præter durior eſſe ſolet.
Nam memini, ſtudijs cum nos coniuncta teneret
Gratia, fortunam me potuiſſe ſequi.
Cum tua, legiferi ſpacioſa volumina Iuris,
Volueret aſſidua ſedulitate manus.
Et mihi ius gemino ductum de fonte placebat,
Nec deerant animo vela ſecunda meo.
Verùm aliud fatum diuerſo tramite raptum
Duxit, in Acnij libera regna chori.
Gratia me rapuit, quæ dulces copulat artes,
Eloquij placuit vis animoſa mihi.
Iuuit opus mundi ſcrutari & ſemina rerum,
Et miras ſtabili ſub ratione vices.
Solis iter geminum, ductoſq́ per æthera flexus,
Vnde trahunt certas tempora lapſa vices.

Ambiguam

Ambiguam Lunæ faciem motusq; rapaces,
Quæ rerum varia semina lege ciet.
Vt duo nascendis subeant primordia rebus,
Aëriusq; humor lucifluusq; calor.
Vt mutata ruant rerum per corpora formæ,
Perpetuò promptæ semina mixta sequi.
Iuuit in humano mirandas corpore vires,
Et mundum in paruo perspicere hospitio.
Fœderaq; herbarum conspirantesq; medelas,
Naturæ arcanum nosse fouentis opus.
Deniq; & has ipsas studui florere per artes,
Quas sapiens famulas cognitionis habet.
Hei mihi, Sisyphij suscepi pondera saxi,
Velaq; Neptuno non reuocanda dedi.
Bis denos doceo iuuenilia publicus annos
Pectora, et hinc nullas condo professor opes.
Adde quòd exiguum est, quod gratia plumea
Et sine pane mihi luditur iste labor. (reddit,
Culpa mea est, alijs quia dum prodesse laboro,
Ipse trabo fructus impedimenta mei.
Sic aliquis nanti dextram dum porrigit, ipse
Decidit in liquidas non benè cautus aquas.
Quid quod et innocuam Musis dum somnio vitã,
Et fugio trepidi iurgia crebra fori.
Territus ambiguis variæ dum moribus aulæ,
Iudicio famæ simplicioris alor.

Negligor,

Negligor, & vitæ fœcundos negligo neruos,
Nec mihi quæsitas arca flagellat opes.
Dardanus hoc dixit Vates, iustissimus esse
Qui cupit, exiguas semper habebit opes.
Ruris opes paruas, modici per iugera campi
Saxonidum teneo parta fauore Ducum.
Vita sit his fœlix, mihi sic re forsitan aucta,
Pinguia donati rura Maronis erunt.
Nunc tuus Augustus, qui stemmate claret eodē
Si volet, hæc miti rura beabit ope.
Annuat ille meis totidem sestertia natis,
Debita quot viuo sponte dedisset auo.
Sic erit Augustus mihi, sic Octauius ipse
Carminibus meritus nomen habere meis,
Annuet, haud dubito, modò tu intercedere tātus,
Ore Periclēo quantus es ipse velis.
Audiet orantem studia & mea laude nebentem,
Et mihi Mordisij nomine mitis erit.
Sic age, temporibus vir facundissime nostris,
Pro me, pro natis ora resolue meis.
Magna mihi de te pridem fiducia crescens,
De studio prohibet me dubitare tuo.
Namq; ego per numeros dum te mihi mitior om-
Ingenij dotes dumq; reuoluo tui, (nes,
Iam mihi, iā videor simul impetrasse quod opto,
Contigit optatam iam mea nauis humum.

Doctrinæ

Doctrinæ vario fœcundum munere pectus
Doctus habes, animo ſpes venit inde meo.
Artibus excultus generoſus deligis artes,
Culta bonis ſtudijs pectora doctus amas.
Iura nec exercent te tantum atq; aurea virgo,
Quæ populis libra ius dat & enſe potens.
Sæpè ſed à iuris ſtudio hæc ad mitia vertis,
In media retines dignum Helicone locum.
Vtq; tibi ingenij peperiſti laude fauorem,
Ingenys placida ſic quoq; mente faues.
Eloquij referas clarum cum laude Periclem,
Nos tamen infantes fers, & amanter habes.
Scilicet hæc iungit ſociatas gratia Muſas,
A Muſis Charitum neſcit abeſſe chorus.
Hæc ſunt in medio dulces Helicone choreæ,
Natura ingenijs ingenioſa fauet.
Quid, quòd amicitiæ mihi tecum antiquior vſus
Iure petit remos & mea vela tuos.
Qui tibi nec ſpecie, nec quæſtu iungis amicos,
Pectora ſed recti culta decore probas.
Me quoq; quem virtus tua firmo inuitat amore,
Hîc aliquid tecum iuris habere feres.
Fers animo certè, quo nil humanius vſquam eſt,
Fortunæ tangit te pia cura meæ.
Hoc hominis decus eſt, hominem releuare iuuando,
Scilicet hac verus quæritur arte fauor. (do,
Nemo

Nemo ſuos propriè ſibi tantum vendicet ortus,
Quilibet in publicum naſcitur officium.
Vir bonus eſt commune bonum, ceu fonte perenni
Illius è ſtudio commoda mille fluunt. (ni
Nec metuo, duros tibi triſti hoc tempore mores
Noticiæ curam diminuiſſe meæ,
Firmus amicitiæ cultor non talia curat,
Tranſuerſum temerè qualia vulgus agunt.
Iudice te, virtus ipſo vel in hoſte probanda eſt,
Dum modò ſit vero non inimica DEO.
Magna adeò vis eſt legis, qua viuimus omnes,
Naturæ ſocij conditione ſumus.
Hæc hominum lex eſt, vt homo ſit amicus ami-
Mutuus officijs pectora iungat amor. (co,
Maius amicitia nil rerum copia nouit,
Germina virtutis quæ generoſa fouet.
Hæc facit vt ſapiant homines, diſcordia, lites,
Stulticiamq; ſimul perniciemq; ſerit.
Vtq; velint rectè mandato viuere cultu,
Præſtat amicitiæ non violata fides.
Cedit amicitiæ cultus, procul ibit honeſtas,
Nec vitæ eſt numeros ſors habitura ſuos.
Hæc hominum ſors eſt, dum rectè viuere gau-
Conſilijs fœlix numen adeſſe ſolet. (dent,
Dum temerè excedũt, vitijs dum frena relaxãt,
Facta mala auerſus non probat vlla DEVS.

Dulcis

Dulcis amicitiæ, sed quò me gratia raptas?
Hæc erat à cœptis res aliena meis.
Te rogo Mordisi, veterem dignatus amicum,
Quod facis auxilio perge iuuare tuo.
Non tibi difficile est notam deducere caussam,
Nec tibi per leges ima roganda tuas.
Caussa patrocinium clementi in Principe sumet,
Flexanimæ cauta non eget artis ope.
Fecerit vt molles aditus tibi gratia fandi,
Hæc erit eloquio res tibi facta tuo.
Nec tuus iste fauor comitante carebit honore,
Prodcrit ad laudes hæc quoq; caussa tuas.
Te grato memores celebrabunt carmine Vates,
Qui benè de nobis te meruisse scient.
Ipse nec admittam præclari obliuia facti,
Officij studium sed celebrabo tui.
Dumq; meo viuet partum mihi carmine nomen,
Quod pretium studij restat inane mei.
Te quoq; conabor victurus tradere chartis,
Gratus & officij debitor huius ero.

FINIS.

